BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
F
39
NAPOLI

F. 39

JOHANNIS LOCKII ARMIGERI

LIBRI IV.

DE INTELLECTU HUMANO

Denuo ex noviſſima editione idiomatis Anglicani, longe accuratiori in puriorem ſtylum tranſlati: notis criticis Domini Gottelff Henrici Thiele, Domini Coste, ac Francisci Soave illuſtrati: accedunt nonnullæ meditationes Doct. Johannis Leonardi Marugj ad textum illuſtrationeſque accommodatæ.

TOMUS IV.

Apponitur Elenchus Capitum.

B. R. NEAPOLIS

NEAPOLI

Ex officina Vincentii Manfredii

SUPERIORUM FACULTATE.

MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

TENTAMEN
PHILOSOPHICUM
DE
INTELLECTU HUMANO.
LIBER TERTIUS
DE VOCIBUS

CAPUT PRIMUM.

De Vocibus ſive ſermone in genere.

§. I.

Homo aptus eſt ad ſonos articulatos fundendos.

CUM Deus ſtatuerit, ut homines inter ſe ſociati eſſent, non ſolum vitæ communis ſtudium ipſis ingenuit, effecitque, ut cum ſui generis animantibus conſueſcere neceſſum haberent, verum, quæ fons eſt & vinculum humanæ ſocietatis, orationis etiam uſum ipſis indulſit. Hominis itaque organa ita fabricata eſt natura, ut *Sonos Articulatos*, quas *Voces* appellamus, formare poſſet (1). Ad orationem vero

 hoc

(1) *V. adn.* 32. *tom.* 2.

hoc neutiquam ſufficit; pſittaci enim, atque aliæ volucres ſonos articulatos, eoſque ſatis diſtinctos, fundere diſcunt, quas tamen orationis compotes eſſe nemo dixerit (2).

§. II.

Iis poteſt ideas ſuas efferre.

NEceſſarium inſuper erat, ut poſſet *Sonis iſtis pro ſignis internorum conceptuum uti*; eoſque tanquam earum, quæ in animo ſunt, *idearum* notas uſurpare; ut eo pacto aliis innoteſcerent, atque ita homines cogitationum inter ſe commercium haberent.

§. III.

Signa generalia formare.

NEque tamen hoc pacto uſus iſte, qui debet vocibus ineſſe, ſatis exprimitur. Ad ſermonis perfectionem haud ſufficit, ut ſoni *idearum* ſigna effici poſſint, niſi ſigna etiam iſta *ad multas res particulares ſignandas adhibeantur*: Vocum enim multitudo illarum uſum confuſum reddidiſſet, ſi neceſſe fuiſſet, res ſingulas vocibus diſtinctis exponere. Huic malo ut iretur obviam, quo melius ſermo excoleretur, inventa ſunt nomina generalia, quorum uno multa particularia entia ſignantur: Atque perutilis hic ſonorum uſus ex *idearum*, quarum ſigna ſunt, diſcrimine oriebatur. Cum illa nomina generalia habeantur, quæ ad generales *ideas*, atque illa particularia, quæ ad particulares ſignificandas uſurpantur.

§. IV.

(2) Non video rationem, cur ſuis non debeant conceptibus reſpondere. De pſittaci oratione videri poteſt (*pag.* 189. *tom.* 3.)

§. IV. Præter nomina iſta, quæ *idearum* loco ponuntur, alia quædam vocabula ſunt, quibus homines utuntur, non ad *ideam* quandam, ſed ad ſimplicium quarundam complexarumve, aut omnium *idearum* carentiam vel abſentiam ſignificandam; ejuſmodi ſunt in lingua Latina *Nihil*, *Ignorantia* & *Sterilitas*, quæ omnes voces negativæ aut privativæ haud dici poſſunt ad nullas omnino *ideas* pertinere: Tunc enim ſoni eſſent nihil omnino ſignificantes; verum ad poſitivas *ideas* referuntur, atque illarum abſentiam ſignificant (3).

§. V.

Voces ultimo derivantur ab iis, quæ ſenſibiles ideas ſignificant.

Haud parum etiam conducit ad noſtrarum omnium notionum originem inveſtigandam, ſi, quo pacto a communibus ſenſuum *ideis voces* noſtræ pendeant, accurate obſervemus; & quomodo illæ, quibus ad actiones, notioneſque a ſenſu longe remotas, ſignificandas utimur, inde originem ducant. *Et a vulgaribus ſenſuum ideis ad ſignificationes longe abſtractiores referuntur*, & *idearum* loco ponuntur, quæ ad Senſuum cognitionem neutiquam ſpectant, v. g. *imaginari*, *apprehendere*, *comprehendere*, *adhærere*, *concipere*, *inſtillare*, *offenſa*, *perturbatio*, *tranquillitas*, &c. voces ſunt a rerum ſenſibilium operationibus

(3) Ideæ relationis ſunt; dum dicitur *nihil*, *Ignorantia &c.* excitatur idea *alicuju*. *ſapientiæ &c.*, & ex eo quia non ſancimus eaſdem nobis modificationes, niſi ens conſiderando, vel ſapientiam contemplando, nihil, vel ignorantiam concipimus; ar hoc quid a nobis defective conceptum, habita ratione ad ſtatum, quem nobis producit, idea poſitiva eſt (*V.* 134. *ſeq.* 3.)

bus ſumptæ , quæque ad certos quoſdam *Modos* cogitandi referuntur . Vox *Spiritus* in prima ſua ſignificatione *halitum* : *Angelus nuncium* denotat . Atque nullus dubito , quin , ſi illorum ortum , a fonte repetere poſſemus , in omnibus gentium omnium linguis inveniremus , nomina , quibus res deſignantur , quæ non cadunt ſub ſenſus , ab *ideis* ſenſibilibus originem habuiſſe (4) . Atque hinc haud difficile eſt , conjectura informare , quales iſtæ notiones fuerint , atque undenam deſumptæ , quibus mentes illorum imbutæ erant , qui primi his loquebantur linguis , & quo pacto natura , cum rebus nomina imponerentur , hominibus cogitationis ipſorum originem & principia nec opinis ſuggeſſerit : cum interea homines , ut rebus nomina imponerent , quibus eas , quas in ſemet ipſi ſenſere , operationes , aut alias quaſdam ideas , quæ non ſunt ſenſibus obviæ , notas facerent aliis , neceſſitate fuere coacti , a communibus & vulgaribus *Senſationis ideis* voces mutuari , ut eo pacto hujus generis operationes , quæ ſub ſenſum non cadunt , aliorum intelligentiæ facilius accommodarent . Deinde, quum nomina inveniſſent , apte & quaſi ex pacto mentium ſuarum internas iſtas operationes ſignificantia , in promptu illis erat , reliquas omnes *ideas* ſuas aliis oratione cognoſcendas offerre , quoniam non niſi ſenſuum externorum perceptionibus , vel , quæ circa illas verſantur , mentis operationibus internis conſtare poterant ; cum nullæ nobis inſint *ideæ* , quemadmodum (*) ſuperius oſtendimus , niſi quæ ab objectis externis , aut , quas in mente experimur , operationibus , originem duxerunt (5).

§. VI.

---

(4) *V. adn.* 30. 33. *tom.* 2.
(*) Vid. Lib. I. Cap. I. II. & III.
(5) *V. adn.* 33. *tom.* 2.

§. VI.

Diviſio generalis hujus Libri Tertii.

UT vero eo rectius uſum & vim ſermonis doceamur, quomodo nimirum ſcientiis acquirendis inſerviat, conſiderandum eſt.

Primo, quid illud ſit, ad quod nomina, in ſermonis uſu, proxime applicantur.

Atque cum nomina omnia (propriis tantum nominibus exceptis) ſint generalia, neque hanc aut illam rem ſigillatim ſignificent; ut res in claſſes apte digerantur. *Secundo* animadvertendum, *quid rerum ſpecies atque genera ſint, in quibus conſiſtant, & quomodo formentur.* Cum hæc ea, qua par eſt, cura & cogitatione, expenſa fuerint, poſtea verum vocabulorum uſum, naturalem ſermonis utilitatem, atque defectum omnem, & quæ, ad vitandas eas, quæ in verborum ſignificatione occurrunt, obſcuritates & amphibolias, remedia adhibenda ſint, facili negotio reperiemus. Secus ſi fecerimus, fieri non poterit, ut perſpicue atque rite ſervato ordine de rerum ſcientia diſſeramus: Hæc enim cum circa propoſitiones verſetur, eaſque ut plurimum, univerſales, arctius, quam vulgo credimus, cum vocabulis connexa eſt.

Hujuſce itaque rei tractatio Capitis ſequentis argumentum erit.

APPENDIX

CAP. I. LIB. III.

A FRANCISCO SOAVE APPOSITA

De linguarum formatione ac Analyſi.

IN libro, qui vertitur circa ſermonem, multum conferre videtur, circa linguarum formationem, & principia, quibus linguæ ipſæ ſuperſtruuntur, aliquid præmittere. Hac de re in tractatu meo (*Ricerche intorno alla iſtituzione naturale d' una ſocietà, e d' una lingua, e dell' influenza dell' una e dell' altra ſulle umane cognizioni*, Milano 1772.) diu moratus ſum, & hic præter parvum tentamen præbere non efficiam; qui poſtea rem præciſe & extenſe peractam cupit habere ad opus modo enunciatum recurrat.

Nonnulli pueri adinventi fuere in ſilvis, illic, neſcio quo, ſuæ ſorti relicti, qui uſque ad nonum, decimum ſecundum, decimum tertium, ac decimum ſextum ætatis annum adoluere; quæritur modo ſi horum duo ſe incurriſſent ad invicem, ſi comitati fuiſſent, & vario ſexu extantes multiplicaviſſent, effeciſſentque populationem, ex ſe ipſis linguam inſtituere potuiſſent? Rationes adduxi, quibus cum ſe invicem occurrerint realiter ſe comitati fuiſſent, & ſe ipſos multiplicando vere ſocietatem effeciſſent (a) quod eſt contra *Rouſſeau* qui voluit (*Diſcorſo intorno all' origine, ed a' fondamenti dell' ineguaglianza, ch' è fra gli Uomini*) oppoſitum, nec intereſt hic referre.

Signa, quibus homines ad invicem conceptus pateſaciunt, *naturalia* nonnulla, nonnulla *artificialia* ſunt. Tremor, ac palliditas in pavore, vociferationes, ac lacrymæ in dolore, riſus, ac gaudium in lætiria ſunt mechanici effectus, qui has paſſiones naturaliter comitantur (*b*). In duobus pueris a nobis ſuppoſitis neceſſario hæc ſigna debent exiſtere.

No-

(a) *V. adn.* 65. *tom.* I.

(b) De natura metus ſic Plinius, *vereor omnia, imaginor omnia* qua-

Notio doloris cum clamore ac ejulatu nimis faciliter copulatur (*c*), quapropter alter alterum clamare, ac lacrymas effundere videndo, vel audiendo, internoſcet ſtatim, illum eſſe dolore affectum, & naturali compaſſionis motu, ad eum auxiliandum incedet. Videt *ex. gr.* circa pedem ſuam attentionem tendere, comprehendet itaque hic doloris cauſam morari; ſpinam fixam videt, circumfluere ſanguinem, non eſt itaque dubium, quin arguat, hanc dolorem facere; tentat eam extrahere a ſocio, lætitia dolori ſuccedit, & ſuæ gratitudinis expreſſiones videt: hoc experimentum, vel aliud ſimile efficit quod ſigna ex naturalibus artificialia paulatim evadant; ambo obſervantes clamores permagne valere ad in ſuum auxilium alterum vocandum, ut & quoque manum ad læſam partem ponere, ad doloris cauſam indicandam, ac levamen obtinendum prodeſſe, non amplius pro ſolo mechanico doloris effectu clamabunt, ſed ut ſibi alterne illum patefaciant.

Actionis ſermo, ille videlicet clamorum, geſticulationumque certo primus erit inter ſe, & fortaſſe ſolus per tempus non breve. At hic ſermo nimis imperfectus eſt. Obſcuritas, abſentia, corpus interpoſitum, quod invicem ſe videre impediat, geſticulationes inutiles reddunt; præter quam quod ad res elapſas exprimendas medium nimis tenue ſunt. Millenæ neceſſitates

---

queque natura metuentiam, ea maxime mihi, quæ maxime abominor, fingo, ſed differt a pavore, ut hic a terrore differt. *Terrorem* dicit Cicero *metum concutientem*, *pavorem* poſtea *metum, mentem loco moventem*, vel ſtilo Enniano, metum, qui ex animo omnem ſapientiam expectorat (*V. Tuſc. qu IV.* 8.)

Membra metu debilia ſunt, animus timore obſtupuit (*V. Ter. Adelph. IV.* 4. 1.), Non ſemper in vehementi dolore lacrymæ adſunt, immo huic ſemper vel pene ſemper deficiunt. Quod attinet ad riſum, & gaudium, adnotandum eſt quod primus eſt ſecundi effectus, & non ſunt affectus independenter inter ſe, ut videtur hic a *Soave* ſumi. Riſus ab *Epicteto* vocatur *lætantis animi ὑπερέκχυσις*, *ebullitio quædam* (*V. Enchirid c.* 43.) difficile, ac pene impoſſibile eſt cauſam riſus invenire, verum experientia videmus, illum gaudium indicare; ſigna lætitiæ *exultatio*, & *comploſio* manuum ſunt, unde Virgilius

. . . *Ingeminant* Plauſum *Tyrii* (*V. Æneid. lib.* 1. *v* 747.)

(c) Unde id naturaliter eveniat non eſt facile invenire; natura ſic voluit.

tes itaque cogent eos in millenis occaſionibus aliis ſignis ſe exprimere: & ita articulatarum vocum ſermonem inſtituere (*d*)

Verba linguam conſtituentia, ut eſt omnibus notum, in octo diſtinguuntur claſſes, *nomen*, *pronomen*, *verbum*, *participium*, *adverbium*, *præpoſitionem*, *conjunctionem*, *interpoſitum*. Hic ad obſervandum incipio, quod interpoſitum *oh*, *ah*, *eh &c.* non ſunt quam ipſi naturales clamores. Simulac ergo, illi his clamoribus utuntur, jam unam ſermonis partem inſtituunt. Circa reliqua, magis neceſſaria ſunt *nomen* & *verbum*: nomina illa ſigna ſunt, quibus res earumque proprietates indigitantur. Res aliæ ex ſe ipſis ſonus ope patefiunt, aliæ non. Animalia perinde omnia proprium clamorem habent. Tonitru, ventus, flumen &c. omnes diſtinctum ſonitum faciunt; horum clamorum, ac ſonituum imitatio, nimis patet, quam poſſit pro nomine rebus, e quibus veniunt, utilis eſſe. Aliquod hujus imitationis ſignum, quod a Græcis *ονοματοπεια* appellatur adinvenitur in linguis perfectis; *coq* (gallus) apud Gallicos; *grillus cucus*, *cincinpotola* apud nos; *tonitru*, *flatus*, *torrens*, *rota* & millena alia, nomina imitantia apèrte ſunt.

Ad ſonoras res exprimendas aſſueti ope ſonorum reſpondentium, minori difficultate paulatim aſſuefacient ad non ſonoras res deſignandas; & pro rebus nominibus ſtatutis, gradatim eodem modo efficient adhuc ea per ſuas proprietates; nam multi iſtorum patefiunt quoque cum ſono, & adjectivis *ſtridulo*, *fremente*, *rapido*, *præcipitoſo &c.* quæ profecto imitantia ſunt.

Verba voces ſunt, quibus exiſtentia quarundam proprietatum exprimitur, vel relatio, ſeu operatio alicujus rei. Diverſitas, quæ adinvenitur inter ſe & adjectiva, eſt, quod hæc indicant tantum proprietates, operationes, relationes, illa exiſtentiam demonſtrant. *Vivus* vel *vivens* non facit, quam hanc proprietatem inveſtigare, *vivere* ad vivum eſſe æquale eſt, & exiſtentiam quoque exprimit, *homo vivit* affirmat, hanc proprietatem homini ineſſe.

Paulo ante dixi, partes magis neceſſarias ad unam linguam eſſe nomina, & verba. Cum diligenti analyſi internoſcitur enim, linguam, verbis deficientibus poſſe ſubſiſtere, nec etiam verbo *eſſe* excepto. *Vivere*, *amare*, *dormire*, *vigilare* &c. inſtituamus *vivum eſſe*, *eſſe vigilantem*, *eſſe amantem*, *eſſe dormientem &c.*, ad adjectiva verba omnia reducimus, quibus adjungitur *eſſe*. Hoc verbum in noſtra lingua diverſas habet reflexiones exprimentes diverſitatem perſonarum, numerorum, temporum, mo-

(*d*) *V. adn.* 32. *tom.* 2.

modorumque. Verum nec ſunt hæ adhuc neceſſariæ. Braſilienſes nullam habent inflexionem in ſuis verbis, quaſi nullam anglici habent; cum diverſis ſignis in infinitum invariabile omnes temporis, modi, perſonæque modificationes exprimunt. En conjugatio verbi *eſſe* apud Braſilienſes (*Hiſtoir. gener. des Voyages Tom. XIV. in 4. pag.* 284.). *A-ico* ego ſum, *ere-ico*, tu es, *o-ico* ille eſt, *oroi-co* nos ſumus, *pei-co* vos eſtis, *aurahe-ico* ipſi ſunt; ubi verbum *ico* ſemper eandem deſinentiam habet & nomina perſonalia *a*, *ere*, *o* ec. exprimunt numeros, & perſonas. Imperfectum diſtinguitur cum adverbio *aquoeme*, quod *tum* denotat, ſed deſinentia verbi nunquam mutatur. Sua conjugatio eſt itaque *a-ico aquoeme* ego eram, *ere-ico aquoeme* tu eras &c. Elapſum perfectum eadem conſtanti deſinentia exprimitur, mutando tantum adverbium *aquoeme* in *aquoemene*, quod denotat tempus jam elapſum. Hinc eſt, *a-ico aquoemene* ego fui, *ere-ico aquoemene* tu fuiſti &c. futurum pari modo cum verbo *irent* exprimitur, & dicitur *a-ico iren*, *ere-ico iren &c.* Modus optativus adhuc diſtinguitur cum ſolo adverbio *momen*, quod ſignificat libenter, ut *a-ico momen* tu eſſes *libenter* &c. Eodem modo conjugatur verbum *iout* (venire). Præſens eſt *a-iout*, *ere-iout*, *o-iout*, *pe iout*, *aurahe iout*. Imperfectum *a-iout aquoeme*, *ere-iout aquoeme &c* perfectum *a-iout aquoemene*, *are-iout aquoemene &c.* Futurum *a-iout iren*, *ere iout iren*; modus optativus *a-iout momen*, *ere-iout momen*. Idem de reliquis verbis eſt. Verbum eſſe ad hanc invariabilem deſinentiam itaque reductum, non eſſet quam conſtans ſignum exprimens affirmationem, & exiſtentiam, & lingua cum hoc ſigno conſtante etiam nomina poſſet optime ſubſiſtere abſque verbo proprie dicto.

Hoc omne demonſtrat magnam partium ſimplicitatem in lingua abſolute neceſſariam, & per conſequens noſtri barbari homines ſimulac nomina ſubjectiva, vel adjectiva inſtituerunt, ut & ſignum Braſilienſium *ico* æquivalens, nec hoc noſtro infinito *eſſe*, inſtituere potuiſſent veram linguam ut modo dixi. Si enim uni linguæ non ſunt verba per eſſentiam neceſſaria, multo minus ſunt reliquæ partes. Præpoſitiones plurimum poſſunt relationem unius alteriuſve rei cum brevitate, ac præciſione exprimere: *Æneides Virgilii*, ſtatim indicat, Virgilium hujus poematis auctorem fuiſſe. At eo modo, quo latini Virgilii nomini tribuendo genitivi inflexionem præpoſitionem *hujus* retinebant, & prepoſitionem *huic* non impendebant, dum dativi inflexionem ſuppeditabant, ſic pariter omnes poſſent retineri totidem inflexionibus diverſis poſitis. *Adverbia* valent ad modificationem verborum ſignificatus exprimendam, ſed omnia ad unam propoſitionem, vel ad unum, pluraque nomina reſpondent; *Hic* in hoc loco ſignificat, *nunc* in hoc tempore, *breviter* cum brevitate. Nunc adhibendo eaſdem præpoſitiones, & nomina, quibus æquivalent,

ad-

adverbia inutilia evaderent. Sed paulo ante demonſtravimus, pro præpoſitionibus ſufficere diverſarum nominum inflexiones. Itaque adverbiis poſſent in integrum ſimplicia nomina ſupplere. Revera non dicebant ſæpe latini *hoc tempore* pro nunc, *hoc loco* pro *hic*? Conjunctiones in longo ſermone neceſſariæ ſunt, ad propoſitiones ordinatim inter ſe ligandas. Sed ubi de paucis ſejunctis propoſitionibus agitur, omnino ſuperfluæ ſunt; præter quam quod non ſunt adhuc quam præpoſitionum nominumque compoſitum, ut *enim*, *nihilominus*, *ideo &c.* quo modo adhuc reliquæ exprimi poſſent. *Pronomina* non ſunt quam adjectiva, quæ pro denominato ſubjectivo adhibentur. Subjectivi repetitio afferret ergo pronomen tanquam, vel penitus inutile. Sed quando adhiberi vellet, cum natura ſua adjectivum ſit, lingua præter ſola nomina non haberet. Idem eſt habita ratione ad *participia*, nam *amans*, *amatus*, nemo dubitabit, quin tot adjectiva eſſent.

Poteſt ergo ſtricto modo loquendo, lingua ſolis nominibus ſubſiſtere, & paucis conſtantibus ſignis verbo eſſe æquivalentibus. Sed ceteræ partes abſolutæ neceſſitatis minime ſunt, ſunt tamen tantæ utilitatis, ut non ſit credendum, noſtros barbaros diu eis carere poſſe; homo neceſſitate coactus non ſolum cupit ſe exprimere, ſed etiam promptitudine majori, qua poſſit, deſiderat facere, & lingua ſolis nominibus ſæpe nimis contexta, ac longa eſſet.

Verba ab imperativo incipiunt, ab illo videlicet modo, quo utimur imperando vel expetendo quod nobis oportet. Clamor, quem adhibent cauſa ſe invicem vocandi, unus erit, nam vim verbi *veni* habet. Clamores ceteri a natura erunt indicati ad exprimendum *aufugite*, *currite*, *ſtate*, *accipite*, *ſumite &c.* Verba animalium voces exprimentia ſequuntur, quæ probabiliter imitantia erunt, ut apud italos ſunt *belare*, *muggire*, *nitrire*, *abbajare*, *ruggire &c.* & a modo indicativo certo incipient hi, ſaltem habita ratione ad ſenſum; quoniam illos imprimis adhibebunt ut indicent audiviſſe animalium clamores, non vero ut imperent, aliquod animale clamare. Multa alia verba erui poſſent ab imitatione, ut inter nos ſunt *crepitare*, *murmurare*, *fremere*, *præcipitare ec.* eodemque modo formari poſſent non ſolum participia eis reſpondentia, verum etiam multa adverbia quæ ab eis veniunt, ut in latino *præcipitanter*.

Pronomina, *præpoſitiones*, *conjunctiones* profecto non poſſent ex *onomatopea* erui, cum nullum ſonum naturalem ſignificent hæc. Sed circa has ſermonis partes, ut & circa nomina, verba, adverbia, participia ad res ſonoras non relata, eſt obſervandum, quod homo quando rem aliquam effigiat, geſticulationes, actioneſque, quibus ad exprimendam eam nititur, ſemper cum quadam voce conjungit. In pueris, atque lingua orbatis id quotidie videbimus. Poſtquam ergo geſticulationis ope vel cla-

clamoribus quibuſdam aliquid exprimit, ita ut aliquid ad intelligendum dedit, ſi alter idem explicare debet, eamdem vocem ac geſticulationem adhibebit, hæc vocis, ac geſticulationis unio erit pro eis commune ſignum illius; in hoc ſigno cum familiares evadunt, paulatim illud evolvunt, atque ſingulare reddunt, donec ad unicam vocem redigant: hoc facto cum una facile cum multis aliis repetent: ſic voces apud eos rerum ſonum adhuc non prolantia paulatium evadunt ſigna.

Primis vocibus pro qualibet ſermonis parte ſtatutis, facillima eſt multiplicatio. Termini radicales in omni lingua pauci ſunt; reliqui omnes a combinationibus diverſis iſtis primarum radicum efformantur. Et 1. quot adjectiva a ſubſtantivis non trahuntur, quot econtra ſubſtantiva ab adjectivis, quot a verbis nomina, & a nominibus verba? *Celeſtis* a *Celo*: *nigredo*, a *nigro*, *voluntas* a *volendo*, *florere* a *flore*. Participia, ut omnibus conſtat, omnia a verbis oriuntur, adverbia ab omnibus quaſi adjectivis, ut *dulciter* a *dulce*, *fortiter* a *forte ec.* conjunctiones in multa adverbiorum parte, a propoſitiouibus ac nominibus, ut *licet*, *nihilominus*, *ideo*, *hinc &c.* 2. Quot vocabula formantur plurium unione? Latini conjungendo verba *eſſe*, *ire*, *ferre*, diverſis propoſitionibus efficiant *adeſſe*, *abeſſe*, *obeſſe*, *praeſſe*, *ineſſe &c.*, *adire*, *abire*, *prodire*, *ſubire*, *interire &c.*, *afferre*, *auferre*, *inferre*, *ſufferre*, *præferre &c.* ab unione nominis cum alio, vel nominis cum verbo quot compoſita faciant ipſi latini, quot magis Hebræi ac Græci, ac hodie faciant quoque Cinenſes ac Orientales, nemo profecto ignorat. 3. Adhuc cum ſola linguæ modificatione ex eiſdem vocabulis infinita alia poſſunt efformari. Cinenſes præter 330. monoſyllaba non habent, & ſolo pronuntiandi modo tot terminos efformant, qui juxta diverſas notas, quibus quilibet ſcribitur, ut credit *P. Magalhaens* ad 54409 uſque numerantur,nec deſunt qui uſque ad 80000 eos calculant. 4. Adhuc idem vocabulum eodem modo prolatum poteſt plura indicare propter metaphoras, ac ironias. Apud Hebræos ſolum vocabulum *jad* (manus) ut dominus *Berges* obſervat, plus quam viginti figuratos ſenſus habet.

Sed quod diximus adhuc, non eſt quam unius linguæ vocabularium: remanet, ut videamus quo modo barbari ſuppoſiti poſſint ſimul conjungere varias ſermonis partes juxta diverſas ſuas relationes, regulæ quæ univerſæ linguæ grammaticam conſtituunt, & ſine quibus vocabularium, etſi copioſius, inſervirent nunquam ad ſenſum completum informandum. Hæ regulæ propria natura ſimpliciores quam communiter creditur, ſunt profecto. Ad duo reducuntur ad *inflexiones*,& ad *ſyntaxim*.Sermonis partes inflexionibus ſubjectæ non ſunt,quam quatuor,*nomen,pronomen,verbum. & participium.* Nomina, pronomina, & participia apud nos præter duos inflexionis mo-

modos non habent, illa generis, & illa numeri : apud Latinos & Græcos habebant quoque illam *caſus*. Verum nulla harum inflexionum eſt neceſſaria. Illa generis excogitata fuit, ut maſculina a fœminina diſtinguatur. Illa ergo convenire nequit quam animalibus ; & rebus inanimatis applicare ut nos facimus ponendo, nonnullas generi maſculino, fœminino nonnullas alias, præter regulam eſt. Sed circa eadem animalia ſufficit, ſuis nominibus adjecta *maſculini*, ac *fœminini* addere, & inutiles inflexiones erunt. Et revera non dicemus maſculum avem vel fœminam ? In hoc modo pro equo & equa dici poſſet equus maſculus, & equus fœmina. Inflexio numeri ſtatuta eſt cauſa diſtinguendi, quando de uno objecto loquimur, & quando de multis. Sed quando adjectivum numerale præcedit, ſuperflua eſt inflexio. *Duæ arbor* idem præciſe explicaret quam duæ arbores. Quando de indeterminato numero loquimur, ſufficeret adjectivum *plus*, abſque deſinentiæ nominis mutatione. Non æqualiter italice dicitur *una Città*, *e più Città*, *un Re*, *e più Re* ? Quod inflexio caſus ſuperflua ſit, lingua italica una ſimul cum gallica, anglica, & hiſpanica, cæteriſque ſatis id clare demonſtrant, cum optime ſuppleant in his linguis caſuum variationibus, nominibus præmittendo opportunas præpoſitiones. Si poſtea nulla iſtarum inflexionum neceſſaria eſt circa ſubſtantiva, multo minus ipſa ſunt habita ratione ad adjectiva, & idem de pronominibus & participiis, quæ ad eandem claſſem pertinent, dicatur. Anglicani revera habita ratione ad adjectiva minimam deſinentiæ variationem non habent.

Verborum inflexiones, ut paulo antea vidimus, quatuor ſunt, videlicet *tempus*, *modus*, *numerus* & *perſona*. Sed vidimus eodem tempore, qua facilitate ad modum Braſilienſium Anglicanorumque omnes poſſint retineri. Inflexiones ergo non pertinent ad linguæ eſſentiam ; tantum fuere inventæ partim per cerebroſitatem, & partim pro reddendo ſermone clariori, ſeu breviori, ſeu vario. Noſtri fortaſſe barbari ob eandem cauſam adhuc ipſi excogitarent ; ſed quando negligerent, eorum lingua non deſineret adhuc, vera lingua eſſe, ut eſt Anglicana, quæ caret protinus omnibus.

Syntaxis regulæ reſpiciunt vel *concordantiam* adjectivorum cum ſubſtantivis, & verborum nominibus, vel *regimen*. Sed circa primam vel in adjectivis & in verbis non introducent ullam inflexionem ad modum Anglicanorum atque Braſilienſium, & tolletur omnis concordantiæ regula, vel introducent, & ſponte orietur regula, quod adjectivum debeat concordari cum ſubſtantivo ad quod pertinet, & verbum cum ſubjecto a quo dependet. Circa regimen nimirum ad nomina, quæ a verbis reguntur, convenit primum diſtinguere verba in duas claſſes, ſci-

licet

licet *tranſitiva* , & *intranſitiva* . Omne verbum , ut indigitavimus , præter affirmationem , & exiſtentiam ab *eſſe* expreſſas, continent adjectivum exprimens quamdam proprietatem , operationem , ſeu relationem ; *vivere* æquivalet ad vivum eſſe , *amare* ad eſſe amantem . Quando hoc adjectivum proprietatem , vel operationem exprimit , quæ in ipſo objecto terminat , verbum *intranſitivum* appellatur ; ejuſmodi eſt *vivere* , *mori* , *ambulare* , *currere* , *vigilare* , *dormire* . Quando exprimit proprietatem vel operationem ad alia objecta relatam , verbum *tranſitivum* appellatur : Ejuſmodi eſt *occidere* , *amare* , *legere* , *ſcribere* , *dare* , *recipere &c.* Hoc poſito , quando verbum intranſitivum adhibemus , ſubjectum & verbum ſufficiunt per ſe ad completam propoſitionem formandam, ut *Lucilius dormit*, *Titius incedit* nulla alterius nominis ope . Quando adhibetur verbum tranſitivum , aliquoties adhuc ſufficit ſolum ſubjectum cum verbo, ut *Titius amat*, *Titius legit* ; multoties verum ad propoſitionis complementum , adhuc nomen alicujus objecti requiritur . Si ego dicerem *Achilles occidit* , quilibet expoſceret ſtatim *quem* ? Ergo propoſitio completa non erit , niſi adjungens Hectorem , Troilum , vel aliud nomen .

Hæc verba , quæ prætet ſubjectum , propter complementum propoſitionis , expoſcunt adhuc alicujus rei nomen , dicuntur hoc idem nomen regere ; & regiminis regula non in alio conſiſtit , quam in modo, quo ſunt hæc nomina exptimenda. Sed ſi verbum præter ſolum nomen non regit , hujus regulæ inſtitutio ex ſe ipſa oritur ; nam alius vere non eget , quam proferre poſt verbum idem nomen , ut in ſe eſt, ſicuti nos itali revera facimus, & adhuc faciunt Galli, Angli, Hiſpani . Verum eſt quod latini hoc nomen caſui accuſativo ponebant, & Græci modo accuſativo, & modo genitivo ponunt. Sed hæc quoque regula quatenus ad inventionem nullam infert majorem difficultatem . Quoniam enim vel barbari noſtri non introducent caſuum deſinentiam , & difficultas ablata erit , aut figent peculiarem deſinentiam ad objecta diſtinguenda , ad quod verbum refertur , a propoſitionis objecto, & cum hoc ipſo regulam figent , quod quando nomina objectum, ad quod verbum refertur, exprimunt , debent illam peculiarem deſinentiam habere.

At quædam verba adjectivum continent , quod eodem tempore ad plura refertur . Si ego dicam *dari* , quilibet a me expeteret *quid* , *&* *cui* ? Hoc ſecundum objectum quo modo exprimi debet ? Galli, Hiſpani , & Itali propoſitionem *a* præmittunt : Anglici præpoſitionem *to* : Græci , & Latini nomen objecti dativo caſui ponebant . Qui modus naturalis eſt ? Ego nullum adinvenio diſcrimen . Qui primum hoc verbo debuerunt uti , & ambo objecta exprimere , non effecerunt fortaſſe, quam nomina unum

poſt

poſt alterum proferre. Tractu temporis viderunt, ambiguitates oriri, ad eas tollendas invenerunt quoddam ſignum ad ſecundum objectum a primo diſtinguendum; qui diverſis nominum inflexionibus profecit, qui maluit propoſitionibus eas ſupplere; uterque vero modus pariter, ac naturaliter eſt ortus.

Quod de hoc verbo fuit dictum, de reliquis omnibus adhuc dicatur. Latini, qui inceperant caſibus uti, ſecuti fuere ad diſtinguendum ſecundum objectum cum diverſis caſibus, juxta verba diverſa, nimirum vel cum ablativo conjuncto eum quadam præpoſitione expreſſa, vel ſubintellecta, ut *petere aliquid ab aliquo*, & *onerare aliquid aliquo pondere*, nimirum cum aliquo pondere, vel cum genitivo ſubintelligendo univerſale nomen, & propoſitionem, ut *accuſare aliquem furti*, nimirum *de crimine furti*; vel cum ſecundo accuſativo recto adhuc a præpoſitione ſubintellecta, ut *docere aliquem aliquid*, nimirum *circa aliquid*; quæ præpoſitiones, ut probabile quoque eſt, quod a principio eſſent expreſſæ, & niſi poſtea fuere ſuppreſſæ, nam faciliter ſubintelligi poterant. Pariter Græci cum his verbis habent nunc eoſdem caſus, & nunc alios diverſos adhibuere. Qui contra nullum caſum initio inſtituere, cauſa ſecundum objectum exprimendi, uſi ſunt diverſis præpoſitionibus. Regulæ regiminis ſunt ortæ diverſe juxta combinationes diverſas, & accidentia, quæ illas produxere, ſed undique naturaliter, ac ſimpliciter a ſeipſis venerunt, & eodem modo apud noſtros barbaros orientur.

Ego credo, me ſatis indigitaviſſe, quo modo barbara Societas ex ſe ipſa inſtitui poſſit & vocabularium, & grammaticam perfectæ linguæ. Non eſt ideo ſupponendum, hoc paucorum annorum opus eſſe debere. Plures generationes, & plura fortaſſe ſæcla requirerentur ut ad quemdam perfectionis ſtatum reduceretur. Primi ex barbaris non inſtituerent, quam paucos terminos faciliores, vel permagne neceſſarios ad ſuum opus. Filii adderent novos, in ratione qua egeſtates eos determinaviſſent, in quo pueri non deſiſtunt profecto, ingenioſiores eſſe; & pluries duos obſervavi, quorum unus circa tres annos habebat, alter duos, qui ſimul continuo viventes, & viciſſim ſuas truncatas voces imitando, ejuſmodi linguam ſibi formaverant, quam ipſi penitus ſoli intelligebant. Popularitate aucta, ſocietate perfectionem ſuſcipiente, introductis, arte, agricultura, commercio, multiplicatis hac de cauſa neceſſitatibus, ideis, relationibus, adhuc termini multiplicarentur, cum quibus has ideas, has neceſſitates, has relationes poſſint illi patefacere. Verum ſuam ultimam perfectionem lingua deberet attendere a ſcripturæ inſtitutione, ac guſtus ſcientiarumque enodatione.

C A P. II.

De Vocum Significatione.

§. I.

Voces ſunt ſigna ſenſibilia cogitationibus inter ſe communicandis inſervientia.

ETiamſi homo multiplices variaſque cogitationes foveat, e quibus alii æque ac ipſemet, utilitatem percipere ſummam, voluptatemque poſſint; hæ omnes tamen ipſius in pectore reconditæ latent, neque ſemet ipſæ hominibus in conſpectu dare poſſunt. Quoniam itaque ſine cogitationum communione haud percipienda eſt iſta communicatio utilitatum, quæ ex hominum inter homines conjunctione naſcitur, neceſſe erat, ut homo externa quædam ſigna excogitaret, per quæ *ideæ* iſtæ ſub oculorum ſenſum haud cadentes, quarum Mens refertiſſima eſt, aliis innoteſcerent: Ad hoc, ſpectata ingenti iſtorum copia, tum quod ad uſum prompti & parati ſunt, nihil æque conducere reperiebatur, ac ſoni iſti articulati, quorum ingens varietas nullo propemodum negotio fundi poſſe viſa eſt. Hinc facile concipimus, quomodo *voces*, quas ad illud aptiſſimas natura finxit, ab hominibus *idearum* ſuarum *ſigna* uſurpentur (*); non ex naturali aliqua connexione, quæ inter ſonos quoſdam articulatos, & *ideas* cernitur, ſic enim unus eſſet omnium ſermo; verum ex impoſitione & arbitrio hominum, qui certas quaſdam voces certarum

(*) *V. App. præc. SOAVE.*

idearum notas eſſe voluerunt (6). Vocabulorum itaque uſus in eo conſiſtit, ut ſenſibilia ſint *idearum* ſigna; atque *ideæ*, quas referunt, ſunt id, quod ſignificant.

§. II.

Voces loquentis ideas ſignant.

Cum harum notarum uſus ſit, vel ut homines *ideas* ſuas ſcriptis tradant, atque ita memoriam ſuam exonerent, vel ut eas in aliorum quaſi aſpectum adducere poſſint; idcirco voces primario & proxime *ideas* tantum ſignificant, quæ in illius, qui iis utitur, mente ſunt, licet minus perfecte aut negligenter *ideæ* iſtæ ab iis, ad quas repræſentandas adhibentur, rebus colligantur (*). Cum aliquis alterum alloquitur, ſolum intendit, ut ſenſum ſuum capiat, atque unicus ſermonis eſt ſcopus, ut ſoni, a loquente prolati, *ideas* ſuas audientibus ſignent. Voces igitur *idearum*, quæ ſunt in animo loquentis, tantummodo ſigna ſunt, nec quis iis proxime pro alterius cujuſvis rei, quam *idearum* ſuarum ſignis, uti poteſt. Hac ratione enim voces homo conceptuum ſuorum notas conſtitueret, atque aliis ideis ſimul eaſdem applicaret; hoc quid aliud eſſet, quam illas *idearum* ſuarum ſigna & non ſigna ſimul efficere; quod perinde eſt, ac ſi diceret, eas nihil omnino ſignificare. Cum voces iis ſigna ſint voluntaria, qui his utuntur non

(6) Potius ex propria conſtitutione organorum, quæ a clymat oritur. Secus deficeret ratio ſufficiens, cur ita voluere, etſi voluntas voces fortaſſe excogitavit.

(*) Verba imitativa excludenda ſunt, in quibus inter ſonum & ideam tam majus legamen eſt, quo magis verbi ſonus, cujus idea ſit excitanda, ad ſonum naturalem accedit. *SUAVE*.

non poſſunt ab homine voluntarie rebus imponi, quas ipſemet ignorat; hoc modo ſigna eſſent nihili & ſoni inanes. Nemo efficere poteſt, ut voces, ab ipſo prolatæ, ſigna ſint aut qualitatum in rebus, aut conceptuum in mente alterius, quorum ſua ipſius mens penitus eſt expers. Donec *ideas* aliquas in ſeinet perſenſerit, haud exiſtimat, illas cum alterius ideis convenire; nec fieri poteſt, ut, ad eas exprimendas, ſigna quædam adhibeat; ejuſmodi enim ſignis nihil omnino ſignificari, perſpicuum eſt. Quando vero per eas, quas in ſe habet, aliorum *ideas* animo ſibi effingit, ſatis apparet, ipſum, ſi modo eas iiſdem, quibus aliis homines, nominibus deſignet ad ſuas, non ad aliorum *ideas* reſpicere.

Hoc in Sermonis uſu neceſſarium adeo eſt, ut, in hoc reſpectu, eruditi, & litterarum plane expertes vocibus, quando per quas aliquid ſignificant, eodem ſenſu utantur. Illæ nimirum in ore omnium eas, quas in animo habent atque aliis exprimere volunt, ideas ſignificant. Puerulus, cum in metallo, cui *auri* nomen impoſitum eſſe audit, non niſi rutilam flavedinem videt, vocem *aurum* ſoli coloris iſtius *ideæ* tribuit; ac proinde colorem eundem, quem mox pavonis in cauda conſpicit, *aurum* appellat. Alius, qui in rebus notandis diligentior eſt, ad rutilam iſtam flavedinem gravitatem adjungit; atque ita per vocem *aurum*, quandocunque ea utitur, rutilæ, flavæ, & ponderoſæ ſubſtantiæ ideam complexam denotat. Alter qualitatibus hiſce fuſibilitatem adjungit; atque hic per vocem *aurum* corpus rutilum, flavum, fuſibile, & ponderoſum ſignificat. Alius ductilitatem addit. Hi omnes vocem *aurum* uſurpant, quotieſcunque *ideam* iſtam, quam animo conceperunt, exprimere velint. Clariſſime vero patet illos omnes *ideam*, quam animo tenent, non autem complexam quandam *ideam*, qualem ipſi neutiquam in ſe ſentiunt, per vocem iſtam ſignare poſſe.

§. IV.

Voces ſæpe clam referuntur primo ad ideas in aliorum mentibus.

ETiamſi autem voces, prout vulgo uſurpantur, proprie & proxime ſolas in animo ſermocinantis *ideas* ſignificent; illi tamen, in cogitationibus ſuis, illas ad alias res duas clanculum referunt.

Primo, perhibent, *voces ſuas ſigna eſſe idearum in aliorum etiam animis, quibuſcum ſermones conferunt:* alioqui nugas agerent, nec intelligi quidem poſſent, ſi ſonos, quos ipſi uni, auditores vero diverſæ *ideæ* applicarent, id quod eſt duabus loqui linguis. In hoc vero homines haud diligenter examinare ſolent utrum ipſimet, atque illi, quibuſcum ſermocinantur, eandem in mente *ideam* habeant, nec ne. Id vero ſatis eſſe credunt, ſi voce utantur, prout in familiari colloquio homines ea uti ſolent; atque ita exiſtimant, eam, quæ ab ipſis ſignatur, ipſam eam *ideam* eſſe, cui omnes melioris notæ homines vocabulum illud attribuunt.

§. V.

Secundo ad ipſam rerum veritatem.

SEcundo, ne homines de meris animi figmentis, non de rebus, prout reipſa exiſtunt, loqui videantur; *perhibent* ſæpiſſime, *voces, a ſe prolatas, ipſam etiam rerum veritatem denotare*. Quoniam vero hoc ad *Subſtantias*, & illarum nomina, magis proprie, prout illud, de quo in proxime præcedente Paragrapho diximus, ad *ſimplices* forſan *ideas* & *Modos*, refertur, de duplici hoc modo vocum diverſe uſurpandarum fuſius mox dicemus, cum *Mixtorum Modorum*, & ſubſtantiarum nomina ſigillatim

tim tractabimus. In præſentia ſaltem mihi obiter dicere liceat, vocabulorum uſum inverti, atque illorum obſcurari confundique ſignificationem, quotieſcunque ad aliud quoddam ſignificandum, præter eas, quæ inſunt in animo noſtro, *ideas* adhibentur.

§. VI.

Ex crebro uſu voces promte ideas excitant.

DE vocibus etiam ulterius conſiderandum eſt, *Primo*, cum ſigna proxima ſunt *idearum*, atque eo pacto inſtrumenta, quorum adminiculo homines conceptus, & cogitationes ſuas cum aliis communicant, (7) *hinc uſu venire*, ut *talis inter ſonos quoſdam*, *& ideas*, *quas afferunt*, *connexio intercedat*, ut nominibus auditis, certæ quædam ideæ perinde fere excitentur, ac ſi illarum objecta ſenſibus jam revera perciperentur. Atque hoc ita plane ſe habet in omnibus qualitatibus, quæ ſenſibus ſunt obviæ, & ſubſtantiis omnibus, quæ in quotidiano & communi ſunt uſu.

§. VII.

Voces ſæpe uſurpantur ſine ulla ſignificatione.

SEcundo, Etſi propria & proxima vocabulorum ſignificatio ſit *ideæ* in mente loquentis; quoniam vero ab ineunte ætate, communi conſuetudine, accidit, ut ſonos quoſdam articulatos perfecte diſcamus, quos ore proferre, & in memoriam revocare, in promtu habemus, quorum tamen de propria ſignificatione examinanda haudquaquam ſolliciti ſumus; hinc

(7) *V. adn.* 37. *tom.* 1., 30. *tom.* 2.

hinc ſæpiſſime accidit, ut homines, eo etiam tempore, quo accuratam ipſarum rerum conſiderationem ingredi volunt, *in vocibus magis, quam rebus, cogitationes ſuas defigant*. Imo, quoniam plurimæ voces prius ſæpe diſcuntur, quam *ideæ* illarum innoteſcunt: idcirco plurimi, iique non ſolum pueruli, verum ætate etiam provectiores, pſittacorum ritu, voces quaſdam non alia ratione edunt, quam quod ita fuere inſtituti, atque ita loqui conſuevere. Quatenus vero uſus aliquis aut ſignificatio vocibus ineſt, eatenus inter ſonum & *ideam* conſtans eſt & perpetua connexio, atque deſignatio, alterum pro altera poni. Atque ſine ejuſmodi vocum applicatione, non niſi ſoni inanes eſſent.

§. VIII.

Significatio illarum plane ab arbitrio dependet.

VOces ex diuturno & familiari uſu, ut ſuperius dictum eſt, certas quaſdam *ideas* conſtanter adeo confeſtimque in hominibus excitant, ut, quod exinde conſequitur, has inter ſe naturali vinculo cohærere homines arbitrentur. Voces vero cujuſque proprias *ideas*, idque ex hominum arbitrio & inſtitutione, ſignificare exinde patet, quod ſæpe in aliis (qui eodem ſermone utuntur) non eaſdem *ideas* excitant, quarum eas ſigna eſſe arbitramur. Atque unuſquiſque adeo ſanctum jus habet, vocibus, quaſcunque voluerit *ideis* exprimendi, ut nemo efficere poſſit, ut alii eaſdem, quas ipſemet, ideas in mente habeant, cum iiſdem vocibus utuntur. Cæſar itaque *Auguſtus*, cujus imperio omnia tenebantur, confitebatur ſe novum vocabulum Romana civitate donare non potuiſſe: quod perinde erat, ac ſi dixiſſet, haud ipſi liberum fuiſſe, ſtatuere, cujuſnam *ideæ* ſonus aliquis in civium ſuorum ore & ſermone quotidiano ſignum

eſſe

eſſe lebeat. Fateor equidem communem conſuetudinem, tacito quodam conſenſu, in omnibus gentium omnium linguis certos quoſdam ſonos certarum *idearum* adeo proprios ac peculiares facere, ut voce iſta abuteretur, ſi quis alteri ideæ iſtam adjungeret: Sed addo etiam, haud ſenſum illius capi poſſe, cujus verba non eaſdem in audiente *ideas* excitant, quas ſermone iſto exprimunt. Quicquid vero abſurdi illud ſit, quod ex eo ſequitur, quod quis vocibus utatur ſecus, ac uſus communis, aut illius ſenſus fert, cum quo ſermocinatur, hoc certiſſimum eſt, eas illius tantum *ideas*, qui vocibus utitur, & non aliud quicquam ſignificare poſſe.

C A P. III.

De Terminis Univerſalibus.

§. I.

Pars maxima vocum ſunt genericæ.

CUm univerſa, quæ exiſtunt, ſint ſingularia, rationi forſan conſentaneum videri poſſet, ut voces, quæ rebus conformes eſſe debent, ita ſe etiam in ſignificatione habeant: rem vero aliter ſe habere patet. *Maxima pars dictionum*, e quibus gentium omnium ſermo conſtat, *ſunt termini generales*. Neque hoc ab hominum incuria, aut caſu, ſed ratione, & neceſſitate profectum eſt.

§. II.

Fieri non poteſt, ut rei cuique particulari nomen imponatur.

PRimo, *Fieri non poteſt, ut rei cuique ſingulari diſtinctum ac peculiare nomen imponeretur.* Cum enim ſignificatio & uſus vocum e connexione iſta pendeant, quam mens efficit inter *ideas* ſuas, & ſonos iſtos, quibus *idearum* ſignis utitur, neceſſarium eſt, ut mens, cum nomina rebus tribuit, diſtinctas rerum *ideas* habeat, & nomen ſingulare retineat, quod uniuſcujuſque proprium eſt. Tranſcendit enim vires humani ingenii, rerum omnium, quæ ſe paſſim nobis offerunt, diſtinctas effingere & conſervare *ideas*: Haud volucres, & beſtiæ ſingulæ, haud arbores plantæque, quæ ſenſibus ubique objiciuntur, in mente vel capaciſſima locum reperirent. Si prodigio ſimile videatur, Imperatores quoſdam memoria adeo valuiſſe, ut ſingulos milites ſuis nominibus appellare potuerint: ratio in promptu eſt, cur homines pecudes ſingulas in gregibus ſuis, quemlibet corvum capita ipſorum circumvolitantem; multo minus plantarum folia, aut arenæ grana omnia peculiari nomine ſignare haud aggreſſi unquam fuerint.

§. III.

Supervacaneum inſuper eſt.

SEcundo, quod ſi etiam fieri poſſet, *ſupervacaneum tamen foret*, cum haud conducat ad illud conſequendum, quod ſermo præcipue ſpectat. Fruſtra homines rerum ſingularium nomina congererent, quæ cogitationibus inter ſe communicandis modo nullo inſervirent. Nomina diſcimus, eaque in familiari cum aliis colloquio ideo tantum uſurpamus, ut quod dicimus, ab

ab iis intelligatur. Quod tantummodo fit, quando ex communi conſuetudine aut conſenſu, ſonus iſte, qui organis loquendi a me efficitur, in audientis animo eandem *ideam* excitat, quam ipſe in me habeo, cum vocem illam mitto. Hoc per nomina fieri nequit, rebus ſingularibus impoſita; quarum cum ipſemet tantum *ideas* in mentem habeam, illarum nomina haud ab alio intelligi poſſunt, qui iſtarum rerum omnium, quæ mihi notæ ſunt, nullam cognitionem unquam habuit.

§. IV. *Tertio*, At ſi demus hoc fieri poſſe, (quod mihi contra videtur) *haud permagni tamen illud momenti foret ad rerum cognitionem promovendam, ſi rei unicuique diſtinctum nomen imponeretur*: ea enim cognitio, etſi in rebus ſingularibus fundatur, amplificatur tamen & latius extenditur per rerum generalium contemplationem; ad hoc proprie conducit, ut ſub nominibus communibus Entia in claſſes digerantur. Res iſtæ generales & illarum nomina certos intra terminos continentur, neque ſingulis momentis multiplicantur, ultra quam mens capere poteſt, aut uſus poſtulat. Homines itaque maxima ex parte in hiſce ſubſtiterunt; non ita tamen, ut, quando id commodum videtur, res ſingulares nominibus propriis nullo modo deſignandas eſſe arbitrentur. Proinde in propria ipſorum ſpecie, cum qua maxime conſueſcunt, & in qua hominum ſingularium mentio crebra fieri neceſſario debet; nominibus propriis utuntur, atque diſtinctis Individuis diſtinctæ denominationes tribuuntur.

§. V.

Quæ res propriis nominibus ſignatæ ſunt.

PRæter perſonas, *regionibus* etiam, *urbibus*, *fluviis*, *montibus* atque locorum aliis ejuſmodi diſtinctionibus, ob eandem rationem peculiaria nomina tribuuntur; cum res ſint, quas homines crebris inter ſe ſermonibus uſurpare neceſſum habent. Atque nullus dubito, quin, ſi ſingularium equorum mentio æque neceſſaria eſſet, ac virorum, *nomina propria* non minus familiariter illis quam hominibus tribuerentur; nec *Alexandri* magis in uſu foret, quam *Bucephali* nomen. Idcirco videmus, haud uſitatius eſſe equiſonibus, famulos ſuos, quam, quos a ſe invicem diſcerni volunt, equos propriis nominibus appellare: quoniam inter illos hujus aut iſtius ſingularis equi, quando procul eſt a conſpectu, mentio ſæpe neceſſario incidit.

§. VI.

Quomodo voces generales fiunt.

PRoxime quærendum eſt, *quomodo voces generales fiant*. Cum enim omnia, quæ exiſtunt, ſingularia ſint, undenam voces univerſales nanciſcimur, aut communes iſtæ naturæ reperiendæ ſunt, quas hæ voces ſignificant? Voces ideo communes ſunt, quod ſigna fiunt *idearum generalium*: atque *Ideæ* fiunt generales, ſi ab iis circumſtantias temporis, aut loci, aut alias omnes *ideas*, quæ determinant illas ad hanc aut illam exiſtentiam ſingularem, ſeparamus. Poſt hujuſmodi abſtractionem plura ſimul individua repræſentare poſſunt, quorum ſingula, cum in ſe ad abſtractam iſtam ideam conformentur, ſunt (ut dicimus) generis iſtius.

§. VII.

§. VII. Ut vero hoc exquiſitius paulo indagemus, haud fortaſſe alienum erit, noſtræ rerum cognitionis, atque nominum illarum originem fontemque ipſum aperire, atque ita gradus & progreſſus animadvertere, quibus a tenera ætate *Ideas* noſtras amplificamus. Nihil exploratius eſſe poteſt, quam, *ideas*, quas pueruli ſibi de iis, quibuſcum conſueſcunt, hominibus formant, (ut ab iis ſolis exemplum petam) hominibus convenire ipſis, & eſſe tantum ſingulares. *Ideæ* nutricis & matris in illorum animo recte formantur, atque, haud ſecus, quam picturæ illarum, ibi illa tantum Invidua repræſentant. Nomina, quæ primum iis tribuunt, Individua iſta ſpectant, atque nomina *Nutrix* & *Mamma*, quibus puerulus utitur, ad iſtas tantum *ideas* referuntur. Poſtea cum temporis progreſſu & diuturna conſuetudine, vident, plurimas eſſe res alias in mundo, quæ in communi quadam convenientia formæ externæ, atque aliarum quarundam qualitatum, patri ipſorum & matri ſimiles ſunt, nec non aliis iſtis, quibuſcum conſuevere; *ideam* effingunt, cujus illos omnes participes eſſe comperiunt, quam ipſi, prout alii, *hominis* nomine ſignant. Hoc modo fit, *ut nomen generale*, atque *ideam* communem adipiſcantur. Qua ratione nihil novi efficiunt, verum ex ea, quam habuere, *idea* complexa *Petri* & *Jacobi*, *Mariæ* & *Eliſabethæ*, quod ſingulis peculiare eſt, rejiciunt, atque illud tantum retinent, quod commune eſt omnibus.

§. VIII. Eodem modo, quo commune nomen atque *ideam hominis* nanciſcuntur, ad *nomina* & cognitionem *magis generalem* facile progrediuntur. Animadvertentes enim, res pluriinas, quæ ab ipſorum, quam habent, *hominis idea* differunt, & proinde nomine iſto comprehendi nequeunt, quaſdam tamen qualitates habere, in quibus cum homine conveniunt, illas tantum qualitates retinentes, eaſque in *idea* una con-

conjungentes, aliam rurſum eamque magis univerſalem *ideam* adipiſcuntur; cui cum nomen impoſuere, vocabulum efficiunt, quod latius extenditur. Quæ nova *idea* efficitur, haud aliquid de novo adjiciendo, verum, ut ſuperius jam docuimus, exteriorem tantum formam, atque alias quaſdam qualitates rejiciendo, *hominis* nomine ſignatas, & retinendo corpus tantummodo, una cum vita, ſenſu, & *motu ſpontaneo*, quæ *animalis* nomine comprehenduntur.

§. IX.

Naturæ generales nihil ſunt niſi naturæ abſtractæ.

HUnc eſſe *modum*, *quo homines primum generales ideas*, & *nomina illarum effinxerunt*, manifeſtum adeo eſt, ut ad illud probandum ſufficere putem, ſi quis ſeipſum, aut alios atque progreſſum iſtum intuebitur, quo mens ad rerum cognitionem vulgo nititur. Atque is, credo, qui naturas aut notiones generales, aliud eſſe putat, quam *abſtractas* iſtiuſmodi aut *partiales* complexarum magis *ideas*, quæ a ſingulari quadam exiſtentia primo deſumuntur, haud ſciet, ubinam eas reperturus ſit. Videat enim quis, in quonam *idea* ſua *hominis* ab iſta *Petri* & *Pauli*, aut *idea* ſua *equi*, a *Bucephali idea* differant, niſi in eo, quod aliquid ſit prætermiſſum, quod peculiare eſt ſingulis individuis, atque illud ſit ſervatum in ſingularibus iſtis *ideis* complexis, diverſorum entium ſingularium, in quo convenire deprehenduntur. *Idearum* complexarum, quæ per vocem *hominem* & *equum* exprimuntur, ſingulares iſtas omittendo, in quibus diſcrepant, atque eas tantum inſerendo, in quibus conveniunt, atque ex iis diſtinctam novam *ideam* complexam efficiendo, cui nomen *animalis* imponitur, vocem magis univerſalem

adi-

adipiſcimur, quæ, una cum homine, multas alias res creatas complectitur. Si ex *idea animalis*, ſenſum, & motum ſpontaneum rejiciamus, quæ ſupereſt *idea* complexa, conflata ex ideis ſimplicibus reliquis corporis, vitæ, & nutritionis, fit univerſalior idea, quæ generali magis & latius patente nomine *Viventis* deſignatur. Et ne in hiſce per ſe claris diutius immoremur, eodem modo mens progreditur ad *corpus*, *ſubſtantiam*, & poſtremum ad *ens*, *rem*, atque iſtiuſmodi voces univerſales, quæ *ideas* noſtras quaſcumque deſignant. Ut verbo dicam, totum hoc *Myſterium Generum* & *Specierum*, quæ ſcholarum intra parietes tot controverſias excitarunt, extra ſcholas vero nihil, nec immerito, fiunt, nihil aliud eſt, præter *ideas* abſtractas, magis minuſve extenſas, quibus certa quædam nomina aſſignamus. In quibus omnibus hoc conſtans & exploratiſſimum eſt, vocem unamquamque univerſaliorem *ideam* denotare, quæ pars eſt, tantummodo illarum, quæ ſub ea continentur.

§. X.

Cur Genus in definitionibus vulgo adhibetur.

HInc liquet, *cur*, *in vocibus definiendis*, quod nihil eſt, niſi illarum ſignificationem explicare, *ſemper uſurpemus Genus*, aut proximum nomen generale, quod illud complectitur. Quod non ex neceſſitate fit, verum ut labore ſuperſedeamus, qui naſcitur ex enumeratione *idearum* omnium Simplicium, quas proxima vox generalis, ſive *Genus* ſignificat; aut fortaſſe nonnunquam ad pudorem evitandum, qui ex ignoratione iſtius enumerationis oritur. Etſi vero *definitio* per *Genus* & *Differentiam*, uti Logici loquuntur, eſt breviſſima; puto tamen dubi-

dubitari poſſe, an ſit optima. Hoc certo ſcio, eam haud ſolam eſſe, & proinde haud abſolute neceſſariam, rationem definiendi. Cum enim definire nihil aliud ſit, quam vocibus efficere, ut alius intelligat, quamnam *ideam* vox, quæ definitur, evolvat, definitio optime efficitur, ſimplices iſtas *ideas* ſi enumeramus, quæ in definitæ vocis ſignificatione continentur. Et ſi, loco enumerationis ejuſmodi, moris eſt hominibus, proximum nomen generale uſurpare, non id ex neceſſitate provenit, aut propter majorem perſpicuitatem; verum compendii & feſtinationis ergo. Si enim ſcire cupienti, quam *ideam* vox *homo* ſignet, quis diceret, hominem eſſe extenſam ſubſtantiam ſolidam, vita, ſenſu, motu ſpontaneo, & diſſerendi facultate præditam, nullus dubito, quin vox *homo* atque *idea*, cujus ſignum eſt, æque ad minimum cognita forent, ac cum definitur *Animal rationale*; quod per diverſas definitiones *animalis*, *viventis*, & *corporis*, ſe in enumeratas iſtas *ideas* reſolvit. In voce *hominis* explicanda, communem hic & pervagatam ſcholarum definitionem ſecutus ſum: quæ etiamſi, fortaſſe, haud accuratiſſima ſit, ſatis tamen ad noſtrum hoc inſtitutum accommodata eſt. Ex allato exemplo videre eſt, quidnam præbuerit anſam regulæ iſti, *Definitio debet conſtare ex Genere & differentia*; atque nobis ſatis oſtendit, iſtiuſmodi regula quam minimi ſit uſus. Definitiones enim, ut dictum eſt, cum explicationes tantum ſint vocis unius per plures alias, ita ut ſenſus, ſive *idea*, quam ſonat, certo cognoſcatur. Linguæ haud ſemper juxta Logices regulas ita conſtruuntur, ut vocis uniuſcujuſque ſignificatio, per duas alias perfecte clareque exprimi poſſit: Contrarium experientia plane deprehenditur; atque ii, qui regulam hanc conſtruxerunt, in eo peccarunt, quod tam paucas definitiones, iſti conſentaneas nobis tradiderunt. De *Definitionibus* vero fuſius in ſequenti Capite.

§. XI.

§. XI.

Generale & Univerſale fœtus ſunt intellectus.

UT ad voces generales redeamus, perſpicuum eſt, ut dixi, *generale* & *univerſale*, haud pertinere ad veram rerum exiſtentiam; verum fœtus eſſe & figmenta intellectus ab eo in proprios uſus excogitata, & ad ſigna tantum pertinent, ſive voces ſint, ſive *ideæ*. Voces generales ſunt, ut dictum eſt, quando uſurpantur pro ſignis generalium *idearum*; atque ita, rebus multis ſingularibus ſine diſcrimine applicari poſſunt; atque *ideæ* ſunt generales, quando adhibentur ad multas res ſingulares repræſentandas. Univerſalitas vero haud pertinet ad res ipſas, quæ omnes, prout exiſtunt, ſingulares ſunt, haud exceptis vocibus & *ideis* iſtis, quæ univerſales ſunt in ſignificatione. Quando igitur ſingularia mittimus, univerſalia, quæ remanent, mentis noſtræ figmenta tantummodo ſunt, natura illorum generalis nihil aliud eſt, quam potentia, quam mutuamur ab intellectu, ad plura ſingularia ſimul repræſentanda. Significatio enim, quam habent, relatio tantum eſt, quæ per mentem humanam iis adjungitur.

§. XII.

Ideæ abſtractæ Generum & Specierum eſſentiæ ſunt.

PRoxime itaque conſiderandum eſt, *quodnam ſignificationis genus ad voces generales ſpectet*. Ut enim liquido patet, eas non unam tantum rem ſingularem ſignificare; ſic enim haud voces generales, verum nomina propria eſſent: ita, contra, haud minus perſpicuum eſt, eas non res plures ſignificare; ſic

ſic enim *homo* & *homines* idem ſignificarent; atque numerorum diſtinctio (prout a Grammaticis vocantur) inutilis & ſupervacanea foret. Quod igitur voces univerſales ſonant, eſt ſpecies rerum ſingularis; quatenus nimirum ſingulæ ſigna ſunt *idearum* in animo, quibus *ideis*, juxta ac res exiſtentes, congruæ ſunt, ita ſub nomine iſto collocantur; aut, quod idem ſonat, ad ſpeciem iſtam pertinent. Unde patet, *Specierum eſſentias* nihil aliud eſſe, præter abſtractas haſce *ideas*. Cum enim res aliqua certæ cujuſdam ſpeciei propterea ſit, quod ſpeciei iſtius eſſentiam habet; cumque nomen ad rem propterea de jure pertineat, quod ideæ conformatur, cui nomen annectitur; idcirco eſſentiam iſtam habere, atque ita conformari unum idemque neceſſario ſunt: quoniam ſpeciei alicujus eſſe, & ad ſpeciei iſtius nomen jus habere, idem ſunt. Exempli gratia, eſſe *hominem*, aut ſpeciei *hominis*, ac ad nomen *hominis*, jus habere, idem eſt; Rurſum, eſſe *hominem*, aut ſpeciei *hominis*, atque *hominis* eſſentiam habere, idem ſonat. Quoniam igitur eſſe *homo*, aut ad nomen *hominis* jus habere, nihil poteſt, niſi quod conforme eſt *ideæ* abſtractæ, quam vox *homo* ſignificat; nec eſſe *homo*, aut ad *hominis* ſpeciem jus habere, niſi quod ſpeciei iſtius eſſentiam habet, ſequitur, *ideam* abſtractam, quam nomen denotat, atque ſpeciei eſſentiam, unum idemque eſſe. Hinc in proclivi eſt, animadvertere, eſſentiam ſpecierum Entium, & ita etiam differtam illorum deſignationem opus eſſe, & figmentum intellectus, quoniam intellectus, abſtrahendo, generales iſtas *ideas* efficit (δ).

§. XIII.

(δ) *V. adn.* 30. 33. *tom.* 2.

§. XIII.

Figmenta ſunt in intellectu , verum in rerum ſimilitudine fundamentum habent .

NOllem , ut exiſtimarent homines, me hic oblivisci , multo minus inficiari , naturam , in rerum productione , effeciſſe , ut plurimæ ex iis magnam inter ſe ſimilitudinem habeant . Nihil uſitatius eſt , præſertim in animalium genere , atque iis omnibus , quæ ſemine propagantur . Dicere tamen fas eſſe , puto , deſignationem illarum certis adjectis factam nominibus , *opus eſſe intellectus* , *anſam arripientis ex ſimilitudine* , quam in iis animadvertit , abſtractas & generales *ideas* effingendi , eaſque in animo collocandi , una cum nominibus annexis , pro exemplis , aut formis , (in ea enim ſignificatione vox *forma* proprie uſurpatur) quibus prout entia ſingularia convenire comperiuntur , ita ad ſpeciem , ſive denominationem iſtam pertinent , aut in eam *claſſem* digeruntur . Cum enim dicimus , hunc *hominem* , iſtum eſſe *equum* ; hanc *juſtitiam* , iſtam *crudelitatem* ; hoc *horologium* , hanc *lagenam* eſſe ; quid hoc aliud eſt , quam res complecti diverſis nominibus ſpecificis , tanquam *ideis* iſtis abſtractis congruentes , quarum nomina iſta ſigna eſſe efficimus ? Quid vero ſunt eſſentiæ ſpecierum iſtarum , quæ nominibus ita deſignantur , præter abſtractas iſtas *ideas* in animis ; quæ quaſi vinculo ſunt inter entia ſingularia & nomina , ſub quibus collocanda ſunt ? Et cum nomina univerſalia cum entibus ſingularibus aliquam connexionem habent , abſtractæ hæ *ideæ* quaſi *medium* ſunt , quo colligantur : adeo ut ſpecierum eſſentiæ , prout diſtinguuntur & denominantur a nobis , neque ſint , neque poſſint eſſe aliud , quam ipſæ iſtæ *ideæ* , quas in mente habemus . Proinde ſi eſſentiæ ſubſtantiarum , quas veras perhibemus , ab *ideis*

noſtris abſtractis diſcrepent, nequeunt eſſe ſpecierum eſſentiæ, ſub quibus res a nobis diſtribuuntur. Duæ enim ſpecies perinde una eſſe poſſunt, ac diverſæ duæ eſſentiæ eſſe eſſentia unius ſpeciei: Et libenter ſcire vellem, quænam ſint mutationes iſtæ, quæ in equo, aut plumbo ita fieri, vel non fieri poſſunt, ut illa tamen haud in ſpeciem alteram immutentur. Ad hoc facilis reſponſio eſt, ſi rerum ſpecies per abſtractas noſtras *ideas* determinantur: Ad hoc vero explicandum, ſi quis ad veram eſſentiam confugerit, in errorem, puto, abripietur; nec ſcire poterit ipſum temporis articulum, quo res quæpiam *equi*, aut *plumbi* ſpeciei eſſe deſinit (9).

§. XIV.

Diſtincta unaquæque idea abſtracta eſt eſſentia diſtincta.

NEc mirum cuipiam videbitur, quod dicam *eſſentias* haſce, aut abſtractas *ideas* (quæ menſuræ ſunt nominum, & ſpecierum metæ,) *opus eſſe intellectus*, qui ſecum conſideraverit, complexas ideas ſaltem eſſe, quæ in multorum hominum mente ſæpe diverſæ ſunt collectiones *idearum* ſimplicium; Ita nimirum uni iſta *avaritia* eſt, quæ alteri non eſt. Quin imo, in ſubſtantiis, ubi *ideæ* abſtractæ a rebus ipſis deſumi videntur, haud conſtanter eædem ſunt; nec quidem in ſpecie iſta, cum qua uſu & conſuetudine conjunctiſſimi ſumus: ſæpius enim adeo dubitatum eſt, utrum fœtus, a fœmina procreatus, homo ſit, ut res controverſa fuerit, utrum ali & ſacro fonte lavari debuerit, nec ne: Secus ſe res haberet, ſi abſtracta *idea* aut eſſentia, ad quod nomen *hominis*

(9) *V. Analyſ. intell. pag.* 245. *tom.* 1.

nis ſpectat, a natura efficeretur; & non incerta eſſet & multiplex collectio *idearum* ſimplicium, quas intellectus conjungit, & ita, abſtractione facta, nomen iſti imponit. Adeo ut revera, *diſtincta unaquæque idea abſtracta, eſſentia diſtincta ſit*: Atque nomina, quæ diſtinctas iſtiuſmodi *ideas* ſignant, ſunt rerum nomina, quæ ſecundum eſſentiam differunt. Ita nimirum *circulus* a figura *ovata* non minus ſecundum eſſentiam differt, quam *ovis* ab *hirco*; neque pluvia minus a nive, quam aqua a terra; fieri quippe non poteſt, ut *idea* iſta abſtracta, quæ unius eſt eſſentia, cum altera communicetur. Hac ratione duæ quædam *ideæ* abſtractæ, quæ aliquo modo inter ſe diſcrepant, una cum diſtinctis duobus nominibus annexis, diſtinctas duas *Species* conſtituunt, ſecundum eſſentiam æque differentes, ac alias duas, quam maxime oppoſitas, & a ſe invicem ſejunctas.

§. XV.

Reales & nominales eſſentiæ.

QUandoquidem nonnulli cenſent (nec quidem immerito) rerum eſſentiam penitus eſſe incognitam, operæ pretium erit diverſas *vocis Eſſentiæ ſignificationes contemplari*.

Primo, Eſſentia ſumi poteſt pro eo, per quod res eſt id, quod eſt. Hoc modo in ſubſtantiis generatim, vera, interna & incognita rerum conſtitutio, a quibus notæ illarum qualitates pendent, illarum *Eſſentia* dici poteſt. Hæc propria, primaria & ingenita eſt ſignificatio vocis, id quod ex formatione iſtius patet. Hoc ſenſu ſemper uſurpatur, cum de ſingularium rerum eſſentia loquimur, nec nomen aliquod iis tribuimus.

Secundo, Ex quo ſcholarum inſtitutiones, & diſputationes circa *Genus* & *Speciem* verſatæ fuerunt,

 vox

vox *eſſentia* primariam ſuam ſignificationem propemodum amiſit; & veræ rerum conſtitutionis loco, artificiali conſtitutioni *Generis* & *Speciei* prorſus fere applicata eſt. Scio equidem, vulgo credi, veram eſſe conſtitutionem generum omnium rerum; atque non dubium eſt, eſſe aliquam veram conſtitutionem, e qua collectionem quamvis idearum ſimplicium coexiſtentium pendere neceſſe eſt. Cum vero perſpicuum ſit, res certis nominibus in *Genera* aut *Species* diſtribui, prout conveniunt tantum certis quibuſdam *ideis* abſtractis, quibus nomina iſta a nobis ſunt annexa, fit, ut *Generis* aut *Speciei* cujuſque eſſentia nihil aliud ſit, quam abſtracta iſta *idea*, quam *nomen* generale aut peculiare ſignificat. Hoc illud eſſe comperiemus, quod vox *Eſſentia* in uſu ſuo pervagatiſſimo denotat. Harum eſſentiarum altera puto, haud improprie dici poteſt *vera* ſeu *realis*, altera *nominalis eſſentia*.

§. XVI.

Inter nomen & nominalem eſſentiam perpetua eſt connexio.

INter *nominalem eſſentiam*, & *nomen*, *arcta* adeo *connexio* eſt, ut nomen generis cujuſdam rerum nulli enti ſingulari tribui poſſit, niſi, quod hanc eſſentiam habet, per quam abſtractæ iſti *ideæ* convenit, cujus nomen illud ſignum eſt (10).

§. XVII.

(10) V. *adn.* 2. *tom.* 11

§. XVII.

Opinio hæc, ſpecies per veram ſuam eſſentiam diſtingui, prorſus inutilis eſt.

DE vera corporearum ſubſtantiarum eſſentia (ut de iis tantum mentionem faciam) duæ, ni fallor, opiniones ſunt. Una illorum, qui vocem *eſſentiæ* quidem uſurpant, ſed quid ſibi velit, neſciunt, & exiſtimant definitum eſſe numerum eſſentiæ iſtius, juxta quam res omnes naturales fiant, & cujus omnes ſint participes, atque ita ad hanc aut illam ſpeciem pertineant. Altera, eaque rationi maxime conſentanea, opinio eſt illorum, qui exiſtimant, res omnes naturales veram habere, ſed ignotam nobis, partium, quas ſentire non poſſumus, conſtitutionem, unde, quas ſentimus, qualitates fluunt, quibus inter ſe diſcernuntur, quoties opus fuerit, eas nominibus communibus in *genera* diſtribuere. Prima opinio, quæ multiplicem eſſentiam hanc perhibet, tanquam certum quendam exemplorum ſive typorum numerum, quo omnes, quæ exiſtunt, res naturales quaſi conjiciantur, & illorum æqualiter participes ſint, Philoſophiæ naturali plurimum, opinor, tenebrarum offudit. Frequentes monſtrorum in omni genere animantium procreationes, homines mentis impotes nati, atque alii partus monſtroſi in humano genere, ejuſmodi difficultates habent, quæ cum hac *hypotheſi* conſiſtere nequeunt. Æque minus enim fieri poteſt, ut res duæ, ejuſdem veræ eſſentiæ plane participes, quam, ut duæ figuræ ejuſdem veræ eſſentiæ circuli participes, diverſas habeant proprietates. In hac *hypotheſi* ſi nihil aliud improbandum eſſet, hæc certe opinio, qua *eſſentias ita perhibemus*, *quæ ſciri nequeunt*, & eas nihilominus illud eſſe ſtatuimus, quod rerum ſpecies a ſe invicem ſecernat, inutilis eſt & ne hilum nobis in rerum cognitione inveſti-

ganda inſervit; & id unicum ſufficere poſſet, ut eam rejiciamus, atque ſatis habeamus, ejuſmodi generum aut ſpecierum entium eſſentiam amplecti, qualem cognitione noſtra aſſequi poſſumus. Quod, cum diligenter examinatum fuerit, nihil aliud, ut dixi, eſſe comperiemus, præter abſtractas iſtas *ideas* complexas, quibus diſtincta nomina generalia a nobis annexa ſunt.

§. XVIII.

Realis & nominalis eſſentia in ideis *& modis ſimplicibus eadem, in ſubſtantiis diverſa eſt.*

Cum itaque *Eſſentia* in *nominalem* & *realem* ſeu *veram* diſtinxerimus, ulterius obſervare licet in ſimplicium *Idearum* & *Modorum ſpeciebus eam ſemper eandem*, *in ſubſtantiis vero*, *penitus diverſam eſſe*. Ita figura, ſpatium includens inter tres lineas, tam *realis* eſt, quam *nominalis* eſſentia trianguli; cum non ſolum *idea* ſit abſtracta, cui nomen generale annectitur, verum rei ipſius eſſentia, atque fundamentum & fons ille, unde omnes iſtius proprietates fluunt, & cui ita colligatæ ſunt, ut ſeparari nequeant. Multo vero aliter ſe res habet in portione iſta materiæ, e qua annulus, quem in digito habeo, efficitur, in qua duæ iſtæ eſſentiæ plane diverſæ ſunt. Realis enim eſt partium iſtius, quas non videmus, conſtitutio, e qua pendent omnes iſtæ proprietates coloris, ponderis, fuſibilitatis, fixitatis, &c. quæ in illa reperiuntur. Conſtitutio iſta nobis ignota eſt; quare cum ſingulari iſtius *idea* haud imbuti ſimus, ſequitur, neque nomen nos habere, quo ſignari poſſit. Color vero eſt, pondus, fuſibilitas, & fixitas, &c. quod efficit, ut aurum ſit, vel, ut nomen auri jure ad eam pertineat; quod proinde *nominalis* iſtius *eſſen-*

eſſentia eſt. Nihil enim aurum appellari poteſt, niſi quod in qualitatibus conveniat cum abſtracta iſta *idea* complexa, cui nomen illud annectitur. Cum vero diſtinctio hæc eſſentiæ ſubſtantiarum ſit propria, de hiſce fuſius mox cum de illarum nominibus dicendum erit, agemus (11).

§. XIX.

Eſſentia generari & corrumpi non poteſt.

Abſtractas iſtiuſmodi, quas memoravimus, *ideas, cum nominibus annexis, rerum eſſentiam eſſe*, ulterius patet ex eo, quod de eſſentia vulgo dicitur, nimirum, ea generari & corrumpi non poſſe. Quod dici nequit de vera ſeu reali rerum conſtitutione, utpote quæ ſimul cum iis oritur & interit. Omnia, quæ in rerum natura exiſtunt, præter conditorem illorum, mutationi ſunt obnoxia; ea præſertim, quæ nobis maxime obverſantur, quæque, diſtinctis nominibus, in claſſes diſtribuimus. Ita, quod gramen erat hodie, cras in carnem ovillam; atque paucos intra dies in hominis ſubſtantiam convertitur. Ex quibus mutationibus emergit, veram eſſentiam, ſeu conſtitutionem, e qua hujuſmodi entium proprietates pendent, diſſolvi penitus, atque ſimul cum iis interire. Eſſentiæ vero, cum pro *ideis* ſumantur in mente collocatis, cum certis nominibus annexis, eædem conſtanter manere concipiuntur, utcumque ſingulares ſubſtantiæ immutentur.

(11) Eſt diſtinguenda *natura* ab *eſſentia*, de hac vide *adn.* 2. *tom.* 1. de illa dici poteſt, quod ſit vis, qua quicquam ſuas exerit actiones „ vel id, in quo hæc vis eſt conſtituta „ hæc diſtinctio nobis lumen præbet, quo poſſit internoſci quid res ſit, a quo, ope cujus res ſuos producit effectus.

Quicquid enim de *Alexandro* fiat, & *Bucephalo*, *ideæ* tamen, quibus *homo* & *equus* aſſignantur, eædem manere cenſentur; atque ita ſpecierum iſtarum eſſentia, integra manet & incorrupta, utcunque ſpecierum Individuo immutentur. Hoc modo ſpeciei eſſentia conſervatur, haud ullo Individuo exiſtente. Si enim nullus nunc circulus uſque exiſteret, (prout, fortaſſe, haud figura iſta ubique accurate deſcripta eſt) *idea* tamen, nomini iſti adjecta, haud deſineret illud eſſe, quod eſt; atque exemplar eſſe, cujus juxta normam ſtatuendum eſt, quænam e figuris ſingularibus, in quas incidimus, ad nomen circuli jus habeant, vel non habeant, & proinde, eſſentiam iſtam ita habentes, ad ſpeciem iſtam pertineant. Et licet beſtia iſta, quæ *Unicornis*, aut piſcis, qui *Siren* appellatur, haud in rerum natura ſit, neque extitiſſet unquam; cum tamen perhibeamus, nomina iſta complexas *ideas* & abſtractas ſignificare, quæ nullam in ſe repugnantiam continent; *Sirenis* æque ac hominis Eſſentia intelligi poteſt; & *Unicornis*, non minus certa, ſtabilis & conſtans eſt, quam *Equi*, *idea*. Ex dictis patet, iſtam doctrinam, qua Eſſentia mutari poſſe negatur, probare, eam abſtractas tantummodo *ideas* eſſe, atque niti Relatione ſancita inter eas, & certos ſonos, tanquam ſigna illarum, & veram ſemper fore, quamdiu nomen idem ſignificationem iſtam habebit.

§. XX.

Ἀνακεφαλαίωσις.

UT breviter omnia dicam, *Generum* & *Specierum*, atque eſſentiæ iſtorum ſumma eſt, quod homines *ideas* abſtractas conficientes, eaſque cum nominibus annexis, in animo recondentes, res ita, in faſciculos quaſi congeſtas, uno intuitu contemplentur,

tur, & proinde faciliori negotio ipſimet adipiſcantur, & cum aliis rerum cognitionem communicent, quæ non niſi tardos progreſſus haberet, ſi ſermones illorum, & cogitationes ſingularibus tantum rebus includerentur.

C A P. IV.

De nominibus Idearum Simplicium.

§. I.

Nomina Idearum ſimplicium, Modorum, & ſubſtantiarum, ſingula aliquid peculiare habent.

ETſi voces omnes, ut dixi, nihil proxime ſignificant, niſi *ideas* in animo loquentis; tamen rem propius intuentes, videbimus *nomina Idearum ſimplicium, Modorum mixtorum,* (in quibus Relationes etiam comprehendo) *& ſubſtantiarum naturalium, ſingula habere aliquid peculiare*, & ab aliis diverſum.

§. II.

Primo nomina Idearum ſimplicium, & ſubſtantiarum, realem exiſtentiam innuunt.

PRimo, *Nomina ſimplicium* idearum *& ſubſtantiarum*, una cum abſtractis *ideis* in animo, quas proxime ſignant, *innuunt* etiam *realem exiſtentiam aliquam*, unde ortum eſt primum ipſarum exemplum.

plum. *Nomina* vero *Modorum mixtorum*, in idea *terminantur*, quæ in animo eſt, nec cogitationes ulterius ducunt. De hoc vero fuſius in Capite ſequenti agemus.

§. III.

Secundo, nomina Idearum ſimplicium & Modorum ſemper nominalem & realem eſſentiam ſignificant.

SEcundo, *Nomina Simplicium* Idearum *& Modorum, realem ſemper, æque ac nominalem eſſentiam ſpecierum ſuarum ſignificant. Subſtantiarum* vero *naturalium nomina*, raro aut nunquam aliud quid *ſignificant*, *quam nominalem eſſentiam* ſpecierum iſtarum, quod in Capite oſtendemus, quod *nomina ſubſtantiarum* ſpeciatim tractat.

§. IV.

Tertio, ſimplicium Idearum nomina definiri nequeunt.

TErtio, *Nomina Idearum ſimplicium nequeunt definiri*; omnium vero *complexarum* nomina poſſunt. A nemine, quod ſciam, hactenus animadverſum eſt, quænam voces capiant, quænam reſpuant definitionem. Hinc, credo, magnæ ſæpius altercationes, & obſcuritates ortæ ſunt in ſermone hominum, dum nonnulli vocabulorum definitiones poſtulant, qui nequeunt definiri; atque alii putant, explicationem ipſis ſatisfacere debere, quæ fit verbo alio generaliori & eo, quod ſenſum ejus adſtringit, vel, ut Logicorum more loquar, per *Genus* & *Differentiam*, licet, ad regulam directa hac definitione audi-

audita, ſæpiſſime haud clariorem, quam prius, vocis ſignificationis intelligentiam habent. Puto ſaltem, haud alienum eſſe a noſtro inſtituto oſtendere, quænam voces ſint, quæ non ſint definitionum capaces, & in quonam conſiſtat bona Definitio: fieri poteſt, ut horum ſignorum naturæ, atque *ideis* noſtris lucis tantum hinc afferatur, ut hæc accuratior iſtius facta diſquiſitio perutilis videatur.

§. V.

Si omnia definiri poſſent, daretur progreſſus in infinitum.

NOn hic illud argumentum uſurpabo, quod dicitur, fore nimirum progreſſum in infinitum, ſi daremus, nomina omnia definiri poſſe. Si enim unius definitionis voces, per aliam ſemper definiendæ eſſent, ubinam tandem ſubſiſteremus? Ipſe vero & natura idearum noſtrarum, & vocum ſignificatione oſtendam, *cur nomina quædam poſſint, alia non poſſint, definiri*, & quænam illa ſint.

§. VI.

Definitio quid?

INnter omnes, puto, convenit, *Definitionem nihil aliud eſſe, quam explicationem ſignificationis vocis unius per plures voces haud ſynonymas*. Cum vocum ſignificationes nil niſi *ideæ* ſint in animo loquentis; ſenſus cujuſdam vocis explicatur, ſeu vox definitur, quando per alias voces, *idea*, cujus ſignum vox iſta eſt, & cui in loquentis animo connectitur, repræſentatur quaſi, aut alterius aſpectui ſubjicitur; atque ita certa ſignificatio iſtius exprimitur. Hic Definitio-

num

num uſus & ſcopus eſt unicus ; & ita etiam unica regula eſt, ſeu criterium bonæ, vel malæ Definitionis (12).

§. VII.

Simplices ideæ cur definiri nequeunt ?

HOc præmiſſo, dico, *nomina Idearum ſimplicium*, eaque ſola, *non poſſe definiri*. Ratio eſt, quia diverſæ Definitionis voces, cum varias ideas ſignificent, nequeunt ſimul *ideam* repræſentare, quæ omni compoſitione prorſus caret. Quare Definitio, quæ proprie nihil aliud eſt, quam vocis unius explicatio per alias, haud rem eandem ſignificantes, in nominibus *idearum* ſimplicium locum habere nequit (13).

§. VIII.

Exemplum petitur a Motu.

EX diſcriminis hujus neglectu in *ideis* noſtris, & illarum nominibus, ortæ ſunt inſignes iſtæ nugæ in ſcholis, quæ paſſim occurrunt in *idearum* ſimplicium definitionibus. Illarum enim partem maximam, arguti iſti in definiendi arte Magiſtri propterea prætermittere neceſſum habuere, quod definiri non poterant. Ecquid humanum ingenium excogitare potuit ineptius iſta definitione, *Actus Entis in potentia, quatenus in potentia?* quæ quidem homini rationis participi, cui manifeſta iſtius abſurditas antea non nota erat, negotium faceſſeret conjectura augurari, cujuſnam vocis explicatio eſſet. Si *Tul-*

(12) Melius credam, poſſe definiri definitionem „ per ideam „ diſtinctam, completam ſermone expreſſam „.
(13) Potius ex eo quia non internoſcuntur characteres.

Tullio interroganti, quid Belgica vox *Bevveeginge* ſignificet, *Batavus* Latine reſponderet, eſſe *actum Entis in potentia, quatenus in potentia*; rogo, utrum quis exiſtimet, potuiſſe Ciceronem vocis iſtius ſignificationem intelligere, aut conjectura *ideam* colligere, quam Batavus communiter in animo habet, quando ſonum iſtum profert.

§. IX.

Item.

NEc quidem Philoſophorum recentiorum, qui ſpinas ſcholarum & tortuoſi ſermonis obſcuritatem aſpernantes, perſpicuitati ſtuduerunt, ſtudia ſua, in *ideis* ſimplicibus definiendis, aut illarum cauſas explicando, aut alio quodam modo, felicius ſucceſſerunt. *Atomici*, qui Motum eſſe definiunt *tranſitum ab uno loco in alium*, quid aliud, quam vocem unam ſynonymam pro alia uſurpant? Quid aliud enim eſt *tranſitus*, quam *motus*? Et ſi rogarentur, quid ſit *tranſitus*; quomodo eum melius definirent, quam per *motum*? Annon enim æque ſaltem conſonum eſt dicere, *tranſitus eſt motus ab uno loco in alium*, ac eſt dicere, *Motus eſt tranſitus*, &c. hoc eſt vocem ex uno ſermone in alium transferre, non definire, quando, cum voces duæ ſunt ejuſdem ſignificationis, una alterius loco ſumitur; quæ cum una notior eſt altera, oſtendere poteſt, quænam *Idea* ignotam ſignificet; longe vero abeſt a definitione, niſi forte dicamus, vocem unamquamque Gallicam in Dictionario, eſſe definitionem vocis Latinæ, cui reſpondet, atque ita Gallicam vocem *mouvement* eſſe definitionem vocabuli Latini *motus*. Neque *applicatio ſucceſſiva partium ſuperficiei corporis unius, ad partes corporis alterius*, quæ Carteſiana definitio eſt, *motum* melius definiet.

§. X.

Lumen,

A*Ctus perſpicui*, *quatenus perſpicuum eſt*, alia eſt Peripatetica definitio *Ideæ* ſimplicis; quæ etiamſi non magis abſona eſt, quam prior iſta motus definitio, quam tamen inutilis ſit, nihilque omnino ſignificet, hinc oſtenditur, quod ſua quemque experientia facile docebit, eam haud efficere poſſe, ut *lumen* (quod explicare vult) omnino a cæco intelligatur. Motus vero definitio haud prima fronte adeo inutilis eſſe deprehenditur, quoniam ad normam hanc haud exigi poteſt. Cum enim ſimplex hæc *Idea* tactu æque ac viſu mentem ſubeant; fieri non poteſt, ut quis afferatur qui non alio quodam modo, quam per nominis iſtius definitionem, motus *ideam* fuerit adeptus. Nec, cum *Carteſiani* dicunt, *lumen magnam eſſe multitudinem globulorum minutorum fundum oculi agiliter ferientium*, illud ad noſtram intelligentiam magis accommodatum eſt, quam quod in ſcholis dicitur: Voces tamen iſtæ, utcunque clare intelligantur, haud efficerent, ut *idea*, quam vox *lumen* ſonat, notior eſſet homini, qui prius eam ignorabat, quam ſi quis diceret, lumen nihil aliud eſſe, quam multitudinem ingentem pilularum, quales in ſphæriſteriis cernuntur, quibus lemures reticulorum ope quorundam hominum frontes diurno tempore conſtanter feriunt, dum prætereunt alios. Dato enim, quod ejus explicatio vera eſſet: *Idea* tamen cauſæ luminis, utcunque eam accuratiſſime teneremus, haud magis nos *idea* imbueret luminis ipſius, cum hæc ſingularis quædam perceptio ſit in nobis, quam *idea* figuræ & motus ferri præacuti, *ideam* impertiret doloris iſtius, quem in nobis excitare poteſt. Cauſa enim cujuſdam ſenſationis, atque ſenſatio ipſa, in *ideis* omnibus ſimplicibus ſenſus unius, duæ ſunt *ideæ*; eæque diverſæ adeo, ut non aliæ quædam magis a ſe invicem diſtare poſſint. Quare, ſi globuli *Carteſii* ferirent per-

perpetuo *retinam* hominis, cui *Gutta ſerena* oculorum uſum ademit, haud exinde luminis *ideam* aliquam haberet, licet, quid ſint minuti globuli, quid corpus aliud ferire, pro certo ſciret. Hinc Carteſiani, qui hoc probe animadverterunt, accurate diſtinguunt inter hoc *lumen*, quod cauſa eſt ſenſationis, quæ, viſo quodam objecto, in nobis excitatur, & inter ideam, quæ ab hac cauſa in nobis producitur, quæ proprie *Lumen* eſt.

§. XI.

Simplices ideæ *cur definiri nequeant, ulterius explicatur.*

IDeas *ſimplices*, prout ſuperius oſtendi, *per iſtas tantum impreſſiones adipiſcimur*, quæ ab ipſis objectis in animo fiunt. Niſi hoc modo animum ſubeant, voces omnes, *quotquot adhibeantur ad explicanda illarum nomina*, *ideas*, *quas denotant*, *nunquam in animo noſtro producere poterunt*. Voces enim cum ſoni tantum ſint, non alias *ideas* ſimplices in nobis excitare poſſunt, quam ſonorum iſtorum, neque aliter, quam per voluntariam iſtam connexionem, quam conſtat intercedere inter illas atque ſimplices iſtas *ideas*, quarum uſus communis eas ſigna eſſe effecit. Secus ſi quis cogitat, velim, periculum faceret, utrum, vocum quarundam ope, pomi Cybeles ſaporem jucundiſſimum percipere poſſit. Quatenus narratur illud, ſimilitudinem habere cum aliis ſaporibus, quorum jam ideas habet in memoria, per objecta, quæ ſentire poſſumus, ibi impreſſas, quibus palatum ejus aſſuetum eſt; eatenus ſimilitudinem iſtam in mente attingere poteſt. Hoc vero non eſt, *ideam* iſtam nobis per definitionem exhibere, verum alias *ideas* ſimplices in nobis excitare, per nota illarum nomina; quæ a pomi iſtius vero ſapore multum diſcre-

ſcrepabunt. In lumine & coloribus, atque aliis omnibus *ideis* ſimplicibus idem eſt. Sonorum enim ſignificatio, non a natura, ſed ab arbitrio & hominum impoſitione profecta eſt. Atque nulla definitio *Lucis* ut *Rubedinis*, magis idonea eſt, quæ ullam ex *ideis* iſtis in nobis produceret, quam vox *lumen*, aut *rubrum*, per ſe (*). Si quis enim luminis aut *coloris ideam* per ſonum, quocunque modo, producere contendit, quid hoc aliud eſt, quam expectare, ut ſoni videri, aut colores audiri poſſint; & ab auribus poſtulare, ut munere aliorum omnium ſenſuum fungantur? Quod perinde eſt, ac si diceret, nos aurium beneficio *guſtare*, *olfacere*, & *videre* poſſe: Quæ Philoſophia eſt digna *Sancho Pancha*, qui amatam ſuam *Dulcineam* auditu vidiſſe dicitur. Is igitur, cujus animum *idea* ſimplex, quæ voce quadam effertur, haud prius ingreſſa eſt, haud capiet unquam ſenſum vocis iſtius per alias quaſvis voces aut ſonos, quovis modo, juxta regulas definitionis, copulatos. Hoc

(*) Ut termini definitio nihil eſt aliud, quam ideatum numeratio, quæ ſub eo comprehenduntur, ſic manifeſtum eſt, nomen quod unam ſolam ideam continet, nunquam definiri poſſe. Ejuſmodi nomen eſt *lux*. Modus eſt quoque, ut dentur ideæ ſimplices aliorum terminorum ope, niſi exacta cognitio, quæ impoſſibilis eſt, ſaltem aliqua longinqua notio. Illud eſt, indicare vel cauſam, qua idea ſimplex nobis excitatur, vel effectum, quem in nobis producit, vel circumſtantias, quæ illud comitantur. Qui cæco diceret, lucem ſubtiliſſimam materiam eſſe, quæ vel directe ad oculos noſtros mittitur, vel reflectitur, quapropter eos penetrando nobis datam ſenſationem excitat, quod nos ſenſationem hanc ad objecta referimus in prompriori ac meliori modo, quam de odoribus ſonibuſque efficimus, quod hujus ope nos diſtantiæ, poſitionis, figuræ, magnitudinis objectorum æqualem nanciſcimur cognitionem, & promptiorem, quam per tactum &c. adipiſcitur; certo non efficeret, quod cognoſceret quid ſit lux, ſed ei ſaltem daret hujus termini notionem quamdam, quam primum non habebat ille, & eo magis extenſa eſſet, quo magis lucis proprietates ei deſcribetentur. *SOAVE*.

Hoc fit tantummodo, objectum ſenſibus admovendo; atque ita *ideam* eliciendo, cujus nomen ante didicerat. Cæcus quidam ingenioſus, qui in objectis, quæ videri poſſunt, multum operæ collocavit, atque librorum & amicorum explicatione uſus eſt, ad ea, quorum mentio ſæpe incidit, *luminis*, & *colorum* nomina intelligenda; aliquando gloriatus eſt, ſe, quid ſit *coccinum*, jam didiciſſe: Roganti deinde amico quid eſſet? cæcus reſpondit, ſimile eſſe tubæ ſonitui. Hujuſmodi intelligentiam nominis alterius cujuſdam *Ideæ* ſimplicis is comparaturus eſt, qui Definitione tantum, aut aliis vocibus ad explicandum adhibitis, ſe eam adepturum ſperat (14).

§. XII.

Contrarium in ideis *complexis per exempla oſtenditur, a Statua & Iride petita.*

SEcus ſe res habet in *Ideis complexis*; cum hæ a plurimis ſimplicibus conſtent, voces, quæ diverſas *ideas* ſignificant, ex quibus complexio iſta fit, complexas *ideas* in animo imprimere poſſunt, quæ antea inibi non erant, atque ita efficere, ut illarum nomina intelligantur. In *Idearum* collectionibus hujuſmodi, uno nomine comprehenſarum, *definitio*, ſive vocis unius explicatio, per plures alias, locum habet, *atque efficere poteſt*, ut *rerum nomina intelligamus*, quæ nunquam in ſenſus incurrebant, atque *ideas* effingamus conſentaneas iis, quæ ſunt in aliorum mente, cum nomina iſta uſurpant: Dummodo nulla definitionis vox ullam ſimplicem *ideam* denotet, quæ illius, cui res iſta ita explicatur, cogitatio-

(14) Id eſt ex eo quia non habetur de eis idea diſtincta, ac adæquata, & definitio debet hanc ſermone indicare.

nem nunquam ſubiit. Ita vox *Statua* cæco per alias voces explicari poteſt, vox autem *pictura* nequit; quoniam ſenſus quidem figuræ *ideam* iſti impertierunt, non vero colorum, qui idcirco haud in ipſo vocibus ullis ſignari poſſunt. Hinc Pictor victoriam a Statuario reportavit; orta enim inter eos diſceptatione de artificii præſtantia, Statuarius ſuum propterea anteferendum gloriatus eſt, quoniam latius pateat, atque ii, qui oculorum uſum amiſerunt, excellentiam iſtius percipere poſſint. Pictor conſenſit, ut cuidam cæco controverſiæ iſtius dirimendæ facultas concedatur. Adducitur ille ad locum, in quo poſita erat ſtatua ab altero facta, & tabula ab altero picta; primo in ſtatua, oris & corporis totius lineamenta omnia manibus contrectans, ſimulacrum illud ſingulari opera artificioque perfectum vehementer admiratus eſt. Poſtea ad picturam adducto, circumſtantes dixere, ipſum nunc caput, deinde frontem, oculos, naſum, &c. tetigiſſe, dum picturam, nullo partium diſcrimine percepto, manibus peragravit; unde ſtatim exclamavit, ſtupendum illud & divinam quoddam artificium fuiſſe quod omnes iſtas partes ipſis in tabula exhibuerit, in qua ipſe nihil perſentire poſſet.

§. XIII. Si quis vocem *Iridis* coram homine uſurparet, colorum, quibus conſtat, haud ignaro, qui tamen *phænemenon* illud nunquam vidiſſet, is, enumeratione facta figuræ, magnitudinis, ſitus, & ordinis colorum, vocem iſtam ita definiret, ut perfecte intelligi poſſet. Iſta tamen definitio, quomodocunque perfecta, haud efficeret, ut cæcus eam intelligeret; quoniam, cum plurimæ e ſimplicibus *ideis*, quæ complexam iſtam conſtituunt, tales ſint, quales ille nunquam per ſenſationem aut experientiam recepit, haud vocibus poſſunt in animo ejus excitari.

§. XIV.

§. XIV.

Nomina idearum complexarum quando per voces explicari poſſunt.

IDeæ ſimplices, ut oſtenſum eſt, experientia tantum ab objectis iſtis hauriuntur, quæ apta ſunt ad perceptiones iſtas in nobis producendas. Quamprimum mens iis hoc modo repleta eſt, atque illarum nomina nobis ſunt cognita, tunc *poſſumus definire*, & definiendo nomina intelligere *idearum* complexarum, quæ ex iis coagmentantur. Quando vero vox quædam *ideam* ſimplicem ſignificat, quæ nunquam erat in animo, ſignificatio iſtius nullis vocibus explicari poſſit. Cum contra vox quædam denotat *ideam*, cui homo jam aſſuetus eſt, verum ignorat, vocem iſtam illius ſignum eſſe, ibi per ejuſdem *ideæ* nomen aliud, cui uſus ipſum aſſuefecit, ſignificatio iſtius eluceſcere poteſt. Nulla vero ratione nomen ullius ſimplicis *ideæ* capax eſt definitionis.

§. XV.

Quarto, nomina idearum ſimplicium omnium dubia ſunt.

QUarto, Etſi nomina *Idearum ſimplicium* haud definitionis ſubſidio utuntur ad ſignificationem ſuam finiendam, illud tamen non obſtat, quin *dubia minus & incerta vulgo ſint, quam Modorum mixtorum, & Subſtantiarum nomina*. Cum enim illa unam tantum ſimplicem perceptionem ſignent, homines, maxima ex parte, de illarum ſignificatione facile conſentiunt, & ita nulla fere datur errandi aut deſcipiendi occaſio. Qui ſemel novit, *albedinem* eſſe nomen coloris iſtius, quem in *nive*, aut *lacte* animadvertit, voce iſta vix abutetur quamdiu *ideam* iſtam

retinet; ea quando animo ejus excidit, non ſtatim in vocis ſignificatione errat, verum, ſe illam haud intelligere plane, percipit. Hic neque ingens multitudo eſt *idearum* ſimplicium, in congeriem unam jungendarum, unde ambiguitas in nominibus *Modorum Mixtorum* provenit; neque exiſtimata, verum incognita realis eſſentia, una cum attributis, ab ea pendentibus, quorum definitus etiam numerus ignoratur, quæ cauſa eſt ambiguitatis & difficultatis omnis in Subſtantiarum nominibus. Contra vero, in *ideis* ſimplicibus tota nominis ſignificatio ſimul cognoſcitur, neque e partibus conſiſtit, quarum cum plures aut pauciores inſerantur, *idea* variari, atque ita nominis iſtius ſignificatio obſcura, aut anceps eſſe poſſit.

§. XVI.

Quinto ſimplices ideæ raros habent aſcenſus in Linea prædicamentali.

QUinto, circa *Ideas Simplices*, & illarum nomina, ulterius notari poteſt, ea *non niſi paucos habere aſcenſus* in Linea Prædicamentali, (ut a Logicis dicitur,) *a Specie infima ad ſummum Genus*. Cujus ratio eſt, quod, cum ſpecies infima una tantum ſit *idea* ſimplex, nihil ex ea rejici poteſt, ut, differentia ita ſublata, cum alio ente aliquo convenire poſſit in *idea* quadam, quæ utrique communis ſit; & quæ, cum non niſi unum nomen habeat, Genus ſit aliorum duorum; *v. g.* ex *idea albi* & *rubri* nihil removeri poteſt, quo magis in communi aliqua forma conveniant, atque ita uno nomine generali utantur; ſicut *Rationalitate* e complexa *idea* hominis rejecta, fit, ut cum beſtia conveniat in *idea* & nomine magis generali *Animalis*. Quare, cum ad enumerationum tædia effugienda, homi-

homines *album* & *rubrum*, atque alias ejuſmodi *ideas* ſimplices uno nomine generali complecti vellent; neceſſum habuere, id per vocem efficere, quæ modum denotat, quo mentem ſubeunt. Cum enim *album*, *rubrum*, & *flavum* ſub *Genere* comprehendontur ſive nomine *coloris*, eas tantum *ideas* ſignat, quæ in animo per viſionem unice producuntur, & quarum ingreſſus fit per oculos tantum. Et cum vocem univerſaliorem adhuc effingere vellent, qui *colores* & *ſonos*, atque ſimplices ejuſmodi ideas complecteretur, vocem uſurpant, quæ omnes eas ſignat, quæ mentem per unicum tantum ſenſum ingrediuntur: Ita nimirum vox generalis *Qualitas*, prout communiter accipitur, in ſe includit colores, ſonos, ſapores, odores, & qualitates, quæ tangi poſſunt, quatenus diſtinguuntur ab extenſione, numero, motu, voluptate & dolore, quæ ſpecies in animum ſignant, atque *ideas* ſuas per plures ſenſus introducunt.

§. XVII.

Sexto, nomina idearum ſimplicium ideas denotant, quæ non omnino ab arbitrio hominum proficiſcuntur.

SExto, nomina *Idearum* ſimplicium, Subſtantiarum, & Modorum mixtorum in hoc differunt; quod nomina *Modorum mixtorum ideas ſignent penitus ab hominum arbitrio proficiſcentes*: *Subſtantiarum* vero nomina, *ideas* non ita ſe penitus habentes; quoniam ad *exemplum referuntur*, *licet aliqua latitudine*: *Nomina idearum ſimplicium* a rerum exiſtentia plane deſumuntur, nec *arbitrio noſtro omnino effinguntur*. Quodnam hinc diſcrimen horum nominum ſignificatione oriatur, Capitibus ſequentibus videbimus.

Nomina Modorum ſimplicium, ab *Idearum* ſimplicium nominibus parum diſcrepant,

C A P. V.

De Modorum Mixtorum & Relationum nominibus.

§. I.

Nomina Modorum Mixtorum ideas abſtractas ſignificant, ut alia nomina generalia.

MOdorum mixtorum nomina, cum ſint univerſalia, ſignificant, ut oſtenſum eſt, Genera & Species rerum, quarum ſingulæ peculiarem habent eſſentiam. Harum etiam ſpecierum eſſentia, ut monſtravi, nihil aliud eſt, quam abſtractæ *ideæ* in animo, quibus certa nomina annectuntur. Hactenus nomina & eſſentia *Modorum mixtorum* nihil continent, niſi quod commune eſt ipſis cum aliis *ideis*: Si tamen ea propius inſpexerimus, videbimus, iis aliquid peculiare eſſe, quod fortaſſe operæ pretium erit diligenter attendere.

§. II.

Primo, Ideæ, quas ſignificant, fiunt ab intellectu.

PRimo, de iis obſervandum eſt, *ideas* abſtractas, aut, ſi mavis, eſſentiam diverſarum ſpecierum *Modorum mixtorum ab intellectu fieri*, in quo ab *Ideis* ſimplicibus differunt: Harum enim nullam animus efficere poteſt; verum eas tantum recipit, quæ ipſi exhibentur per ipſam rerum exiſtentiam in eum operantium.

§. III.

§. III.

Secundo, ex arbitrio fiunt, & ſine exemplis.

SEcundo; *Eſſentiæ* hæ *ſpecierum Modorum mixtorum*, non mentis tantum figmenta ſunt, verum ex arbitrio etiam fiunt, ſine exemplo quodam, aut reſpectu ad ullam realem exiſtentiam. In hoc a ſubſtantiarum eſſentia differunt, quæ requirunt Ens aliquod reale, a quo deſumantur, & cui congruant. In complexis vero *Ideis* Modorum mixtorum, mens ſibi integrum eſſe putat, haud rerum exiſtentiam accurate ſequi. Conjungit illa retinetque certas quaſdam collectiones, tanquam diſtinctas totidem *ideas* ſpecificas, dum aliæ, quæ in natura haud rarius occurrunt, neque obſcurius a rebus externis exhibentur, ſilentio prætermittuntur ſine nomine, aut diſerta quadam deſignatione. Neque mens in hiſce Modorum mixtorum, uti in complexis *ideis* ſubſtantiarum, eas ad ipſam rerum exiſtentiam exigit, aut exemplorum veritatem, quæ in rerum natura ex certa quadam compoſitione conſtant. Num quis, ſcire exoptans, utrum *idea* ſua *adulterii*, aut *inceſtus*, vera ſit, nec ne, eam inter res re ipſa exiſtentes inveſtigabit? Num propterea vera eſt, quod quis facti teſtis & ſpectator fuerit? Minime gentium. Verum hic ſatis eſt, quod in unam *ideam* complexam *ideæ* congerantur, quæ *Archetypum*, aut ſpecificam *ideam* efficiunt, ſive actus ejuſmodi unquam in *rerum natura* patratus fuerit, nec ne.

§. IV.

Hoc quomodo fit.

UT hoc recte intelligamus, conſiderandum eſt, *in quonam conſiſtat harum complexarum idearum conſtructio hæc*; haud nimirum in nova quadam *idea* efficienda, verum in iis conjungendis; quæ prius erant in mente. Atque in hoc mens hæc tria facit: Primo, numerum *idearum* definitum eligit. Secundo, connectit eas, & in unam *ideam* conjungit. Tertio, nomine uno eas colligat. Si quæramus, quomodo mens in hiſce progrediatur, quam in iis licentiam uſurpet, in proclivi erit animadvertere, quomodo eſſentiæ hæ ſpecierum Modorum mixtorum, opus ſint mentis, & ita ſpecies ipſæ ab hominibus fiant.

§. V.

Ab hominum arbitrio eas proficiſci, ex eo liquet, quod idea Modi mixti ſæpe prior ſit exiſtentia rei, quam repræſentat.

NEmo in dubium illud vocabit, num hæ Modorum mixtorum *Ideæ* fiant e voluntaria collectione *Idearum* in mente conjunctarum, an ex quibuſdam archetypis ſive exemplis in rerum natura obviis, pendeant, qui ſecum reputaverit, genus hoc *idearum* complexarum fieri, abſtrahi, atque nominibus ſignari, & proinde ſpeciem conſtitui prius poſſe, quam ſpeciei iſtius ullum Individuum in rerum univerſitate unquam extiterit. Num quis dubitat, quin *ideæ Sacrilegii*, aut *Adulterii*, in mente hominum effingi, quin nomina iis imponi, atque ita ſpecies iſtæ Modorum mixtorum conſtitui potuerint, priuſquam facinus utrumvis fuerit admiſſum; nec minus, cum adhuc non niſi in intellectu exiſterent, mul-

multa in utramque partem de iis diſſeri, & veritatem inveſtigari potuiſſe, quam noſtro tempore, quo nimis frequentem habeant realem exiſtentiam? Unde emergit, *genera Modorum mixtorum figmenta eſſe intellectus*, in quo exiſtentiam habent non minus accommodatam ad omnes veritatis & cognitionis uſus, quam ſi re ipſa exiſterent (15). Nec dubium eſt, quin legislatores ſæpenumero legibus actiones quaſdam prohibuerint, quæ non niſi in ipſorum mente exiſtebant. Nec quis, puto, inficiabitur, *Reſurrectionem mortuorum* Modorum mixtorum ſpeciem quandam eſſe, quæ in animo prius, quam reipſa, exiſtit.

§. VI.

Exempla petita ab homicidio, inceſtu, jugulatione &c.

UT compertum habeamus, *quomodo hæc Modorum mixtorum eſſentia ad mentis plane arbitrium fingatur*, ſatis erit, eorum unumquemvis, qui nobis ſunt cogniti, breviter perſtringere. Primum ſtatim liquet, mentem eſſe, quæ diverſas *ideas* diſperſas, & quarum nulla ab altera dependet, in complexam unam ideam colligit; quæque communi iſto, quod iis adjicit, nomine efficit, ut certæ cujuſdam ſpeciei eſſentia ſint, nulla ratione ad vinculum aliquod naturale habita, quo ſimul connectuntur. In ipſa enim rei natura quanto majorem connexionem habet *hominis*, quam *ovis idea*, cum idea *jugulationis*, ita, ut idea *jugulationis* conjuncta ideæ *hominis* producat peculiarem actionis ſpeciem, quæ vocatur *cædes*; ideæ vero *ovis* conjuncta, non item. Quanto majorem etiam connexionem in ipſa natura habet idea

(15) *V. adn.* ⁊⁊. *tom.* 1., 41, *tom.* 2.

idea relationis *Patris* cum idea *interemptionis*, quam quidem hæc poſterior cum idea *Filii* aut *vicinii*? quod *ideæ* iſtæ in complexam unam congeſtæ fiant eſſentia ſpeciei diſtinctæ *parricidii*, cum aliæ haud diverſam ſpeciem conſtituant? Licet vero ita comparatum ſit, ut patris matriſve cædes ſpecie differat a filii aut filiæ interemptione; tamen in caſibus quibuſdam, filius & filia includuntur etiam, & ad ſpeciem eandem pertinent, uti nimirum in *inceſtu* ſe res habet. Quare clariſſime patet, mentem pro arbitrio ſuo *Mixtis in modis* in *ideas* complexas conjungere eas ſimplices ideas, quas ad hoc idoneas eſſe judicat; dum aliæ, quæ in natura non minorem habent connexionem, vagæ & ſolutæ eſſe permittuntur, nec in *ideam* unam colligantur unquam, quoniam haud iis opus eſt nomine uno. Et niſi hoc ita ſe haberet, undenam eſſet, quod eam armorum partem obſervemus, qua incipit vulneratio, ut hanc actionis ſpeciem ab omni alia diſtinctam reddamus; quam Anglice appellamus (a) *Stabbing*, dum neque figuræ neque materiæ armorum ipſo-

(a) Nihil melius probat Lockii argumentum ſuper hac idearum ſpecie, quam *mixtorum modorum* nominat, præter impoſſibilitatem, quam habet hoc verbum *Stabbing* in gallicam linguam vertere; uſus illius eſt in anglicana lege innixus, qua qui hominem occidit percutiendo cum gladio hiſpanienſi, morte damnatur abſque veniæ ſpe, contra qui occidunt cum enſe gratiam obtinere poſſunt. Lex antea conſiderata diverſo modo has duas actiones conſiderat, quapropter debet particularem ſpeciem efficere hujus actus, nimirum *de tuer en frappant d' eſtoc*, & vocabulo *Stabbing* eam indigitare. Gallicus terminus ad illum proximus eſt *poignarder*, ſed eandem ideam minime præciſe exprimit. Quia *poignarder* tantum indicat *bleſſer*, *tuer avec un poignard, ſorte d'arme pour frapper de la pointe, plus courte qu' une epée*: econtra vocabulum anglicanum *Stab* ſignificat occidere cum acumine armorum, ut eſt illa. Hac de re ſola res, quæ hanc actionis ſpeciem conſtituit, eſt punctim cum armis interficere, nec refert an longa, an brevia ſint, quod gallice unico verbo, ſi non fallor, exprimi nequit. COSTE.

ipſorum rationem habemus? Non hoc ſine cauſa fieri, dixerim; videmus enim quotidie contrarium. Dico tantummodo, quod illud libera mentis voluntate fiat, quæ eo modo ad fines ſuos tendit, & quod ita *Modorum mixtorum* ſpecies ſint opus Intellectus; nec quid exploratius eſſe poteſt, quam mentem maxima ex parte in *ideis* hiſce formandis haud in natura exemplaria indagare, quæ ſibimet proponat ad imitandum, nec *ideas*, quas effingit, ad ipſam rerum exiſtentiam referre; verum eas tantum congerere, quas ad inſtitutum ſuum maximè accommodatas eſſe cenſet.

§. VII.

Ad ſermonis tamen finem accommodatæ ſunt.

Etſi verò *ideæ* hæ complexæ, ſive *Modorum mixtorum eſſentiæ*, e mente pendent, & ad ejus arbitrium non ſine magna licentia effinguntur, non tamen temere ac fortuitò, & ſine ullo conſilio congeruntur. Quamvis etiam haud ad naturæ ſemper præſcriptum exprimantur, ad finem tamen referuntur, cujus gratia *ideæ* abſtractæ excogitatæ erant: Et licet *idearum* complexiones ſint quæ libère ſunt & ſolutæ, nec in ſe magis conjunguntur, quam plurimæ aliæ, quas mens nunquam in *ideam* unam colligat; communitati tamen & conjunctioni humanæ inſerviunt, quod in ſermone præcipue ſpectatur. Sermonis uſus eſt facile & per compendium generales conceptus ſignificare; in quibus non ſolum ſingulares plurimæ contineri, verum ingens etiam multitudo *idearum*, quarum nulla ab altera dependet, in unam complexam congregari poſſunt. In *Modorum* itaque *mixtorum* ſpeciebus formandis, homines eos tantum complexus reſpexere, de quibus in ſermone quotidiano mentionem facere opus erat. Ex iis diſtinctæ

ideæ

ideæ complexæ conficiuntur, nominibuſque ſignantur, dum aliæ prætermittuntur, quæ natura non minus inter ſe connexæ ſunt, neç tamen conjunguntur. Exemplo mihi ſint actiones humanæ; Si diſtinctæ *ideæ* abſtractæ fierent, ex ingenti iſta varietate, quæ in iis cernitur, qui inde oriretur numerus, neceſſario eſſet infinitus; tantaque *Idearum* copia nimiam memoriæ moleſtiam nequicquam exhiberet. Satis eſt, ſi homines tot *ideas* complexas *Modorum mixtorum* efficiunt, quot uſu quotidiano opus eſſe vident, ut nominibus deſignent. Si interfectionis *ideæ*, *ideam* patris, aut matris adjungunt, atque ita ſpeciem conſtituunt diverſam a filii, aut vicini interemtione, id fit propter diſparem atrocitatem criminis & gravius ſupplicium, quod in eum conſtituitur, qui parentem, quam, qui filium aut vicinum interfecerit. Atque ideo neceſſarium fuit, ut illud diſtincto nomine efferretur, quod eſt finis, quem in mente homines ſibi conſtituunt, cum hanc ſingularem ſuſcipiunt conjunctionem. Etſi vero *idearum matris* & *filiæ*, ratio adeo diverſa eſt, cum referuntur ad *ideam cædis*, ut una iſti copuletur, ad diſtinctam *ideam* abſtractam cum nomine annexo, atque ita novam ſpeciem conſtituendam, altera non item; attamen cum venereos complexus reſpiciunt, ambæ ſub *inceſtu* continentur; propter eandem nimirum commoditatem complectendi nomine, & ſpecie una impuros iſtos concubitus; quorum turpitudo præ aliis inſignis eſt & illuſtris, idque compendii ergo & ad verborum ambages, quibus in ſermone facile creatur nauſea, evitandas, facimus.

§. VIII.

§. VIII.

Ex eo probatur, quod voces quædam nequeant e ſermone alio in alium transferri.

QUi in ſermone diverſarum gentium mediocriter tantum verſatus eſt, facile de hac re, quod niſ mirum homines ex arbitrio diverſas Modorum mixtorum ſpecies efficiant, certior fiet; uſus enim docet, magnum eſſe *vocum numerum in lingua una, quibus nullæ in alia quadam reſpondent*. Id quod plane oſtendit, ex moribus & hominum conſuetudine contigiſſe, ut in alia regione plures *ideas* complexas effecerint, nominaque iis tribuerint, quæ aliis in gentibus haud in *ideas* ſpecificas coagmentatæ fuerint. Hoc fieri non potuiſſet, ſi ſpecies iſtæ conſtans & ſtabile naturæ opus eſſent, & non potius congeries a mente factæ, & propterea abſtractæ, ut nominibus ſignarentur, atque vitæ communis & ſermonis quotidiani uſibus inſervirent. Voces juris noſtri municipalis, quæ non ſunt ſoni inanes, alias vix reperient, ſibi reſpondentes, apud *Hiſpanos*, aut *Italos*, quorum haud ſterilis eſt ſermo; multo minus, credo, in *Caribæorum* aut, quas uſurpant inſularum occidentalium incolæ, linguas transferri poſſunt. Atque *Romanorum* vocabulo *verſura*, aut *Judæorum Corban* haud aliarum gentium voces ullæ reſpondent: Cujus ratio ex dictis patet. Et ſi rem hanc propius inſpiciamus, & diverſarum gentium ſermones accurate inter ſe comparemus, palam fiet; etſi voces habent, quæ in translationibus (*), & dictionariis, ſibi invicem congruere cenſentur; vix unam tamen ex decem eſſe, inter nomina

(*) Hæc translatio id pulcherrime probat; abſque ulteriori obſervatione vid ri poteſt per notas, quas paſſim efficio, ut lector advertatur. COSTE.

mina *idearum* complexarum, præſertim Modorum mixtorum, quæ ipſam iſtam *ideam*, quam vox iſta ſignificat, per quam in Dictionariis redditur. Nullæ ſunt *ideæ* magis communes, & minus compoſitæ, quam menſuræ temporis, extenſionis, & ponderis, & Latina nomina, *hora*, *pars*, *libra*, Anglice facile redduntur per nomina *hour*, *foot* & *pound*: nihil tamen magis perſpicuum eſt, quam *ideas* a *Romanis* olim Latinis hiſce nominibus annexas, longe ab iis diverſas fuiſſe, quas *Anglus* nunc per *Anglica* iſta exprimit. Et quicunque ex his duobus eadem menſura, quam alter nominibus, in lingua ſua uſitatis, effert, uti vellet, in computando certiſſime falleretur, ſi eandem eſſe putaret ac eam, quam verbis ſuæ vernaculæ denotat. Hæc argumenta graviora ſunt, quam ut de iis dubitari poſſit; atque magis perſpicua erunt in nominibus magis abſtractarum & complexarum idearum: cujuſmodi ſunt maxima pars illarum, quibus tractatus Ethici conſtant: quarum nomina, ſi cum iis curioſius comparantur, in quæ, aliis in linguis, transferuntur, non niſi pauciſſima reperientur, quorum ſignificatio in omnibus prorſus eadem ſit.

§. IX.

Hinc videre eſt, Species Modorum mixtorum propter ſermonis communicationem fieri.

Cur huic rei paulo diutius immoratus fuerim, hæc cauſa fuit, ut nimirum omnem circa *Genera* & *Species*, & illorum *Eſſentias*, labendi occaſionem præriperem, quaſi entia eſſent ex norma conſtanterque facta a natura, & in rerum univerſitate ipſam exiſtentiam haberent; cum, propius inſpecta, nihil aliud eſſe deprehendantur, quam figmenta intellectus, quæ excogitavit ad tales idearum complexus

xus promtius ſignificandas, quales cum aliis communicandi ſæpe obvenit occaſio, per vocem unam communem; qua plures ſingulares, quatenus cum abſtracta iſta *idea* congruunt, comprehendi poſſunt. Et ſi propter ſignificationem ambiguam vocis *Speciei*, nonnullis abſonum illud videatur, quod dicam, *Species* Modorum mixtorum fieri ab intellectu; puto tamen a nemine negatum iri, mentem eſſe, quæ abſtractas iſtas *ideas* complexas efficit, quibus nomina ſpecifica tribuuntur. Et ſi extra dubium eſt, mentem exemplaria hæc effingere, ad res in claſſes dirigendas, & ſignandas nominibus, aliis conſiderandum relinquo, quiſnam *Generum* & *Specierum* terminos conſtituat.

§. X.

In Modis mixtis nomen eſt, quod complexum colligat, efficitque ut ſpecies *ſit*.

R*Elatio*, quæ *inter Species*, *Eſſentias*, & *nomina illarum generalia*, ſaltem *Mixtis* in *modis*, intercedit, magis elucebit, cum animadverterimus, nomen eſſe, quod *Eſſentias* iſtas conſervare, & diuturnitatem ipſius impertire videtur. Connexio enim inter partes ſolutas *Idearum* iſtarum complexarum, cum fiat a mente, unitas hæc, quæ nullo in natura rei nititur fundamento, rurſus defineret eſſe, niſi aliquid eſſet, quod partes, quaſi, colligaret. Etiamſi igitur complexus iſte a mente fit, nomen tamen quaſi vinculum eſt unitatis iſtius (16). Quam ingentem multitudinem diverſarum *idearum* vox *Triumphus*

(16) Nomina utplurimum ſunt complexum proprietatum eſſentialium, ſed eruuntur ex quadam primaria qualitate; verum non ſemper ita eſt; aliquando ex cerebroſitate hominum habentur. Quomodocunque id eveniat ſemper, fuit ſtatutum, vocem quodam modo prolatam aliquid præciſe deſignare (32. *tom.* 2.)

phus colligat, & nobis tanquam unam *Speciem* tradit! Si vox iſta excogitata nunquam, aut amiſſa penitus fuiſſet, haud dubium eſt, quin ſolemnis iſtius pompæ fercula omnia ſcriptores nobis tradidiſſent: Puto tamen illud, quod diverſas iſtas partes ſimul, in unitate *ideæ* unius complexæ, retinet, eſſe ipſam iſtam vocem, iſti annexam: Sine ea, partes iſtius diverſæ, haud magis viderentur rem unam efficere, quam aliud quodvis ſpectaculum, quod ſemel tantum exhibitum, in complexam unam *ideam*, nominatione una, haud colligari potuit. Quantum itaque Modis in mixtis, unitas, ad eſſentiam quandam neceſſaria, e mente pendeat, quantum etiam ſtabilitas & determinatio unitatis iſtius, proficiſcatur a nomine, iſti in communi uſu annexo, iis conſiderandum relinquo, qui *Eſſentias* & *Species* aſſumunt tanquam Entia reipſa in rerum natura exiſtentia (17).

§. XI. Huic conſentaneum eſt, quod vulgo videmus, *homines* nimirum, *cum de Modis mixtis loquuntur, rariſſime alias quaſdam ideas complexas pro ſpeciebus illorum uſurpare, niſi quibus nomina tribuuntur*. Quoniam, cum ab hominibus ideo tantum fiant, ut nominibus appellentur, nullæ ſpecies iſtiuſmodi notantur, aut eſſe cenſentur, niſi nomen iis imponatur, quod ſignum nimirum eſt, homines in *ideam* unam vagas & diſperſas plurimas coagmentaſſe; & per nomen illud partes firmo & diuturno vinculo copulare; quæ alioquin, tanquam ſoluta compage ſtatim corruerent, quamprimum mens abſtractam iſtam *ideam* depoſuiſſet, deque ea reipſa cogitare deſiiſſet. Quamprimum vero nomen iſti ſemel annectitur, quod partes *ideæ* iſtius complexæ firma conjunctione colligat, tunc eſſentia quaſi ſanciri, & *Species* perfici dicitur (18). Quorſum enim memoria ſe

(17) *V. adn.* 30. *tom.* 1.
(18) *V.* ψψ. ξξ. *vv. tom.* 1.

ſe complexibus iſtis oneraret, niſi ut per abſtractionem hærent generales? Quorſum autem generales, niſi ut, propter vitæ & ſermonis commercium, nomina iis generalia tribuerentur? Ita videmus hominis interfectionem cum gladio, aut ſecuri, non eſſe actiones ſpeciei diverſas; ſi gladii autem mucro corpus primo penetraverit, *ſpecies* diverſa dicitur, ubi diſtinctum nomen habet, uti in *Anglia*, ubi dicitur, (*) *Stabbing*. In alia vero regione, in qua peculiari nomine non deſignatur, *ſpecies* diſtincta haudquaquam dicitur. In corporearum vero ſubſtantiarum *ſpeciebus*, etiamſi mens ſit, quæ nominalem Eſſentiam efficit; cum tamen *ideæ* iſtæ, quæ in ea ſimul conjunguntur, natura conjunctionem habere cenſentur, ſive per mentem colligentur, nec ne, idcirco iſtæ exiſtimantur *ſpecies* eſſe diſtinctæ, ſine operatione aliqua mentis, complexam iſtam *ideam* abſtrahentis, aut nomen ei tribuentis.

§. XII.

Mixtorum modorum originem non ultra mentem inveſtigamus, unde patet, eos opus eſſe intellectus.

Huic, quod dictum eſt, de *Eſſentiis ſpecierum Modorum mixtorum*, eas potius figmenta eſſe intellectus, quam naturæ opera, illud etiam conſentaneum eſt, quod animadvertere licet, *illarum* nimirum *nomina cogitationes noſtras ad mentem, non vero ulterius ducere*. Cum de *Juſtitia*, aut *accepti beneficii Memoria* loquimur haud expreſſam imaginem effingimus entis cujuſdam alicubi exiſtentis, quod concipere velimus; verum cogitationes noſtræ in

(*) Vide §. 6.

ideis abſtractis virtutum iſtarum terminantur, nec ulterius ſpectant; prout quidem ſolent, cum loquimur de *equo*, aut *ferro*, quorum *ideas* ſpecificas haud conſideramus, tanquam nude in mente, verum in rebus ipſis ipſis exiſtentes, quæ *idearum* iſtarum exemplaria continent. *Mixtis* vero in *modis* præcipua ſaltem parte iſtarum, quæ entia ſunt moralia, prima exemplaria reſpicimus, tanquam in mente exiſtentia; & ad hæc recurremus, quando entia ſingularia nominibus peculiaribus diſtinguenda ſunt. Hinc, puto, eſt, quod eſſentiæ hæ *ſpecierum* Modorum mixtorum, nomine magis ſingulari *Notiones* (*) appellentur; tanquam, peculiari quodam jure, iſtæ ad intellectum pertinerent (19).

§. XIII.

Compoſitionis multiplicis ratio patet ex eo quod ab intellectu fiant ſine exemplaribus.

HInc etiam diſcimus, *cur complexæ Modorum mixtorum, vulgo magis compoſitæ ſint, quam naturalium ſubſtantiarum ideæ*. Quoniam intellectus, ex cujus officina prodierunt, in fines ſibi deſtinatos & commoditatem intentus *ideas* breviſſime exprimendi, quas aliis notas eſſe cupit, nonnunquam, non ſine magna licentia, in abſtractam unam *ideam* res colligat, quæ natura ſua haud inter ſe cohærent; atque ita uno vocabulo magnam varietatem alio atque alio com-

(*) Ut res eo magis intelligatur, placet exemplis nonnullis eam breviter illuſtrare. Sic enim dicimus: Habeo *notionem caſtitatis*, *æquitatis temperantiæ*, &c. Inſulſum autem eſſet, ſi quis diceret: Habeo *notionem leonis*, *equi*, *lapidis*, &c. (**).

(**) *V. adn.* ξξ *tom.* 1.

(19) Plures actus deſignant hæc nomina (41. *tom.* 2.) circa reliqua hic a Lockio indicata (*V. adn.* λλ. *tom.* 1.)

compoſitarum modo idearum complectitur. Ita vox *proceſſus*, quam ingentem multitudinem *idearum*, quarum nulla ab altera dependet, hominum, veſtimentorum, aulæorum, ordinum, motuum, ſonorum in ſe complectitur, quæ mentis ad arbitrium conjunctæ ſunt, ut uno iſto nomine ſignarentur! Cum *ideæ* complexæ ſpecierum Subſtantiarum, e paucis tantum ideis ſimplicibus vulgo conflatæ ſint; atque in *ſpeciebus* animantium, duæ iſtæ, *figura* & *vox*, totam nominalem eſſentiam communiter conſtituant.

§. XIV.

Nomina Modorum mixtorum ipſas illorum Eſſentias ſemper ſignificant.

EX iis, quæ dicta ſunt, ulterius obſervari poteſt, *nomina Modorum mixtorum ſignificare ſemper, quando aliquid diſtincte ſignificant, ipſam eſſentiam ſpecierum ſuarum*. Cum enim *ideæ* abſtractæ iſtæ ab intellectu fiant, neque ad ipſam rerum exiſtentiam referantur, nihil aliud per nomen illud ſignificari poteſt præter *ideam* complexam a mente formatam; nomine hoc mens ipſa nihil aliud deſignari vult, atque illud eſt, e quo *ſpeciei* attributa pendent, atque unde univerſa fluunt. Quare in Modis mixtis realis & nominalis eſſentia unum idemque eſt (20). Hoc quanti ſit momenti ad veritatum generalium cognitionem certam, poſthac videbimus.

(20) *V. adn. 2. tom. 1.*

§. XV.

Cur ideas *illorum prius* , *quam nomina vulgo adipiſcimur?*

HInc etiam ratio patet , *cur maxima ex parte nomina Modorum mixtorum prius adipiſcamur, quam ideæ illorum perfecte ſunt cognitæ*. Quoniam cum nullæ horum *Species* notari ſoleant , niſi quæ nomina habent ; cumque *ſpecies iſtæ* , aut potius eſſentiæ illarum , abſtractæ ſint *ideæ* complexæ mentis , ad arbitrium factæ , neceſſarium eſt , aut commodum ſaltem , ut nomina prius cognoſcamus , quam complexas haſce *ideas* effingere conemur : niſi forte quis magno abſtractarum *idearum* complexarum cumulo memoriam obruere velit , quæ ipſi plane erunt inutiles , cum apud alios nominum expertes ſint , & magis ex ipſius re erit , ut eas formatas rejiciat ſtatim & oblivioni tradat . Scio equidem , linguarum initio , neceſſarium fuiſſe , ut *ideam* prius naneiſcerentur homines , quam nomen iſti tribuerent : ita ſe res hodieque habet , ubi nova *idea* complexa effica , quiſpiam , novum iſti nomen tribuendo , vocem novam producit . Hoc vero haud ad linguas ſpectat ante conſtitutas , in quibus *ideæ* vulgo copioſe ſatis inſtructæ ſunt , quæ in congreſſibus hominum ac ſermonibus ſunt frequentiores . Scire velim , annon uſitatum ſit in hiſce , ut pueri nomina Modorum mixtorum prius diſcant , quam illorum *ideas* adipiſcuntur ? Vix unus eſt e ſexcentis , qui abſtractam *ideam Gloriæ* , aut *Ambitionis* effingit ; antequam nomina audivit . Fateor , ſecus ſe rem habere in *Ideis* ſimplicibus & Subſtantiis ; quæ cum ideæ ſint , quæ revera exiſtunt & in natura conjunguntur , *ideæ* aut nomina , prout ſors tulerit , alia aliis prius acquiruntur (21).

§. XVI.

(21) Videtis quoque rationem, qua complures unius ſcientiæ, vel

§. XVI.

Cur circa argumentum hoc tam diu verſatus fuerim.

QUæ *mixtis* de *Modis* hic tradita ſunt, paululum mutata de *Relationibus* etiam dici poſſunt; quæ cum per ſe ab unoquoque animadverti poſſint, non opus erit, ea latius perſequi: præſertim cum plura jam ante dixerim de Vocibus in hoc Libro tertio, quam argumenti hujus anguſtiæ pati videntur. Fateor equidem hic verborum multitudine ſuperſederi potuiſſe. Volui autem, ut Lector aliquandiu argumento, quod mihi videtur novum eſſe, & a recepta communiter opinione diſcrepare, immoraretur, (certus ſcio, illud non mihi in mentem veniſſe, cum primum animum ad ſcribendum appuli) ut eo penitus diſcuſſo, & quaquaverſum jactato, pars aliqua nullius non cogitationibus occurreret, atque anſam præberet iis, qui maxime ſocordes, & incurioſi ſunt, communem errorem præcavendi; qui licet maximi ſit momenti, parum tamen animadvertitur. Qui ſecum reputaverit, rerum Eſſentiæ quantas verborum concertationes excitarint, quanta etiam in omni genere ſcientiarum, & colloquii familiaris, confuſio oriatur ex temerario & promiſcuo vocabulorum uſu, operæ fortaſſe pretium eſſe cenſebit, rem iſtam pluribus verbis illuſtrari. Atque venia mihi dabitur, ſpero, quod diu argumento inhæſerim, quod propterea inculcare, opus eſt, quod errores, qui in hac re vulgo ab hominibus committi conſueverunt, non

 tan-

vel facultatis nomina retinent, & quam perpauci intelligunt perfecte quid ſub ejuſmodi ſignis diſtincte ac præciſe indicatur. Ex hoc fit, quod plura ſcripta videmus, quæ verba, non ideas ſuppeditent, ut & complures homines, qui magna mirificaque verba venditant, etſi nihil in ſe exprimant (*27. 32. ſem. 2.*)

tantum veræ cognitionis progreſſus impediant, verum in tanta ſint exiſtimatione, ut ejuſdem cognitionis fructus habeantur. Palam fieret hominibus, quam exigua ac pene nulla ratio & veritas iis inſit opinionibus, quibus animi illorum inflati turgeſcunt; ſi animum ultra ſonos inanes attenderent, quibus mos & conſuetudo vim tribuerunt, & diligenter conſiderarent, quænam ideæ revera, & quæ non vocibus iſtis comprehendantur, e quibus ortæ ſunt tot verborum pugnæ & tumultuantium Philoſophorum certamina. Ipſe quidem perſuaſiſſimum habebo, me feciſſe illud, quod veritati, quod paci, & rei literariæ emolumento erit, ſi, argumentum hoc latius perſecutus, effecero, ut homines ad ſermonis uſum animo diligentius attendant, & reputent ſecum, quam in proclivi ſit ipſis, quod familiare eſt aliis, voces nonnunquam proferre aſſenſione omnium comprobatas, quarum ſignificatio aut valde obſcura eſt, aut plane nulla. Quare æquum eſt, ut ipſimet cautionem & diligentiam hac in re adhibeant, neve eas aliorum examini ſubjicere recuſent. Hoc ego animo imbutus, ea perſequar, quæ dicenda adhuc ſuperſunt.

CAP.

C A P. VI.

De Nominibus Subſtantiarum.

§. I.

Communia ſubſtantiarum nomina genera denotant.

SU*bſtantiarum nomina communia*, perinde ac voces aliæ univerſales, naturam (22) communem, ſive generalem ſignificant: Vel, quod idem ſonat, ſigna ſunt *Idearum* complexarum, in quibus plures ſubſtantiæ ſingulares ita conveniunt, aut convenire poſſunt, ut omnes communi conceptu contineri, & uno nomine ſignari queant. Dico, *quod conveniant*, *aut poſſint convenire*: quoniam, ſi, unico tantum Sole in univerſo exiſtente, *idea* iſtius ita abſtraheretur, ut plures ſubſtantiæ (ſi modo plures eſſent) ſingulæ in iſta convenire poſſent, non minus generalis foret, quam ſit, quot ſtellæ, tot ſoles eſſent (23). Nec quidem rationes deſunt ad illorum opinionem firmandam, qui affirmant ſoles numerum æquare aſtrorum, ſtellaſque fixas ideæ reſponſuras, quam nomen *Solis* ſignificat, ſi idea iſta imbutus, foret in loco idoneo

 & ad

(22) Id, per quod res eſt quod eſt, Scholaſtici appellant *naturam rei*, *rationem formalem*, item *formam*, *quidditatem*; nam declaratur per eam non quod res ſit, ſed quid ſit (2. *tom.* 1.) Circa vocabulum *naturæ* Vid. quod ſcripſimus alibi (*Præf. Gen. Malatt Flat. tom* 1.)

(23) Hinc videri poteſt, quam a Lockio idea ſubſtantiæ confunditur, ut alibi adnotavimus (*Med. in Lock. cap. XXIII. tom.* 3.)

& ad debitam diſtantiam conſtitutus; quoniam itaque fieri poteſt, ut, quod uni ſtella eſt, alteri ſol eſſe poſſit, hinc obiter diſcimus, *Genera & Species* rerum ex *idearum* complexione, ab hominibus confecta, & non a rebus ipſis pendere.

§. II.

Idea abſtracta eſt generis cujuſque eſſentia.

QUod rei cujuſvis ſpeciem finit ac terminat, quod efficit, ut in certo genere entis collocetur, & ſecernatur ab aliis omnibus, illius *Eſſentia* dicitur, nihilque eſt niſi *abſtracta iſta idea, cui nomen annectitur.* Quare quicquid in *idea* iſta continetur, Generi iſti eſſentiale eſt. Etiamſi, præter hanc, non aliam eſſentiam cognitam habemus, qua entia naturalia in genera diſtribuuntur; eam tamen peculiari nomine, *eſſentiam nominalem* appello, ut diſtinguatur ab interna iſta & reali ſubſtantiarum conſtitutione, *realem* quam dicimus *eſſentiam*, qua nominalis hæc eſſentia, & entis illius attributa omnia ſubnituntur; *v. g. Auri nominalis eſſentia*, *idea* complexa eſt, quæ vocabulo iſto ſignificatur, corpus, puta, flavum, grave, ductile, fuſile, & fixum. *Realis* autem *eſſentia*, eſt conſtitutio interior partium, quæ percipi non poſſunt, corporis iſtius, e qua pendent qualitates iſtæ, & reliqua auri attributa omnia. Quantum hæ inter ſe diſtent, etiamſi utraque *eſſentiæ* nomen adepta eſt, cuivis primo intuitu, liquet (24).

§. III.

(24) Obſervo lapidem, hominem, librum, & video hæc omnia pariter exiſtere, per conſequens internoſco, quod ſint, quapropter·

§. III.

Nominalis eſſentia a reali diverſa eſt.

ETſi enim, motus voluntarii, ſenſus & rationis *ideæ*, corpori conjunctæ, certa quadam figura prædito, *ideam* iſtam complexam, cui nomen *hominis* plurimi mecum tribuunt; & proinde *ſpeciei* iſtius *nominalem eſſentiam* conſtituunt: nemo tamen contendet, complexam *ideam* iſtam eſſe *realem eſſentiam* & fontem, unde omnes iſtæ operationes fluant, quæ in ſpeciei iſtius individuis omnibus cernuntur. Fundamentum qualitatum iſtarum, quæ partes ſunt integrantes ideæ noſtræ complexæ, altius inveſtigandum eſt: Et ſi tota iſta corporis & animæ *humanæ* fabrica, unde facultates movendi ſe, ſentiendi & ratiocinandi, atque aliæ potentiæ originem trahunt, ſe nobis ita conſpiciendam exhiberet, prout Angelis fortaſſe, & Deo harum omnium rerum conditori procul omni dubio perſpecta eſt, nos *eſſentiæ* ejus *ideam* haberemus, longe ab ea diverſam, quæ nunc in

pter in omnibus percipio notam exiſtentiæ, & appello ea propter hanc notam *entia*. En eorum omnium eſſentiam. Ulterius video aliquid eis ineſſe, quo unum ab aliis differat, *ex. gr.* lapidem inertem ac durum eſſe, hominem voce ac perceptione præditum, ut & ſub quodam ſpeciali forma confectum, librum paginis conſcriptis formatum. Differentia ergo, qua alterutrum ex eis præciſe internoſco, dicitur *eſſentia realis* (2. *tom.* 1.). Si poſtea hæc differentia, quæcunque ſit, ad quoddam vocabulum adhæreat, ita ut ſub hoc vocabulo complexas ideas exprimere cenſeam, tum nominalis dicitur. *Aurum* ait Lockius complectitur ideas *flavedinis*, *gravitatis*, *ductilitatis &c.* per conſequens dicitur eſſentia nominalis. Hinc eſt adnotandum diſcrimen inter eſſentiam nominalem & realem, nam ut admonet Genuenſis (*Elem. met. pars alt. cap.* 3.) Benedictus Spinoza ſic argumentatur, nimirum ex eſſentiis realibus ad eſſentias nominales, quapropter incredibiles errores conficit.

in *ſpeciei* iſtius definitione noſtra continetur: Et quidem hac ratione ſignata in animo noſtro *hominis* cujuſvis notitia, haud aliter ab ea diſcreparet, qua nunc ſumus imbuti, quam *idea* in illo, qui mentis acie clare intuetur machinas rotaſque univerſas, atque interiorem omnem fabricam horologii *Argentoratenſis*, cujus ſingulare opificium ſpectantium ſermone celebratur, ab *idea* differret, quam mirabundus ruſticus mente conciperet, qui præter motum indicis horarii, campanulæ ſonitum, & figuram exteriorem nihil animadvertit.

§. IV.

Individuis nihil eſſentiale eſt.

E*Sſentiam*, prout vox iſta vulgo accipitur, communem naturam reſpicere, nec ad entia ſingularia referri, niſi quatenus ſub univerſalibus continentur, hinc patet, quod, ſublatis *ideis* abſtractis, per quas individua in claſſem univerſalium referimus, & communibus ſignamus nominibus, quicquid eſſentiale eſt individuis, ſimul tollatur, ſtatimque evaneſcat (25). Nos non habemus rei unius cognitionem ſine alterius notione, id quod ipſarum relationem dilucide demonſtrat. Id me eſſe neceſſe eſt, quod ſum; ita enim me *Deus* & natura finxit; nihil autem habeo, quod mihi eſſentiale ſit. Fieri poteſt, ut gravi morbo, aut alio quodam malo improviſo, coloris, atque figuræ & formæ corporis mei venuſtas plurimum immu-

(25) Cum eſſentia non, ſit, quam complexum proprietatum: credit Lockius tantum individuis convenire, habita ratione ad proprietates ipſas, quæ cum toti ſpeciei individuorum conveniant, non debent niſi generatim conſiderari. At inferius de hoc diſceptabimus.

mutetur; ut febris, aut caſus inopinatus mihi rationem & memoriam adimat; atque apoplexia me ſenſu, omni intellectu, atque vita ipſa ſpoliet. Nihil obſtat, quo minus aliæ res creatæ eandem mecum formæ ſpeciem nactæ, aut plures obtineant eaſque vegetiores, aut pauciores, imbecillioreſque animi facultates, quam mihi a natura tributæ ſunt: nec quidem illud repugnat, ut alii ſenſus & rationis ſint participes in corpore, quod forma a noſtro hoc longe diverſum eſt. Nihil horum uni, aut alteri, aut ulli equidem individuo eſſentiale eſt, antequam ad certum aliquod genus entis referatur; tunc ſtatim, juxta *ideam* abſtractam ſpeciei iſtius, aliquid *eſſentiale* eſſe deprehenditur. Si quis intelligentiam & cogitationes ſuas excutiat, videbit, quam primum de *eſſentia* cogitat, *ſpeciem*, aut *complexam ideam* aliquam nomine univerſali ſignatam, animo ipſius ſtatim objici: Atque iſtius reſpectu hæc, ut illa qualitas dicitur *eſſentialis*; quare, ſi quis interrogaverit, utrum ratione præditum eſſe, ſit de mea, aut alterius cujuſdam entis corporei *eſſentia*? reſpondeo minime, & nihilo magis, quam eſſentiale eſt chartæ huic, in qua literæ a me ſcribuntur, vocabula continere. Si vero ſingulare illud ens, in genere *hominum* numerari, atque nomen *hominis* iſti tribui debet, tunc ratio eſt de iſtius *eſſentia*, ex propoſito, quod ratio pars ſit *ideæ complexæ*, quæ *hominis* nomine denotatur: Prout chartæ huic *eſſentiale* eſt, vocabula in ſe continere, ſi modo *Tractatus* a me appelletur, & ſub *ſpecie* iſta collocetur. Quapropter *Eſſentiale & non eſſentiale reſpectum tantum habent* ad *ideas noſtras abſtractas, & nomina iis annexa*; quod perinde eſt, ac ſi dicerem, ſingulare ens quod non qualitates iſtas complectitur, quæ continentur in *idea* abſtracta, quæ communi quavis effertur, ſub *ſpecie* iſta collocari, aut nomine ſignari propterea non poſſe, quod *idea* iſta abſtracta ipſa *eſſentia* ſit *ſpeciei* iſtius.

§. V.

§. V. Ita nimirum ſi, uti nonnulli cenſent, *idea* corporis nuda ſit extenſio, aut ſpatium, tunc ſoliditas non eſt de *eſſentia* corporis. Si, prout alii volunt, *idea*, cui corporis nomen tribuitur, ſoliditas ſit & extenſio, tunc ſoliditas *corpori* eſſentialis eſt. Illud itaque tantummodo *eſſentiale* dicimus; *quod pars eſt ideæ complexæ*, quam *nomen generale ſignificat*, atque nullum ens ſingulare iſtius eſſet generis, aut nomen illud jure vendicaret, niſi complexam iſtam *ideam* attingeret. Si in materiam forte incideremus, quæ, cum *ferri* aliis qualitatibus omnibus prædita eſſet, magnetis illecebris, ipſam ad ſe allicere & attrahere conantis, nequaquam obſequeretur; Num quis in dubium vocaret, utrum aliquid *eſſentiale* abeſſet, nec ne? Abſurdum eſſet rogare, utrum Enti revera exiſtenti aliquid *eſſentiale* deeſſet? Nec quæri poſſet, utrum illud *eſſentialem* aut *ſpecificam* differentiam conſtitueret; cum nihil aliud nobis indicio eſt, quid *eſſentiale* ſit, quid *ſpecificum*, præter *ideas* noſtras abſtractas. Qui, ſine reſpectu ad illas & nomina generalia, de ſpecificis differentiis in natura loquuntur, quod abſonum eſt atque a nemine intelligi poteſt, temere effutiunt. Quempiam enim interrogare velim, quid ſufficere putet ad differentiam *eſſentialem*, inter duo quædam entia ſingularia, in rerum natura ſtatuendam, nullo habito reſpectu ad abſtractam quandam *ideam*, quæ *ſpeciei* eſſentia & fundamentum eſſe cenſetur? Si id genus Archetypos, & exemplaria omnia rejiciamus & penitus aſpernemur, tunc in ſingularibus entibus, ſi nude & in ſe ſpectentur, qualitates omnes æqualiter *eſſentiales* eſſe, nobis exploratiſſimum erit; atque hac ratione omnia, in ſingulis Individuis, ipſis *eſſentialia*, aut, quod verius dici poteſt, nihil erunt omnino. Etſi enim haud abſonum ſit interrogare, utrum magneti obtemperare, ſit de *eſſentia ferri*? Puto tamen, abſurdum valde & ineptum fore quærere, utrum id de *eſſentia* ſit portionis ma-

materiæ, qua uti ſoleo in penna acuenda, nulla ratione habita materiæ iſtius, quatenus nempe ſub *ferri*, aut alterius cujuſdam entis *ſpecie* continetur? & ſi verum eſt, quod ſupra diximus, *ideas* noſtras abſtractas, quibus nomina ſunt annexa, *ſpecierum* terminos definire, nihil *eſſentiale* eſſe poteſt, niſi quod in *ideis* iſtis continetur.

§. VI. Fateor, me ſupra mentionem ſæpius feciſſe de *reali eſſentia*, diverſa in ſubſtantiis ab *ideis* iſtis abſtractis, *nominales* quas voco *eſſentias*. Per realem hanc *eſſentiam*, intelligo realem iſtam internamque entis cujuſvis conformationem, quæ fundamentum eſt proprietatum omnium, quæ in *nominali eſſentia* colligatæ & implicitæ ſunt, & cum illa ſimul ſemper exiſtere deprehenduntur. *Eſſentia* vero, vel in hoc ſenſu, ad *genus* aliquod refertur, & *ſpeciem* ſupponit: Cum enim realis ſit iſta conſtitutio, qua attributa ſubnituntur, communem naturam neceſſario ſupponit, proprietates enim e *Speciebus* tantum, non ex Individuis naſcuntur: Exempli gratia, ex propoſito, quod auri *nominalis eſſentia*, ſit corpus peculiari colore & pondere, ductilitate & fuſilitate præditum, *eſſentia* realis eſt interior iſta habitudo partium materiæ, e qua pendent qualitates iſtæ ſimul cum illarum conjunctione; fons etiam eſt, unde ſolubilitas ejus in *Aqua Regia*, atque alia attributa fluunt, quæ complexam *ideam* iſtam comitantur. Hic *eſſentiæ* & *proprietates* fundantur in ſuppoſitione generis, aut abſtractæ *ideæ* univerſalis, quæ ſpectatur tanquam immutabilis: Nulla autem particula materiæ cuivis Individuo propria & ſingularis eſt, cui horum attributorum quædam ita ſint annexa, ut iſti eſſentialia ſeparari nequeant. Quod *eſſentiale* dicitur, ex hypotheſi eſt, quod hujus ſit, aut generis iſtius: ſublata vero iſta hypotheſi, quod nimirum nomine abſtractæ alicujus *ideæ* contineatur, nihil iſti eſſentiale, nihil inſeparabile remanebit. Ad *reales* quidem ſub-

ſubſtantiarum *eſſentias* quod attinet, illas exiſtere tantum ſupponimus, quid proprie ſint, prorſus ignoramus. Quod *ſpeciei* eas ſemper connectit, *nominalis eſſentia* eſt, cujus eas fundamentum & cauſam eſſe arbitramur (26).

§. VII.

(26) Lockius, ut ſupra adnotavimus, inquit, nos eſſentiam cujuſdam entis in particulari internoſcere nequire, immo ſubdit, *reales eſſentias adeſſe ſupponimus, at omnino quæ ſint ignoramus.* Nos etſi præciſe ignoramus omnes unius entis proprietates, nihilominus ſcimus quaſdam proprietates, quæ quamdam ſpeciem conſtituunt, ut & cujuſdam individui ejuſmodi eſſe, ut una ſimul cum aliis coëxiſtere nequeant. *Ex. gr.* ſcio quod unum ens non poteſt eſſe aliud, quo actu illud eſt, per conſequens debet habere proprietates, quæ ipſi enti conveniunt, nec alias. Homo eruditus habet ſuam eſſentiam ut homo, & ut eruditus; primo ſenſu gaudet vi percipiendi, ſecundo ſenſu doctrinas ſciendi. Quamquam ergo neſciam præciſe in quo ſit poſita hæc percipiendi facultas, ut & doctrinarum ſcientia, nihilominus luculenter ſcio, hanc ſimul cum ignorantia earundem doctrinarum ſtare nequire, ut nec etiam perceptio, ubi contrariam vim ineſſe video. Sic præclare Clericus, *Eſſentias rerum qui æternas & immutabiles dicunt, id volunt, per quod ens eſt id quod eſt, ſeu ipſum ens non poſſe a nobis intelligi, eſſe aliud ens & ſimul idem. Itaque ſi Deus ab omni æternitate habuerit ideas entium nunc exiſtentium, qualia ſunt, illas neceſſario caſdem fuiſſe, ac nunc ſunt. Alioqui non fuiſſent ideæ eorundem entium, ſi diverſæ eſſe potuerunt, niſi mutarentur ſpecies entium. Quis autem hoc negare ſuſtineat, ſi nulla perturbatione laboret, & ex animi ſententia loquatur? Conf Kindleri diſp. de æternitate eſſentiarum ſub præſid. Magnif. Schroederi Wittembergæ habita* 1727. (*V. Ontol. c.* 4.). Quid ex hoc? Eſſentia incommunicabilis eſt, alioquin mutaretur & eſſent duo entia non unum, vel clarius, haberet, & non haberet eſſentiam ſibi neceſſariam, quod per principium contradictionis recte rejicitur. Sic BAUMESTERUS, *Ne Deus quidem eaſdem* (eſſentias) *mutare poteſt. Non enim poteſt potentiſſimum Numen efficere, ut circulus ſit circulus, & tamen ſimul quadratus, non poteſt efficere, ut creatura ſit maneatque creatura, & tamen illimitata. Entia quidem, quæ exiſtentiam mutare poteſt ex. gr. aquam in vinum, manent tamen eſſentiæ rerum, in mera poſſibilitate conſideratæ, immutabiles. Eadem ratione potes circulum, in*

tabu-

§. VII.

Nominalis eſſentia ſpeciem determinat.

EST in poſterum examinandum, ex aliis duabus eſſentiis cui *Subſtantiarum diſtributio in Genera aut Species ſit tribuenda*; palam fiet, opus illud eſſe *nominalis eſſentiæ*. Eo enim nomine, quod nota eſt Generis, tantum illa deſignatur. Fieri itaque non poteſt, ut rerum ſpecies, communibus, quas nominibus complectimur, quippiam determinet præter *ideam*, quæ nomine iſto ſignanda eſt; hoc, ut ſuperius dixi, illud ipſum eſt, *nominalem* quod vocamus *eſſentiam*. Cur aliud ens *equum*, aliud *mulam*; hoc *animal*, illud *plantam* vocamus? Undenam fit, ut res aliqua hujus ſit aut iſtius generis, niſi quod nominalem iſtam eſſentiam habeat; vel quod idem ſonat, cum *idea* abſtracta conveniat, cui nomen illud tribuitur? Se hujuſmodi *eſſentias* ſemper denotare, quoties ſubſtantiarum nomina uſurpat, is exploratum habebit, qui ad cogitationes ſuas animum diligenter attenderit (27).

§. VIII. *Species rerum, quatenus a nobis ſpectantur, in hoc tantum conſiſtere, quod diſtinctis ſub nominibus*

---

tabula pictum in quadratum vel triangulum commutare, eſſentia tamen circuli, generatim conſiderati, manet ſemper immutabilis (*V. Inſt. met.* §. 72.). Quid ad rem? Ex hoc patet quod ſuperius enunciavimus (*V. med. in Lock. tom.* 3.) num poſſit fieri, ut Deus corpori facultatem, & vim cogitandi poſſit dare? Eſſet corpus dum eſſentia ſpiritus gauderet, per conſequens eſſentiæ eſſent communicabiles, vel proprietates inter ſe oppoſitæ cohærerent in unum, & haberet corpus quod ſuæ eſſentiæ repugnat; quid hoc abſurdius dici poteſt?

(27) Sub hoc illove nomine plura in unum collecta concipimus, quæ proprietates hujus, illiuſve generis vel ſpeciei conſtituunt.

bus collocentur, *ſecundum ideas complexas in nobis*; non diſtinctas rerum ipſarum eſſentias reales, hinc patet, quod in plurimis individuis, ſub nomine, & ſpecie una comprehenſis, qualitates reperiamus e reali & interna conſtitutione pendentes, quæ non minus a ſe invicem, quam ab aliis diſtinguuntur, a quibus ſpecie differunt. Hoc, ut alii omnes, qui in corporum naturalium contemplatione verſantur, ita *Chymici* præcipue experiuntur; variæ enim & multiformes corporum qualitates operam illorum ſæpius eludunt, & quas in ſulphure, antimonio, aut vitriolo nunc inveniunt, alias fruſtra eruere conantur. Quanquam hæc ſint corpora ejuſdem ſpeciei, quæ habent eandem *eſſentiam nominalem* eodem nomine expreſſam; interim tamen, ſi paulo curatius in id inquiſiverimus, apparebit, quod tam diverſæ inter ſe ſint qualitates, ut expectationem laboremque exercitatiſſimorum Chymicorum fruſtrentur. Si vero *ſpecies* rerum, ſecundum realem ſuam eſſentiam, diſtinctæ eſſent, haud difficilius foret, qualitates diſſidentes in duobus circulis, aut triangulis æquilateris, quam in duabus quibuſdam Subſtantiis individualibus *ſpeciei* ejuſdem reperire. Nobis illud proprie eſſentia eſt, quod ſingulare ens omne ad hanc aut illam *claſſem*, vel, quod idem ſonat, ad hoc aut illud nomen univerſale determinat. Hoc quid aliud eſſe poteſt, quam *idea* abſtracta, cui nomen illud annectitur? Quapropter non tam ſingularium rerum exiſtentiam, quam earum denominationes generales reſpicit (28).

§. IX.

(28) Alchymicorum ſomnia eruuntur ex eſſentiarum notione. Dum *mercurius* eſt, nunquam poteſt eſſe *aurum*; eſſet alioquin mercurii eſſentia mutabilis. Dum dico mercurium in aurum converti, dico eſſentiam nominalem mercurium amittere, & illam auri acquirere, quod ex dictis fieri nequit.

§. IX.

Non autem realis eſſentia, quæ nobis incognita eſt.

NEc quidem per *reales eſſentias*, quæ nobis penitus incognitæ ſunt, entia in *claſſes*, & *genera* diſtribuere, &, quod exinde ſequitur, nominibus ſignare poſſumus. Non facultatum noſtrarum vis tanta eſt, quæ in rerum naturas penetrare, & quid in ſe ſint, quomodo ab aliis ſecernantur, plane perſpicere poſſit; ingenii noſtri aciem reliqua omnia fugiunt, præter ſenſibilium *idearum* congeriem, quæ ſenſibus obverſantur; quæ licet accuratiſſime conflata, a vera tamen & interna cunſtitutione, unde qualitates iſtæ fluunt, longe remotior eſt, quam, ut ſuperius dixi, fabrica interior, & ſingulare artificium præclari iſtius horologii *Argentoratenſis* ab *idea* ruſtici diſtat, qui figuram exteriorem & motum tantum intuetur. Nulla eſt planta, aut animal adeo exiguum & vile, quod ſummum ingenii humani acumen illudere non poſſit. Etſi quæ nos circum ſunt frequens & familiaris rerum uſus efficiat, ut nihil magnopere miremur; ignorationi tamen noſtræ haudquaquam re iſta medela affertur. Cum lapides pedibus ſubjectos, aut ferrum, quod manibus in dies contrectamus, animo intuemur, videmus ſtatim, compoſitionem internam, & conſtitutionem iſtam, quæ fons eſt & fundamentum attributorum omnium, a conſpectu & cognitione noſtra removeri. Ut ab ente uno, atque altero, quorum materia eſt craſſiſſima, quæque in uſu ſunt quotidiano, exempla petamus quænam eſt iſta partium textura, realis iſta eſſentia, quæ efficit, ut *plumbum*, & *antimonium*, liqueſiant; lignum vero & ſaxa minime liqueſcant? Unde plumbum, & ferrum ductile eſt; antimonium vero & ſaxa non ſunt? Quam infinitis autem intervallis hæc di-

diſtent a ſingulari artificio, atque reconditis *eſſentiis realibus* plantarum & animalium, nemini non perſpectum eſt. Stupendum illud artificium, quo opifex ædificatorque mundi, DEUS Sapientiſſimus, rerum univerſitatem ſingulaſque illius partes fabricatus eſt, illorum omnium intelligentiam, qui perſpicacitate & ſolertia ingenii antecellunt, multo magis ſuperat, quam opera ingenioſiſſimi cujuſvis tranſcendunt illorum conceptum, qui inter creaturas rationis participes ingenii ſunt obtuſiſſimi. Operam omnem itaque perdimus, ſi entia in claſſes diſponere, & certis nominibus complecti conamur, idque *realium* eorum *eſſentiarum* beneficio, quarum tamen in ſumma ignoratione verſamur, nec eas ullo modo percipimus. Cæcus rerum genera æque per colores deſignare poteſt, aut, qui ſenſum olfaciendi amiſerit, lilium a roſa per odores ſecernere, ac per internam iſtam conſtitutionem, quam penitus ignorat. Qui putat, ſe oves a capris diſtinguere poſſe per realem eſſentiam, quæ ipſi incognita eſt, vellem, ut experimentum faceret in iſtis beſtiarum *ſpeciebus*, *Caſſiovvary*, & *Querechinchio*, quæ dicuntur; & per internam illarum realem eſſentiam, certos *ſpecierum* iſtarum terminos definiret, ignorata prorſus *idea* complexa qualitatum ſenſibilium, quas, in natali ſolo animalium iſtorum, nomina iſta denotant.

§. X.

Non formæ ſubſtantiales, quæ minus cognitæ ſunt.

QUi aliorum opinione ducti putarunt, ſingulas ſubſtantiarum *ſpecies* ſibi proprias habere *formas ſubſtantiales* internas; & per *formas* iſtas ſubſtantias in vera ſua *genera* & *ſpecies* diſtingui, in eo ulterius errarunt, quod multam operam fruſtra con-

contulerint in *formas ſubſtantiales*, quæ in tenebris uſque adeo jacent, ut vix illarum obſcuram quandam aut involutam notionem habeamus (29).

§. XI.

Nos ſpecies diſtinguere per nominales eſſentias, patet ulterius ex ſpiritibus.

NAturalium *ſubſtantiarum diſtributionem in ſpecies ſitam eſſe in eſſentiis nominalibus*, quæ animo effinguntur, non in rerum eſſentiis, *ideæ* noſtræ *Spirituum* liquido ulterius confirmant. Intellectus enim noſter, cum, ſuas tantum ipſius operationes animadvertens, ſimplices iſtas *ideas* adipiſcatur, quas *Spiritibus* affingit, notionem ſpiritus non aliter formare poteſt, quam operationes, quas in ſemet deprehendit, generi Entium tribuendo, quæ tanquam a conſortio & conjunctione omni materiali ſecreta & libera contemplatur. Et cum notionem maxime ſublimem, atque divinæ naturæ, quoad ejus fieri poteſt, accommodatiſſimam, formare velimus, non niſi *ideas* iſtas ſimplices, quas in mentes noſtras introſpicientes nacti ſumus, & , quibus nos præditos eſſe, quam iis carere, præſtantius eſſe credimus, DEO ſine fine tribuimus (*). Ita nimirum animum ad ea attendendo, quæ intus fiunt, *ideam* exiſtentiæ, ſcientiæ, potentiæ, & delectationis adipiſcimur, qua-

rum

(29) *Formam* appellant philoſophi complexum omnium determinationum eſſentialium; quapropter quemadmodum dependet a cauſa efficiente, ut res aliqua exiſtat, ſic a forma ut res *talis* exiſtat, quam ob rem intelligis qua ratione dicatur. *formam dare rei eſſe*: vel ut alii dicunt, *dat forma diſtingui & operari*; verum præciſe determinari nequit, etſi revera cuique rei inſit. De quo paulo antea diſputavimus.

(*) *V. adn.* 77. 78. 79. *tom.* 1.

rum rerum præſentia putamus nos, magis quam abſentia, beatos reddi, ſi hæc omnia ſimul, & ſingulis infinitatem jungamus, naſcetur inde *idea* Entis æterni, omniſcii, omnipotentis, ſapientiæ, & beatitudinis numeros omnes in ſe habentis. Et licet conſtans opinio ſit, *angelorum ſpecies* eſſe diverſas; illorum tamen diſtinctæ *ideæ* ſpecifice, quomodo effingendæ ſint, prorſus ignoramus; non quia credimus, fieri non poſſe, ut *ſpirituum* plures eſſent *ſpecies* (30) verum quia non aliæ ſuppetunt *ideæ* ſimplices, quæ cum ejuſmodi Entibus congruant, præter paucas iſtas, quæ deſumuntur a nobiſmet ipſis, & a mentis noſtræ operationibus, quoties cogitamus, voluptate afficimur, & corporis partes vario modo movemus; non aliter diverſas *ſpirituum ſpecies* mente noſtra a ſe invicem diſcernere poſſumus, quam ſi operationes & potentias, quas in nobiſmet experimur, iis magis minuſve tribuimus (31); atque ita *ſpirituum* non diſtinctas admodum *ideas* ſpecificas habemus, unico *Deo* excepto, cui durationem, & reliquas iſtas *ideas* omnes infinite, aliis ſpiritibus finite adſcribimus. Nec, puto, per ullas, præter Infinitatis *ideas*, inter *Deum* & ipſos diſcrimen aliquod in noſtra concipiendi ratione conſtituimus. Ita nimirum ſingulares *ideas* omnes exiſtentiæ, cognitionis, voluntatis, potentiæ, motus, &c. cum a mentis noſtræ operationibus ſumantur, *ſpirituum* generi omni impertimus; & Primi Entis, quod interim infinito ſemper modo, propter ipſam naturæ ſuæ præſtantiſſimæ & omnium Entium creatorum perfectiſſimæ excellentiam, remotius eſt, quam excellentiſſimus quiſque homo, vel etiam puriſſimus Angelus remotus eſt a viliſſima materiæ particula, *ideam*, quam poſ-

(30) *V. Med. de an. brut. p. 99. tom. 3.*
(31) *V. adn. 23. tom. 2.*

poſſumus, perfectiſſimam, formaturi, gradus in tantum adjicimus, in quantum a finito intellectu excogitari poſſunt, ad infinitatem uſque.

§. XII.

Probabile eſt, illorum ſpecies eſſe numero infinitas.

HAud illud repugnat, nec rationi adverſatur, *ſpirituum* plures eſſe *ſpecies*, quæ non minus a ſe invicem per diſtinctas proprietates, quarum *ideæ* nos latent, quam rerum ſenſibilium *ſpecies* per qualitates diſtinguuntur, quæ nobis ſunt conſpicuæ. Plures ſupra nos creaturas eſſe rationis & intelligentiæ participes, quam infra nos ſunt ſenſitivæ & materiales, ideo mihi videtur probabile, quod in mundo hoc viſibili loca nulla reperiamus corporibus vacantia. Nos hinc ad inferiores claſſes per faciles rerum gradus deſcendimus, quæ paululum a ſe invicem diſcrepant. Piſciculi quidam ſunt aligeri, quibus aer hoſpitium & ſpiritum ſalutarem præbet. Sunt etiam e genere volatilium, quæ maria & fluvios incolunt, quæ ſanguinis frigiditate, & deguſtata etiam, tantam cum piſcibus ſimilitudinem habent; ut ſuperſtitioſis, temporibus iſtis, quibus interdictum eſt veſci carnibus, horum uſum permittere, homines ſibi religioni non ducant. Quædam ſunt animantia, quæ adeo ad volatilium & piſcium ſimilitudinem accedunt, ut inter illa medium teneant. Animalia amphibia habentur beſtiæ aquatiles & terreſtres. Ut enim iſtud taceam, quod de Sirenibus vulgo dicitur, certum eſt, Phocas terra marique vivere; atque marinis porcis calorem ſanguinis & inteſtina, uti porcellis terreſtribus, ineſſe. Beſtiæ nonnullæ quoſdam ex iis, homines quos appellamus, intelligentia & ratione æquare videntur: Atque Regnum Animale

Vegetabili adeo propinquum eſt, ut, ſi, quod in altero maxime imperfectum eſt, & quod in altero perfectiſſimum eſt, ſumſerimus, non magnum inter ea diſcrimen deprehendetur. Ita ſi progrediamur, uſque dum ad materiam perventum fuerit infimam minimeque organicam, reperiemus, ubique *ſpecies* diverſas colligari, & per gradus, qui fere ſentiri nequeunt, inter ſe tantum diſtingui. Cumque rerum omnium ædificatoris potentiam & infinitam ſapientiam mente intuemur, par eſt, exiſtimemus, conſentaneum eſſe excellenti mundi harmoniæ, atque ipſius architecti conſilio & immenſæ bonitati, ut rerum creatarum *ſpecies* gradatim quoque a nobis ſurſum aſcendant verſus infinitam perfectionem ejus, quemadmodum videmus, eas ſenſim & pedetentim a nobis deorſum tendere. Quæ cum ita ſint, probabile eſt, plures longe, ſupra, quam infra nos, rerum creatarum eſſe *ſpecies*; a divina quippe perfectione quam ab imo rerum ſtatu, quippe ad nihilum proxime accedit, multo longius abſumus. Harum tamen omnium *ſpecierum* diſtinctarum, ob rationes ſuperius memoratas, haud claras habemus *ideas* diſtinctas.

§. XIII.

Nominalem eſſe Speciei eſſentiam, ex aqua & gelu probatur.

SEd ad ſubſtantiarum corporearum *Species* iterum redeamus. Si forte interrogarem quempiam, utrum *glacies* & *aqua* duæ ſint *Species* rerum diſtinctæ, nullus dubito, quin affirmans reſponderet: neque id injuria (32). Si forte vero Anglus, qui ab ineunte æta-

(32) En ergo cognitio præciſa ipſius rei. *Glacies non eſt aqua* ex

ætate in *Jamaica* vixerat, & proinde de *glacie* nihil unquam viſu aut auditu perceperat, tempore brumali in *Angliam* veniens, aquam, quam nocte in pelvim injecerat, mane proximo magnam partem gelu concretam reperiret, atque peculiaris nominis iſtius ignarus *aquam* eam *induratam* vocaret; rogo utrum videretur ei *Species* nova, & ab aqua diverſa? Reſpondendum, puto, foret, haud magis quam juſculum nunc frigefactum & coagulatum, ab eodem fluido paulo ante & calido; aut aurum in furno liquefactum, a ductili iſto, quod in manibus eſt aurificis, *Species* ipſi differre videretur. Quod ſi ſic, tunc certum eſt, *diverſas* iſtas, quas fingimus, *Species nihil aliud eſſe præter diſtinctas ideas complexas cum diſtinctis nominibus iis annexis*. Fateor equidem, ſubſtantiam omnem ſibi peculiarem conſtitutionem habere; qui fons eſt qualitatum, & potentiarum, quæ ſenſibus noſtris objiciuntur; rerum autem *Specificatio* quod nihil eſt aliud, quam ſub nominibus eas complecti, a nobis fit, ſecundum modulum *idearum*, quas habemus: Etiamſi hoc modo res nominibus ſatis a ſe invicem ita ſecernantur, ut de iis longe a conſpectu remotis ſermo haberi poſſit; in errorem tamen incidemus, ſi arbitremur, hoc fieri per internam rerum conſtitutionem, &, quæ exiſtunt, omnia ex natura ſua, per reales eſſentias, in ſpecies diſtingui, prout nos ipſi ea hac vel illa denominatione in ſpecies reducimus.

ex eo quia non habet fluiditatem, quæ eſt proprietas aquæ; ſi haberet enim fluiditatem non eſſet glacies, ſed aqua; pariter de reliquis poteſt argumeatari (*Med. in Lock. tom. 3.*)

§. XIV.

Formæ, ſive eſſentiæ reales magnas babent difficultates.

AD Subſtantias in *Species* diſtribuendas, juxta communem iſtam opinionem, quod nimirum certæ ſint *eſſentiæ* ſive *formæ* rerum, per quas omnia, quæ exiſtunt, Individua, ex natura ſua, in *Species* diſtinguuntur, hæc neceſſario requiruntur.

§. XV. *Primo*, ut extra dubium habeamus ſancitum a natura, eſſe in rerum procreatione, ut in iis *Eſſentiæ* ſint certo quodam modo conſtitutæ, quæ rerum omnium exemplaria ſive moduli eſſe debent. Quæ de *eſſentiis* hiſce confuſe, ut vulgo traduntur, explicatiora reddenda ſunt, priuſquam iis aſſenſum præbeamus.

§. XVI. *Secundo*, Scire par erit, utrum natura eam, quam ſibi proponit, in rerum procreatione *eſſentiam* ſemper aſſequatur. De hac enim re, atque altera iſta, ut dubii ſimus, irregulares iſti & monſtruoſi partus efficiunt, quæ in multis animalium generibus ſæpius cernuntur.

§. XVII. *Tertio*, Inter homines convenire oportet, utrum *monſtra* revera *Species* ſint diſtinctæ, prout vox *Species* in Scholis uſurpatur; cum exploratiſſimum ſit, omne, quod exiſtit, ſuam habere ſolius & propriam conſtitutionem: attamen experimur, quoſdam e monſtruoſis iſtis partibus paucas admodum, aut nullas ex iis qualitatibus habere, quæ fluunt ab *eſſentia Speciei*, unde originem ſuam trahunt, & ad quam, pro ipſorum ortu, pertinere videntur.

§. XVIII. *Quarto*, *Reales eſſentiæ* rerum iſtarum, quas in *Species* diſtribuimus, & diſtributas ita nominibus ſignamus, cognitæ eſſe debent; hoc eſt, illarum *ideas* habeamus oportet. Quoniam vero, quod ad quatuor haſce res attinet, in ignoratione plane ver-

verſamur, *oſtentatæ iſtæ rerum eſſentiæ reales*, *ne hilum conducunt ad Subſtantiarum Species deſignandas*.

§. XIX.

Nominales noſtræ ſubſtantiarum eſſentiæ non perfectæ ſunt proprietatum collectiones.

QUinto. Hac in re id tantum emolumenti caperemus, quod, formatis ita perfectis *Ideis* complexis *proprietatum* rerum, quæ fluunt a ſua cujuſque reali eſſentia, entia eo pacto in *Species* referri poſſent. At neque hoc fieri poteſt: cum enim ipſa realis eſſentia incognita & abſtruſa ſit, fieri non poteſt, ut univerſas iſtas proprietates inveſtigemus, quæ manant ab eſſentia & cum ea connexæ ita ſunt, ut ſi ulla deſideretur, ipſam eſſentiam abeſſe, & proinde ens illud non pertinere ad iſtam *Speciem*, concludi poſſit. Definitum proprietatum numerum, *Auri* quæ fluunt ab eſſentia, & quarum unaquavis ſublata, *Auri* eſſentia realis, & ita *aurum* ipſum tolleretur, prius ſcire non poſſumus, quam *Auri* ipſius realem *eſſentiam* aſſecuti, per eam *Speciem* iſtam determinaverimus. Per *Aurum* hic certa aliqua materiæ portio neceſſario intelligenda eſt, ſicuti aurea moneta. Si complexam enim *ideam* iſtam deſignaret, quam vulgo dicimus Aurum; nominalem nempe Auri eſſentiam, futilis hæc & inanis locutio eſſet (33). Atque hinc diſcimus, quam difficile ſit, con-

(33) Clare internoſcimus, monetam ex auro non eſſe, ſi ei aurantii ſplendor non inſit; per conſequens ex ideis præſtractis argumentando poſſumus ſpecies figere, & ab una, alterave hanc vel illam excludere (32).

confuſam & involutam vocum ſignificationem aperire, cum etiam illud non niſi vocum beneficio fieri poſſit.

§. XX.

Verum tales collectiones, quales nomine iis impoſito ſignificamus.

EX dictis patet, haud *realibus eſſentiis*, ſive internis differentiis eſſentialibus tribuendum eſſe, quod Subſtantiæ in *Species* diverſorum nominum beneficio diſtributæ ſint.

§. XXI. Etſi vero reales rerum *eſſentias* ignoramus, generalibus tamen, ut dixi, vocibus opus eſt; quod enim tantummodo poſſumus, tot ſimplices *ideas* in unum quaſi manipulum colligimus, quot ſimul exiſtere poſſe deprehendimus, atque ex iis complexam unam *Ideam* conficimus; quæ etiamſi haud realis ſit eſſentia rei cujuſdam exiſtentis, *ſpecifica* tamen *eſſentia* eſt, ad quam nomen illud refertur, quod nos huic ideæ complexæ aſſignavimus, adeo ut alterum pro altera accipi poſſit; atque per illud nominalium eſſentiarum veritas ultimo æſtimanda eſt. Exempli gratia, ſunt qui dicunt, *corporis* eſſentiam eſſe extenſionem. Rei eſſentiam pro re ipſa ſubſtituendam eſſe, nemo inficiabitur. Si vocem itaque *Extenſionem*, loco *corporis* uſurpemus; & ſi dicere volumus corpus movetur, dicamus extenſio movetur, error erit manifeſtus. Si quis diceret, extenſionem unam per impulſum movere extenſionem alteram, notio iſta, quam inepta ſit & abſurda, prolatis vocibus, ſtatim oſtenderes. Cujuſvis rei *eſſentia*, noſtri reſpectu, tota eſt *Idea* complexa, nomine iſto comprehenſa; atque in ſubſtantiis, præter varias diſtinctas *Ideas* ſimplices, e quibus coagmentantur, confuſa *idea* ſubſtantiæ, ſive ſubſtrati incogniti & cauſæ illarum

larum conjunctionis, ſemper pars eſt eſſentiæ: Quare corporis eſſentia non nuda eſt extenſio (*), verum *res ſolida* & *extenſa*; & ſi dicamus, rem extenſam & ſolidam movere, aut impellere aliam, perinde eſt, ac ſi diceremus, corpus quoddam movere aut impellere aliud corpus. Prior expreſſio eadem facilitate, qua poſterior, intelligi poteſt. Simili ratione ſi dicat quis, animal rationale capax eſſe orationis & ſocietatis, idem eſt, ac *ſi hominem* iſtius rei capacem eſſe diceret. Nemo tamen affirmabit, rationalitatem (**) capacem eſſe colloquii familiaris, quia haud totam eſſentiam complectitur, cui nomen *hominis* tribuimus.

§. XXII.

(*) Hoc modo Carteſiani. *Res, quam internoſcimus, extenſam in longitudine, latitudine, & profunditate, eſt quæ corpus appellatur* (*V. Rohault. Phyſ. c. 2. P. 1.*): Itaque quando Carteſiani dicunt, extenſionem corporis eſſentiam eſſe, non aliud de extenſione affirmare credunt habita ratione ad corpus, quam inquit Lockius de ſoliditate adhuc habita ratione ad corpus, *quod ex omnibus ideis, ita magis eſſentialis videtur & intime magis cum corpore conjuncta . . . ita ut ſpiritus illam reſpicit tanquam ut inſeparabiliter corpori ineſſe, quomodo ſit modificatum, vel quo ſit.* Hic ſuperius *T. 1. COSTE.*

(**) Vel ratiocinandi facultas. Quanquam Hoc vocabulorum genus non in Mundo internoſcatur, mihi videtur uſum eſſe permittendum in Opere, ut hoc quod videmus. Ego libertatem hanc ſuſcipio, & ſæpius illam debeo ſumere in decurſum hujus libri, ubi Auctor meliorem ſuarum cogitationum partem non poſſet aliis enodare, ſi novos terminos ille inveniret, ut poſſet conceptus omnino novos exprimere. Quis non videt, me non poſſe præterire in hoc eum imitari? Hæc libertas eſt, quam *Roahult* ſibi ſumſit, ſic quoque *Malebranchius*, & Domini R. Accad. Scient. quotidie ſibi ſumunt. *COSTE.*

§. XXII.

Ideæ noſtræ abſtractæ nobis menſuræ ſunt ſpecierum, ut patet in homine.

IN hoc terrarum orbe multa ſunt animantia, quæ figura, & membrorum conformatione homines referunt, villoſa tamen ſunt, atque rationis & orationis expertia. Sunt inter nos Inſipientes; noſtra plane ſpecie & figura, qui rationis; & plerumque ſermonis compotes non ſunt. Dantur animantia, ut dicitur, (*ſit fides penes auctorem*, quo minus vero exiſtant, nihil obſtat) quæ ſimul cum ſermone, ratione, & ſpecie humana, caudas habent villoſas; inter alia, mares ſunt imberbes, fœminæ vero barbatæ (34). Si interrogetur, utrum omnia iſta animantia genus *humanum* ſint, nec ne; ſatis apparet, quæſtionem ad *nominalem* tantum *eſſentiam* referri: Illa enim, quibus definitio *hominis* ſive *Idea* complexa, per nomen deſignata, convenit, *homines* ſunt, alia non item. At ſi quæſtio ſit de ipſa, quam exiſtimamus, eſſentia; atque utrum variæ iſtæ res creatæ conſtitutione & conformatione interna ſpecifice diſtinguantur, ad illud reſponderi nequit, quoniam nulla hujus interioris conſtitutionis pars ſpecificam noſtram *Ideam* omnino ingreditur: conſentaneum vero eſt, credamus, ubi in facultatibus aut figura exteriori tantum eſt diſcrimen, ibi non eandem eſſe conſtitutionem interiorem. Quodnam vero diſcrimen in ipſa conſtitutione interna differentiam ſpecificam conſtituat, quærere fruſtraneum eſt, quamdiu, prout nunc, *Species metimur, per abſtractas tantum Ideas*, quæ nobis cognitæ ſunt, non per conſtitutio-

(34) *V. med. de an. brut. pag.* 99. *t.* 2., *item pag.* 188. 189. *tom.* 3.

tutionem internam, quæ *Idearum* noſtrarum partem neutiquam efficit. Num cutis, pilis obducta, nota erit diverſæ internæ conſtitutionis ſpecificæ inter *Amentes*, & (Drills) *Papiones*, cum ſpecie externa, & defectu rationis atque ſermonis conveniant? Annon vero rationis & orationis defectus, nobis indicio erit, homines rationis participes ab amentibus iſtis interna reali conſtitutione & *Specie* diſtingui? De reliquis ſimiliter differendum eſt, ſi modo contendemus, *Specierum* diſtinctionem a reali fabrica, & interna rerum conſtitutione dependere atque proficiſci.

§. XXIII.

Species haud per generationem diſtinguuntur.

NEc dicat quis, vim generatricem in animalibus per maris & fœminæ coitum, & in plantis per ſemina eas, pro quibus ita concertant, *Species* reales diſtinctas & integras conſervare. Si demus enim, id verum eſſe, non facem nobis præferet ad rerum Species diſcernendas, niſi in animalium & plantarum conſideratione. Aliorum entium *Species* quomodo diſtingueremus? At neque in iis illud ſatis foret: Si enim, quæ hiſtoriarum monumentis tradita ſunt, fidem merentur, fœminæ ex (Drill) papionibus conceperunt, quæ vero *Species* realis iſtiuſmodi partus ſit, quæri & diſceptari poteſt; nec eſt, cur hoc non fieri poſſe videatur, cum muli, qui ex aſini & equæ, & alia (*) animalia, quæ ex tauri & equæ coitu naſcuntur, non raro inveniantur. Vidi aliquando animantem, quæ felis & ſoricis proles erat, cujus in corpore parentis utriuſque indicia plane

(*) Angli hoc animalium genus vocant *Gimars*.

ne ſe oſtendebant. Hiſce partus monſtruoſos, qui in rerum natura paſſim occurrunt, ſi quis addiderit, difficile eſſe videbit, vel in genere animalium, e proſapia illorum ſtatuere, ad quam *Speciem* accurate ſingula referenda ſunt; & circa realem eſſentiam, quam per generationem certo propagari, & ad nomen ſpecificum jus habere putat, in errore ſine dubio verſabitur (35). Porro, ſi ſola propagatio animalium & plantarum *Species* ſecernit, num mihi neceſſe eſt, *Indiam* adire, ad Patrem & Matrem illorum, & plantam videndam, unde ſemina oriuntur, e quibus hæ productæ erant, ut ſciam nimirum revera hoc animal *Trigris*, hæc herba *Theia*? iſta *Nicotiana* ſit?

§. XXIV.

Neque per formas ſubſtantiales.

EX dictis patet, homines ſubſtantiarum eſſentias (36) e qualitatum ſenſibilium complexu contexere, quas in unum congerunt; nec internam rerum conſtitutionem, cum in claſſes diſtribuuntur, nedum *formas ſubſtantiales* ab hominibus reſpici, iis tantum exceptis, qui ſermone iſto fuere aſſuefacti, qui in ſcholis noſtris jam dudum obtinuit. Attamen rudes & imperiti iſti, qui, realium eſſentiarum & formarum ſubſtantialium ſe ignaros fatentes, ſatis habent, res a ſe invicem per qualitates inſenſibiles ſecernere, ſæpe rerum differentias clarius percipiunt; uſus

(35) Attente monſtra obſervando poteſt monſtrorum-ſpecies figi; at non fieri videmus potius non propter difficultatem, id faciendi, ſed propter defectum obſervationum cauſa raritatis habitum, ut de cæteris nobis incognitis dici debet.

(36) Potius corporum eſſentias; Lockius credit ſubſtantias, ut peculiares maſſas (*V. med. in Lock. tom.* 3.

uſus illarum, & quid ſingulis inſit, accuratius ſciant quam ſolertes eruditi iſti, qui ſe altius perſpicere &, quæ penitus abdita atque occulta ſunt, ſcire gloriantur.

§. XXV.

Specificæ eſſentiæ per mentem fiunt.

SI demus vero, *reales* ſubſtantiarum *eſſentias* perveſtigari poſſe, ſi qui diſquiſitioni iſti operam darent; haud tamen exiſtimandum eſt, *rerum diſtributionem ſub nominibus generalibus*, a reali internaque illarum conſtitutione, aut aliunde ſumendam eſſe, quam ab eo tantum, quod in rebus ipſis *ſenſibus obvium eſt*, cum linguarum, ubique gentium, altius longe, quam ſcientiarum origo repetenda ſit. Quippe non Philoſophi, ſive Logici, aut qui in *formarum* & *eſſentiarum* contemplatione multum operæ poſuerunt, generales voces procuderunt, quæ in nationibus & gentibus hominum diverſis in uſu ſunt: verum magis minuſve late patentes voces iſtæ, quæ ubivis uſurpantur, ortum & ſignificationem ſuam, maxima ex parte, traxere ab hominibus imperitis, & indoctis; qui rerum genera, per qualitates illarum ſenſibiles, nominibus ideo deſignarunt, ut, extra conſpectum poſitæ, aliis repræſentari poſſent.

§. XXVI.

Variæ itaque & valde ancipites ſunt.

QUoniam igitur perſpicuum eſt, nos ſubſtantiarum genera per *nominales*, non per reales *eſſentias* diſtinguere, proxime quærendum eſt, quomodo hæ *eſſentiæ*, & a quibus, fiant. Quod ad poſtremum attinet, clariſſime patet, eas a *mente*, non

non a natura *fieri* (37): Si naturæ enim opus eſſent, in diverſis hominibus in tanta, quantam experimur, varietate non forent conſtitutæ. Si rem enim propius intueamur, nominalem eſſentiam ullius ſubſtantiæ in omnibus eandem plane eſſe, non reperiemus; ne quidem illam, cujus cognitio præ aliis omnibus familiaris eſt & intima. Fieri non poſſet, ut *idea* abſtracta, cui nomen *hominis* tribuitur, non eadem, ſed diverſa foret in hominibus diverſis, ſi naturæ opificium eſſet; utque ab alio *animal rationale*, ab alio *animal implume bipes latis unguibus* diceretur. Qui nomen *hominis* ad *ideam* complexam annectit, e ſenſu & motu voluntario conflatam, ſimul cum corpore, certa quadam figura prædito, aſſequitur hac ratione certam quandam eſſentiam ſpeciei, quam appellat *hominem*: Qui, accuratiori inſtituto rei hujus examine, *rationalitatem* adhuc addit *ſpeciei*, quam *hominem* vocat, aliam conſequitur eſſentiam. Atque hoc pacto idem Individuum alteri verus erit homo, alteri non erit. Notam hanc figuram, & cælum verſus erectam, *hominis* eſſentialem eſſe differentiam, omnes inficias ituros eſſe puto; homines tamen animalium genera magis figura externa, quam ortu, metiri, inde patet, quod res ſæpius controverſa fuerit,

(37) Natura conſtituit cuique enti ſpecificas proprietates, & quanquam minimas differentias inter duo entia ejuſdem ſpeciei non adinvenimus, attamen in ſe eſt ejuſmodi, ut unum ab alio ente diſtinguatur; quam ob rem *non dari duo entia perfecte ſimilia* clamitant ſcholæ. Ex dictis patet, quod eſſentiæ *nominales* ſunt ab homine excogitatæ, ſed continent ea, quæ in ente ſunt. Dum dico, ſtatim hoc vocabulum ideam plurium qualitatum ſimul inter ſe conjunctarum excito, & eas qualitates in alterius mente, quæ fuere a natura cuidam corpori datæ, moveo ergo nominales eſſentiæ certo quodam modo reſpondent *eſſentialibus*, vel ſaltem eas deſignant, minimas vero differentias omittimus, non ratione ipſarum defectus, ſed potius ratione brevitatis humanæ mentis, e cujus acumine fugiunt.

rit, utrum *fœtus* quidam humani admitti, & ſacro fonte lavari debeant, nec ne: quod figura exteriori & membrorum conformatione a reliqua puerulorum turba diſcreparent, etiamſi ſciri non potuit, annon rationis æque participes fuerint, ac alii rectius formati. In nonnullis quippe, in quibus apta eſt membrorum compoſitio, per totius vitæ curriculum ne tantum quidem rationis, quantum in ſimia aut elephante elucet, eſſe fuit viſum (*); nec ullo unquam indicio oſtendunt, ſibi rationalem animam inditam eſſe. Hinc apparet, figuram exteriorem, quæ unice deſiderata erat, non facultatem rationis participem, quam ſuo tempore defuturam, nemini compertum erat, ad eſſentiam & hominis Speciem pertinere creditam fuiſſe. Quoties hujuſmodi res accidunt, erudítiſſimus quiſque tum Theologus, tum Jureconſultus veteri iſti & ſacroſanctæ definitioni *Animal rationale* renunciet, & in ejus locum aliam *hominis* eſſentiam adſciſcat, neceſſe eſt. Hujuſce rei exemplum, notatu quidem digniſſimum, apud Dominum *Menagium* invenitur (**). *Quando Abbas Sancti Martini*, inquit ille, *in hanc lucem editus erat, tantillum in eo figuræ erat humanæ, ut ea monſtrum verius quam hominem referret. Deliberabatur aliquandiu, utrum per baptiſmum eum in Chriſtianorum cœtum adducerent, nec ne. Baptizatus nihilominus, & hominibus annumeratus erat, ſub conditione tamen*, ut viderent nempe, quid poſtea futurus eſſet. *Ea erat deformitas & pravitas corporis, ut per vitam omnem Abbas Malotru, hoc eſt, abjectus ſeu informis vocaretur. Cadomi is natus erat.* Hinc videmus, parum abfuiſſe, quin hunc ob formam ſolam hominum numero excluſiſſent. Si corpore forte fuiſſet paulo diſtortiori, eum,

(*) *V. Med. noſtr. de anim. brut. pag.* 93. *ſ.* 2.

(**) Vide Menagiana & quidem Tom. I. pag. 278. Editionis Belgicæ, Anno 1694.

tanquam hominum conſortio indignum, e medio ſuſtuliſſent. Haud ratio tamen reddi poteſt, cur corpus ejus, etiamſi deteriori paulo forma præditum, haud ſedes & domicilium animæ rationalis eſſe poſſet; cur facies juſto longior, aut paulo depreſſior naſus, aut os ſolito diductius, & cetera ipſius forma inuſitata ac enormis, cum anima, & præſtantiſſima ingenii indole, quæ illum, licet tam deformis eſſet, ad tantum dignitatis gradum in Eccleſia evexit, congruere atque ſtare nequeat.

§. XXVII.

Ex hominum vero arbitrio minus pendent, quam Modi mixti.

SCire itaque libenter vellem, in quonam *ſpeciei* iſtius certi & *immutabiles termini* conſiſtant? Certiſſimum eſt, nihil ejuſmodi a natura fieri, nec ſimile quid inter homines ab illa conſtitui. Realis eſſentia iſtius, aut alterius ſubſtantiæ cujuſdam nobis prorſus ignota eſt; & in iis, quæ a nobis fiunt, *eſſentiis nominalibus* incerti adeo, atque animo pendentes ſumus, ut ſi de fœtu aliquo, recens nato, miræ cujuſdam conformationis, & figuræ plurimi interrogarentur, utrum *homo* eſſet, nec ne? nullus dubito, quin ad quæſitum illud alio atque alio modo reſponderetur. Secus ſe res haberet, ſi nominales eſſentiæ, per quas ſubſtantiarum *ſpecies* ſecernimus, non ad hominum arbitrium quodammodo fierent; verum ex rebus ipſis proxime fluerent. Quis non reciperet, ſe monſtri iſtius *ſpeciem* patefacturum, de quo *Licetus* loquitur, (*lib. I. c.* 3.) quod caput humanum junctum eſſet corpori ſuillo? Aut aliorum iſtorum, qui ſimul cum corporibus humanis, brutorum animalium, uti canum, equorum, &c. capita gerebant? Creatis hiſce rebus ſi vitam, & ſermonis uſum natura induliſſet

ſiſſet, res majorem difficultatem haberet. Si animal quoddam parte ſuperiori *hominis*, inferiori porci ſpeciem repræſentaret, num, qui illud jugularet, cædis reus foret? Num ſacrorum antiſtitem ſciſcitari oporteret, utrum ſacro fonte levari deberet, nec ne? Id in *Galliis*, lapſis jam aliquot annis, ſimili fere ratione contigiſſe, audivi. Hinc diſcimus, nobis quàm difficile ſit, qui per complexas tantummodo *ideas*, quas ipſimet congerimus, res menſurare poſſumus, accurate ſtatuere, quibus ipſis terminis animalium *ſpecies* finiantur: aut *hominem* ipſum certo cognoſcere; etiamſi, fortaſſe, ſummæ inſcitiæ argueretur, ſi quis illud in dubium vocaret. Tantum tamen abeſſe puto, *ſpeciei* iſtius fines certi, atque *idearum* ſimplicium multitudo determinentur, e quibus nominalis iſta eſſentia conflatur, ut dubitationi locum plane relinquant: Et mihi quidem videtur, nullam definitionem vocis *hominis* hactenus traditam, aut animalis ejuſmodi deſcriptionem, accuratam adeo & perfectam eſſe, ut ex animis virorum perſpicacium ſcrupulum ac dubitationem omnem evellat; multo minus, ut communi omnium conſenſu comprobari, & illud eſſe poſſit, cui in controverſiis iſtis omnibus dirimendis circa capitis ſupplicium, aut baptiſmum, homines ſibi adhæreſcendum eſſe putent.

§. XXVIII.

Non tamen æque ex arbitrio formantur, ac ea, quæ Modorum ſunt mixtorum.

ETſi vero *nominales* hæ *ſubſtantiarum eſſentiæ* per mentem fiunt, attamen *ad arbitrium iſtius minus effinguntur*, *quam Modorum mixtorum eſſentiæ*. Ad nominalem quandam eſſentiam abſolvendam, neceſſario requiritur, *primo*, ut *ideæ*, e quibus conſtat, utcunque multiplicentur, ita conjungantur, ut *ideam*

unam efficiant. *Secundo*, ut *ideæ* ſingulares ita conjunctæ, eædem ſint, nec plures nec pauciores numero. Si duæ enim abſtractæ *ideæ* complexæ, numero differunt, aut partium genere, e quibus componentur, duas diſpares, non unam eſſentiam conſtituunt (38). Quod ad prius attinet, mens in complexis ſubſtantiarum *ideis* conficiendis, naturam ſequitur ducem; & nullas inter ſe jungit, quæ non natura ſua conjunctæ exiſtimantur. Ovis balatum cum figura equi, aut plumbi colorem, cum pondere & fixitate auri, ut realium ſubſtantiarum *ideæ* complexæ ex iis naſcantur, nemo copulat, niſi quis mentem ſuam vanis rebus, & aures aliorum ſermonibus, qui intelligi nequeunt, refercire voluerit. Homines, qui certas quaſdam qualitates conjungi, & ſimul ſemper exiſtere obſervarunt, naturam imitati ſunt, atque ex conjunctis ita, complexas ſubſtantiarum *ideas* effinxerunt. Etſi enim liberum ſit hominibus, quaslibet *ideas* comprehenſione una complecti, eaſque, quibuſcunque velint, nominibus ſignare, ſi tamen intelligi volunt, cum de rebus loquuntur reipſa exiſtentibus, neceſſe eſt, ut *ideæ* aliquo modo rebus congruant, de quibus loquuntur: alioquin in ſermone hominum eadem eſſet, quæ olim in *Babele*, confuſio; atque propriæ cujuſque voces, quas ipſemet tantum intelligit, nullius omnino uſus forent in colloquiis & congreſſibus hominum, niſi *ideæ*, quarum notæ ſunt, cum ſubſtantiis, quatenus reipſa exiſtunt, aliquam convenientiam haberent.

§. XXIX.

(38) *V. adn.* 128. *tom.* 1.

§. XXIX.

Uſum tamen præſtant in hominum conſociatione.

SEcundo, Etiamſi Animus, *quandocunque complexas ſubſtantiarum ideas format*, nullas unquam in unum congerit, quæ non revera ſimul exiſtant, aut exiſtere ſaltem videantur; & proinde conjunctionem iſtam a natura mutuatur: definitus tamen conjunctarum *numerus*, *a cura*, *ſtudio*, *& arbitrio ejus pendet*, *per quem congeries iſta perficitur*. Familiare eſt hominibus, pauculas quaſdam qualitates, quæ ſenſibus obverſantur, in unum colligere; & ſæpiſſime, pene dixeram ſemper, alias prætermittere, quæ non minus aptæ ſunt & inter ſe cohærentes. Subſtantiarum ſenſibilium duo ſunt genera; unum eſſet corporum organicorum, quæ per ſemen propagantur; in hiſce, figura exterior principis qualitatis locum obtinere, & nobis illud eſſe videtur, quod ſpeciem determinat. In *plantis* itaque, & *animalibus*, ultra extenſam ſubſtantiam ſolidam certa quadam figura præditam nihil quærimus. Licet enim plurimi celebratam iſtam definitionem *Animal rationale* magnificare videantur, ſi animal tamen inveniretur, ratione, & oratione, non autem ſpecie humana præditum, vix puto illud, utcunque *animal rationale* eſſet, in numero hominum haberetur. Et ſi *Balhami* aſinus per vitam omnem, ſermonem edidiſſet, haud ineptius, quam domino ſuo ſemel, mihi tamen dubium eſt, utrum, quis eum nomine *hominis* dignandum, cenſeret. Ut in plantis, & animalibus per figuram & formam exteriorem, ita in pleriſque omnibus aliis corporibus, quæ non ex ſemine procreantur, per colorem, utplurimum, rerum ſpecies ſecernimus. Sic auri colorem ubicunque reperimus, ibi reliquas omnes, intra complexam noſtram *ideam* comprehenſas, qualitates, eſſe ſuſpicamur: Atque duas iſtas communes qualitates, figuram nempe &

& colorem, *Specierum* diverſarum *ideas* adeo indubitatas reputamus, ut cum in pictura elegante, figuras & colores intuemur, quæ pennicillo clare exprimuntur, ſtatim dicimus, *hunc leonem eſſe*, *iſtam roſam*; *hunc aureum*, *iſtum argenteum eſſe cratera*.

§. XXX.

Plures vero eſſentias efficiunt eodem nomine ſignatas.

Etiamſi vero hoc ſatis ſit accommodatum ad ea exprimenda, quæ confuſe concipimus; accurato tamen ſermoni haudquaquam inſervit, quoniam *inter homines haud convenit*, *quot ſimplices ideæ*, *aut qualitates ad rem quandam ſpectent hoc aut illo nomine ſignatam*. Nec mirum hoc videri debet, plurimum enim laboris & ſtudii, ſolers & diutina diſquiſitio prius adhibenda ſunt, quam inveſtigari poſſit quid, & quot ſint ſimplices iſtæ ideæ, quæ natura cohærentes, ſemper in eodem ſubjecto ſimul reperiuntur. Plerique homines, vel propter temporis anguſtias, vel quia otioſam ætatem & quietam ſine tanto labore traducere malunt, in externa tantum figura hærere ſolent, atque ſatis habent, ea tantum notare, quæ primo obtutu ſenſibus objiciuntur, ut res commode a ſe invicem ad communes vitæ uſus diſtinguantur; quare, ſine ulteriori examine, nomina iis imponunt, aut uſurpant ea, quæ prius ab aliis poſita erant. Quæ, licet in ſermone quotidiano facile intelligantur ſigna eſſe paucarum qualitatum, quæ ſimul exiſtunt & crebro in ſenſus incurrunt, dici tamen nequeunt, definitum numerum *idearum* ſimplicium, multo minus eas omnes, quæ natura conjunguntur, certa ſignificatione complecti. Qui animo intuebitur, poſt diſputationes infinitas & verborum concertationes, quas *genus* & *ſpecies*, quas *differentia*

tiæ ſpecificæ in ſcholis excitarunt; quam paucarum admodum vocum definitiones ſint ratæ & communiter receptæ, haud ſine ratione credet, *formas* iſtas eſſentiales, circa quas tot diſceptationes, inania tantum *figmenta* eſſe, nec ad naturas rerum ſpecificas aperiendas lucis aliquid afferre. Qui ſecum etiam reputabit, quam neceſſe ſit, ut ſubſtantiarum nomina eas habeant ſignificationes, de quibus inter omnes, a quibus proferuntur, conveniat, ſic ſtatuet & judicabit, nominales ſubſtantiarum eſſentias, etſi ad naturæ exemplar effici omnes cenſentur, omnino, aut maxima ex parte, mancas valde & haud perfectas eſſe: Iſtarum enim *Idearum* complexus eſt in diverſis, quare *ſpecies* rerum ab hominibus determinantur, non a natura, quæ, incertum eſt, utrum eſſentias certis concludat terminis, nec ne. Fateor equidem, plurimas ſubſtantias ſingulares natura ita factas eſſe, ut in illarum inter ſe convenientia & ſimilitudine naturæ generalis fundamentum jaci poſſit. Cum vero in claſſes, ſive *ſpecies* certas ideo res partimur, ut eas nominibus communibus complectamur, haud video, quomodo proprie dici poſſint *ſpecies* rerum a natura determinari; aut ſi determinantur, non nos iiſdem, quibus natura, terminis, *ſpecies* rerum finimus. Non enim, quibus in præſentem uſum nominibus generalibus opus eſt, haud cunctamur & hæſitamus eo uſque, quoad omnes iſtas qualitates exploratas habeamus, quæ præcipuam rerum inter ſe convenientiam & pugnam optime nobis patefacerent; verum ipſimet, per iſta, quæ ſenſibus obverſantur, eas in *ſpecies* diſtribuimus, ut eo facilius, nominibus generalibus, cogitationes noſtras cum aliis communicemus. Cum enim in ſubſtantiis nihil cognitum ſit nobis, præter ſimplices *ideas*, quæ conjunguntur in iis; cum animadvertamus etiam, multas res ſingulares cum aliis convenire, in plurimis ſimplici-

um iſtarum *idearum*, complexum ſive congeriem iſtam *ideam* noſtram ſpecificam dicimus, atque nomen univerſale iſti tribuimus; ut quandocunque cogitationes noſtras, & ſermonem cum aliis literis conſignaturi ſumus, verbo uno Individua omnia deſignari poſſint, quæ in complexa iſta *idea* conveniunt, haud enumeratis ſimplicibus *ideis*, e quibus coagmentatur; & ut ita verborum multitudine nec nobis nec aliis negotium faceſſamus: quod illi facere neceſſario coguntur, qui de rebus novis loquuntur, quibus nomina nondum ſunt impoſita.

§. XXXI.

Specierum eſſentiæ ſub eodem nomine diverſæ.

UTcunque vero Subſtantiarum *Species* iſtæ ad vitæ communis uſus ſatis aptentur, perſpicuum tamen eſt, *ideam* hanc complexam, in qua plura Individua convenire deprehenduntur, ab hominibus diverſis fieri diverſo modo; a nonnullis magis, ab aliis minus accurate. In quibuſdam *idea* hæc complexa plures, in aliis pauciores qualitates continet: atque ita illud plene patet, quod mente efficiatur. Puerorum opinione color rutilus *aurum* conſtituit; alii pondus, ductilitatem, & fuſilitatem addunt; alii adhuc qualitates alias, quas rutilo iſti colori non minus conſtanter, quam pondus & fuſilitatem, junctas reperiunt, in omnibus enim hiſce, & ſimilibus attributis, unius non minus eſt, quam alterius jus, ut ponatur in idea complexa ſubſtantiæ, in qua omnia conjunguntur. Quare, cum plurimi, prout aliis ſolertiores ſunt, aut in rebus ponderandis majorem adhibent diligentiam, diverſo ab aliis modo, ſimplices *ideas* adſciſcant, aut negligant in iſto ſubjecto,

Auri

Auri diverſas eſſentias habebunt; has igitur cujuſque proprium, non autem naturæ opus eſſe neceſſe eſt (39).

§. XXXII.

Ideæ noſtræ quo univerſaliores, eo magis incompletæ & partiales ſunt.

SI *numerus idearum ſimplicium, quæ ſpeciei infimæ nominalem eſſentiam, aut primam Individuorum in Species diſtributionem efficiunt, pendet e mente humana* vario eas colligente modo, multo magis perſpicuum eſt, rem ita ſe habere in *claſſibus* iſtis, quæ latius patent, quas Logici *Genera* vocant. Hæc *ideæ* ſunt complexæ conſulto quidem imperfectæ; in quibus plurima ex attributis iſtis prætermittuntur, quæ reperiuntur in rebus ipſis. Sicut enim mens, ut *ideas* generales, ſingulares plures ſub ſe continentes effingat, quæ temporis, & loci ſunt, atque alias ejuſmodi miſſas facit, per quas ad unum tantum individuum determinantur; ita, ut univerſaliores adhuc *ideas* conficiat, quæ *ſpecies* diverſas complectantur, attributa omittit, quibus ſecernuntur a ſe invicem, eas tantum *ideas*, quæ communes ſunt pluribus ſpeciebus, in novum iſtum complexum inferit. Eadem vitæ commoditas, quæ in cauſa erat, quod flavæ materiæ portiones variæ huc a *Guinea*, & *Peruvia* advectæ, nomine eodem notentur, efficit etiam, ut homines unum nomen excogitent, quod ſimul cum auro, & argento, alia corpora, ſpecie diverſa, complectatur; hoc ſimiliter fit, attributa prætereundo, quæ propria ſunt ſpecierum ſingularum; atque *ideam* complexam retinendo, ex iis conflatam, quæ communia

(39) *V. adn.* 33. *tom.* 2.

munia ſunt unicuique *ſpeciei*. Cui ſi vox *metallum* tribuatur, *Genus* conſtituitur, cujus eſſentia cum abſtracta ſit *idea* iſta, quæ ductilitatem & fuſilitatem tantum continet, ſimul cum certis quibuſdam gradibus ponderis & fixitatis, in quibus corpora ſpecie diverſa conveniunt, color prætermittitur, atque aliæ qualitates, quæ peculiares ſunt auro, argento, atque aliis ſpeciebus, quæ ſub *Metalli* nomine comprehenduntur. Hinc patet, homines generales ſubſtantiarum *ideas* quando contexunt, haud propoſita a natura exemplaria ſequi, cum nullum ſit corpus, in quo ductilitas & fuſilitas ſola eſt abſque aliarum qualitatum conſortio, quæ non minus a ſe invicem ſeparari poſſunt. Homines vero, qui in *ideis* univerſalibus contexendis, per breves & ſignificantes notas ſermonis magis utilitatem & compendium inveſtigant, quam veram rerum ipſarum naturam, in abſtractis *ideis* formandis, ſcopum iſtum præcipue ſpectantes, nominum alio atque alio modo univerſalium copiam ingentem excogitarunt. Adeo ut in toto hoc argumento de *generibus* & *ſpeciebus*, *Genus*, ſive id, quod latius patet, partialis tantum iſtius conceptus ſit, quod in *ſpecie* continetur, atque *ſpecies* incompleta iſtius *ideæ* ſit, quod reperitur in individuo. Si cui ergo videtur, hominem, equum, animal, plantam, &c. diſtingui per reales eſſentias, e rerum natura fluentes, naturam in realibus hiſce eſſentiis largiendis quam maxime prodigam eſſe, putat, neceſſe eſt, cum aliam corpori, aliam animali, aliam equo; atque univerſas *Bucephalo* effuſe tribuat. Ad ea vero omnia, quæ ad *Genera* hæc & *Species* pertinent, ſi diligenter animos attenderemus palam foret, nihil de novo fieri præter ſigna quædam magis minuſve univerſalia; quorum adminiculo multas res ſingulares pauciſſimis efferimus verbis. In quibus omnibus licet animadvertere, vocem maxime univerſalem, ſemper nomen eſſe *ideæ* minus complexæ; atque Genus unumquod-

que

que non niſi partialem eſſe conceptum *ſpeciei* ſub eo contentæ. Quare, ſi abſtractæ hæ *ideæ* univerſales, perfectæ & completæ eſſe cenſentur, id dici tantum poteſt relationis cujuſdam reſpectu, quam habent cum certis quibuſdam nominibus, quæ ad eas exprimendas adhibentur; non rei ullius reſpectu, quæ in rerum natura exiſtat (40).

§. XXXIII.

Hoc omne ad finem orationis accommodatum eſt.

HOc ad verum Sermonis finem accommodatum eſt, cujus eſt viam maxime compendiariam, ad notionum & cognitionum inter homines commercium aperire. Ita nimirum, ſi cui ſermo ſit de rebus, uti conveniunt in *idea* complexa *extentionis* & *ſoliditatis*, ad eas omnes donandas ſatis eſt, vocem tantum *Corpus* uſurpare. Qui hiſce alias adjiceret, per voces, *vitam*, *ſenſum*, & *motum ſpontaneum* notatas, per vocem *animal* res omnes deſignaret, *idearum* iſtarum participes: & qui complexam *ideam* contexeret corporis, ſimul cum vita, ſenſu, motu, nec non facultate ratiocinandi, & certa quadam figura, ad ſignanda omnia, quæ complexæ iſti *ideæ* reſpondent, opus tantum haberet, vocem tribus ſyllabis *hominem* repetere. Hoc *Generis* & *Speciei* munus eſt proprium: Atque hæc fiunt ab hominibus, ſine ullo reſpectu *ad reales eſſentias*, aut *formas ſubſtantiales*, quæ in noſtram intellectionem non cadunt, cum de rebus iſtis cogitamus; nec intra vocum noſtrarum ſignificationem, quando cum aliis ſermonem habemus (41).

§. XXXIV.

(40) *V. adn.* 34. 37. 38. *tom.* 2.
(41) Repetitio eſt §. XXI. hujus cap.

§. XXXIV.

Exemplum petitur ab ave Caſſuaris *quæ dicitur*.

SI mihi cum quopiam ſermo eſſet inſtituendus, de quadam avis ſpecie, quam nuper conſpexi in vivario *Sancti Jacobi*, quæ tres circiter, aut quatuor pedes alta, pro corporis tegumento, medium quid habebat inter plumas & pilos, fuſci erat coloris, alarum expers, quarum in loco duo vel tres ramuli enati ſunt, ad ſpeciem virgultorum Geniſtæ Hiſpanicæ; cruribus utebatur craſſis & oblongis, pedibus trium tantum unguiculorum, cauda nulla; neceſſe haberem hac uti deſcriptione, ut animi mei ſenſum aliis aperirem (42). Ab aliis vero quando accipio, nomen iſtius eſſe *Caſuarium*, tum mihi fas eſt, vocem iſtam, memoratæ ſuperius deſcriptionis loco, uſurpare; etſi per vocem iſtam, quæ nunc in nomen ſpecificum abiit, generis iſtius animalium eſſentia realis, ſive conſtitutio interna, non mihi magis, quam prius, perſpecta eſt, & quidem puto, me, priuſquam nomen didici, avium iſtarum non minorem habuiſſe notitiam, quam Angli *Cycnorum* habent, aut *Ardearum*, quæ ſpecifica ſunt, & nota nomina avium noſtrarum.

§. XXXV.

Homines ſpecies determinant.

EX dictis patet, Homines diverſas rerum ſpecie formare. Cum enim ſolæ eſſentiæ diverſas *ſpecies* conſtituant, perſpicuum eſt, eos, a quibus *ideæ* iſtæ abſtractæ formantur, quæ nominales ſunt eſſentiæ

(42) *V. adn.* 35.

tiæ adhuc eodem modo ſpecies (*). Si corpus forte inveniretur, quod, præter ductilitatem, *auri* reliqua attributa omnia haberet, res, ſine dubio controverſa foret, utrum ad *auri ſpeciem* referenda eſſet, necne (43). Controverſia hæc non aliter dirimi poſſet, niſi per *ideam* iſtam abſtractam, cui *auri* nomen ab omnibus tribuitur: quare illi verum eſſet *aurum*, qui a nominali eſſentia, per vocem *aurum* ſignata, ductilitatem excluderet; non illi contra, qui in nominalem eſſentiam ductilitatem insereret. Et quinam, quæſo, ſunt, qui *ſpecies* diverſas uno eodemque nomine complectuntur, niſi qui diverſas duas *ideas* abſtractas contexunt, non ex iiſdem plane qualitatibus conſtantes? Nec quidem abſurdum eſt exiſtimare, corpus exiſtere poſſe, in quo aliæ omnes auri qualitates abſque ductilitate reperiantur; cum exploratiſſimum ſit, tantam acerbitatem & obſtinationem (uti artifices loquuntur,) auro nonnunquam ineſſe, ut mallei ictui, non magis, quam vitrum, obſequatur. Quicquid hic de auri ductilitate dicitur, de peculiari iſtius pondere, fixitate, atque aliis qualitatibus dici poteſt: utcumque enim qualitates rejectæ, aut in congeriem cooptatæ fuerint, extra dubium eſt *ideam* complexam, cui nomen illud annexum eſt, ſpeciem conſtituere: atque nomen ſpeciei ad ſingularem aliquam materiam pertinet, quatenus *ideæ* iſti reſpondet. Atque hoc modo res aliqua verum dicitur *aurum*, perfectum *metallum*. Quam omnem *ſpeciei* determinationem e mente pendere, clariſſime apparet, per quam complexæ omnes *ideæ* coagmentantur.

§. XXXVI.

(*) Hic juxta Coſte verſionem.

(43) Deberet tum nova definitione illud corpus explicari. Eveniret ut monſtris quotidie videmus (35).

§. XXXVI.

Natura ſimilitudinem efficit.

UNo verbo, res ita ſe habet: *Natura multas res ſingulares fabricatur, quæ conveniunt* inter ſe, in plurimis qualitatibus ſimplicibus, & probabiliter in conſtitutione etiam interna: attamen non per realem hanc eſſentiam, in *ſpecies* diſtinguuntur; verum *homines*, occaſionem ex qualitatibus arripientes, quas in iis conjunctas vident, & in quibus multa Invidua convenire, ſæpius animadvertunt, *eas digerunt in claſſes, ut nominibus univerſalibus ſignentur*; quibus Individua, prout congruunt cum hac aut illa *idea* abſtracta, tanquam ſignis, continentur: Quemadmodum nimirum dicimus, hanc cæruleam, illam rubram eſſe prætorianorum militum cohortem; hunc hominem, illum eſſe ſimiam: Atque hoc, puto, *Generis* & *Speciei* rem totam complectitur.

§. XXXVII. Haud inficias eo, naturam, in conſtanti rerum ſingularium procreatione, non eas novas ſemper & varias efficere, verum ſimillimas & ſibimet invicem cognatas. Nihilominus tamen verum eſſe puto, *ſpecierum fines ab hominibus terminari*; cum *ſpecierum* eſſentiæ, diverſis ſignatæ nominibus, ex mentis humanæ, ut ſuperius oſtenſum eſt, officina prodeant, & raro ſint adæquatæ internæ rerum naturæ, e quibus deſumuntur. Quare vere dici poteſt, talem rerum diſtributionem, opificium eſſe intellectus humani.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Unaquæque Idea abſtracta eſt eſſentia.

IN his, quæ a me tradita ſunt, illud, ſcio, mirum videbitur, quod ex dictis ſequatur, *ideam omnem abſtractam, cui nomen impoſitum eſt, diſtinctam conſtituere ſpeciem*. Quidni, ſi veritatis ratio illud poſtulet? Rem ita ſe habere, fatendum eſt; uſque dum aliquis oſtenderit, rerum ſpecies per aliud quodpiam terminari & diſtingui; atque ſolide edocuerit, voces univerſales non *ideas* noſtras abſtractas, verum aliquid ab iis diverſum, ſignificare. Scire velim, cur *Melitæi* villoſique *canes* non æque a *venaticis*, ac *Hiſpanioli* ab *Elephantibus ſpecie* disjuncti ſint. Eſſentiæ, cum non niſi ſimplicium *idearum* ſit congeries, diverſitas non in illis minus, quam hiſce elucet (44).

§. XXXIX.

Genera & Species inventa ſunt, ut nomina rebus imponerentur.

QUantum *Generum & Specierum confectio nomina generalia reſpiciat*, quouſque etiam nomina generalia neceſſaria ſint, ſi non ad *ſpeciei* exiſtentiam, ſaltem ad perfectionem iſtius præter ea, quæ de glacie & aqua (*) ſuperius diximus, ex perſpicuo & admodum familiari exemplo patebit. Horarium, quod ſilet & non niſi horas annotat, & horarium,

(44) Ratio eſt, quod vocabula ſunt arbitraria, verum exprimunt ſemper conceptus, & in genere ideas abſtractas (30. 32. 33. *tom.* 2.)

(*) Vid. ſupra §. 13. hujus Capitis.

rarium, quod tintinnabuli ſonitu tempus metitur, illi unius ſunt *ſpeciei*, qui illorum unicum tantum nomen habet: At qui illud *Automatum horarium*, hoc *Horologium* appellat, & complexas illorum *ideas* a ſe invicem ſecernit, huic *ſpecies* ſunt diverſæ. Dicet aliquis, hæc duo contextu & fabrica multum inter ſe diſſidere, quorum etſi faber automatarius claram habet *ideam*, unica tamen ſpecies dicenda ſunt, ſi ad ea ſignanda ipſi unum tantum nomen ſuppetit. In contextu enim interiori ad novam *ſpeciem* conſtituendam quid ſatis eſſe putatur? In quibuſdam *automatis* quatuor, in aliis quinque ſunt rotæ, hæccine artifici ſpecifica eſt differentia? Nonnulla chordas ſive fila habent, alia non habent; in quibuſdam libramentum liberum eſt & ſolutum, nonnunquam linea, in ſpiram ducta, atque ſæpe ſetis ſuillis dirigitur. Num quid horum, num hæc omnia artifici, qui horum omnium gnarus eſt, differentiam ſpecificam efficiunt (45)? Extra dubium eſt, ſingula a reliquis reipſa diſtingui; utrum vero eſſentialis, ſive ſpecifica differentia ſit, nec ne, diſcendum eſt ex *idea* complexa tantum, cum *horologii* nomen tribuitur. Quamdiu omnes hæres conveniunt in *idea* nominis iſtius, quod non diverſas *ſpecies* nomine communi complectitur, neque eſſentialiter neque ſpecifice differunt. Si quis autem, propter diſcrimen illud, quod intra horologia animadvertit, minutiores partitiones faciet, atque definitis iſtiuſmodi *ideis* nomina imponet; iis tunc novæ erunt *ſpecies*, qui *ideas* iſtas, cum illarum nominibus, adepti, poſſunt per differentias iſtas horologia in ſpecies ſuas diſtribuere (46); atque ita *horologium* nomen eſſet commune. Illis tamen haud

(45) At ratione conceptus indicati eadem ſunt, ambo metiuntur tempus. Nec modum ad hoc pertinet.

(46) Et artifices efficiunt revera.

haud diverſæ eſſent *ſpecies*, qui automatariæ, & internæ automatorum ſtructuræ penitus ignari, non aliam *ideam* habent, præter molem & figuram exteriorem, atque horarum per indicem horarium notationem. Illis enim alia omnia nomina voces tantum ſynonymæ eſſent *ideæ* ejuſdem, nec aliud quid, præter *horologium* denotarent. Haud ſecus, puto, ſe res habet in entibus naturalibus. Nemini, dubium magis eſt, utrum rotæ ſive nervi interiores, (ſi ita dicere licet) in homine ingenio pollenti, & fatuo, ſint diſſimiles, quam vocatur in controverſiam, utrum in fabrica interiori diſcrimen ſit aliquod inter papilionem (Drill) & fatuum. Utrum vero una, aut altera differentia eſſentialis ſit, aut ſpecifica, ſciri tantum poteſt per *ideam* complexam, quam nomen exprimit. Exinde enim patet; utrum ejuſmodi entia homines dicendi ſint, necne, prout ſcilicet cum ea conveniunt, aut pugnant.

§. XL.

Rerum artificialium ſpecies minus confuſæ ſunt, quam naturalium.

EX dictis patet, *cur res arte factæ vulgo minus confuſæ ſint, & incertæ, quam naturales*. Illæ cum elaboratæ ſint induſtria hominum, nullam *ideam* aut eſſentiam denotant, cujus cognitio non ſit facilis. Cum enim *idea*, ſive eſſentia rerum *Artificialium*, poſita utplurimum ſit in certa tantum figura partium ſenſibilium, quam in materia idonea effingit artifex, haud vires ingenii noſtri ita ſuperat, quo minus ideam de ea nobis formare certam & hujus beneficio ſignificationem nominum determinare, ut ſpecies *rerum* artificialium, cum diſtinguantur, minus habeant dubitationis, obſcuritatis, & æquivocationis, quam in rebus naturalibus reperiuntur, qua-

rum differentiæ atque operationes e ſolertia & partium conformatione oriuntur quæ in noſtram intelligentiam non cadunt.

§. XLI.

Res artificiales ſpecierum diſtinctarum.

Lector, ſpero, mihi veniam dabit, ſi in ea ſim opinione, *rerum artificialium*, æque ac naturalium, *ſpecies eſſe diſtinctas*: cum videam, eas non minus diſtincte, & ordinate diſtribui in claſſes, per diverſas *ideas* abſtractas, generalibus annexis nominibus, non minus a ſe mutuo diſtinctis, quam quæ entium ſunt naturalium. Quidni enim putemus, *ſclopetum* ab *authomato horario* ſpeciei non minus diſtingui, quam equus a cane differt, cum in mentibus noſtris per diſtinctas *ideas* depingantur, atque aliis per diverſas appellationes exprimantur?

§. XLII.

Solæ ſubſtantiæ propria habent nomina.

Circa *Subſtantias* ulterius animadvertendum eſt, eas *ſolas* ex *ideis noſtris omnibus propria habere nomina*, quibus unica tantum res ſingularis deſignatur. Quoniam in *ideis* ſimplicibus, Modis, & Relationibus, hujus aut illius ſingularis Ideæ, quando abeſt, mentio rariſſime fieri conſuevit. Præterea maxima pars Modorum mixtorum, cum ſint actiones, quæ in ipſo ortu intereunt, nequeunt diuturnæ eſſe, ut ſubſtantiæ ſunt, quæ ſunt Agentes, & in quibus *ideæ* ſimplices, quæ complexas formant nomine ſingulari ſignatæ, firmam & perennem habent inter ſe conjunctionem.

§. XLIII.

§. XLIII.

De vocibus tractare difficile eſt.

ORandus eſt Lector, ut mihi condonet illud, quod argumentum hoc prolixe adeo, atque parum fortaſſe dilucide tractaverim. Vellem autem conſideraret, quam *difficile ſit*, *verbis aliquem ad rerum cogitationem deducere*, *quæ nudæ ſunt a differentiis iſtis ſpecificis*, quas iis impertimur. Quas res, ſi non nominibus appello, nihil omnino dico; ſin appello, in claſſem aliquam eas diſtribuo, atque ita vulgarem *ſpeciei* iſtius *ideam* abſtractam menti ſuggerens, facio illud quod contra meum eſt inſtitutum. Cum enim de *homine* ſermo eſt, ſi miſſa communi ſignificatione nominis iſtius, quæ noſtra eſt *idea* complexa, Lectorem monerem, ut hominem ſpectaret, prout in ſe eſt, atque ut per internam conſtitutionem, & realem eſſentiam, hoc eſt, per ejuſmodi quid, cujus plane eſt ignarus, ab aliis omnibus reipſa diſtinguitur, hoc revera ineptire eſſet. Hoc vero faciendum eſt, cum loquimur de realibus iſtis eſſentiis & rerum *ſpeciebus*, quatenus a natura fieri exiſtimantur, ſi non alia de cauſa, ſaltem ut intelligatur, nihil tale per ſubſtantiarum nomina generalia ſignificari. Quoniam vero haud facile hoc fieri poteſt per nomina nota, & quæ ſunt in uſu communi, fas mihi ſit, diverſum iſtum reſpectum *idearum*, & nominum ſpecificorum, qui in mente eſt, exemplo explicatiorem reddere, atque oſtendere quomodo *Modorum ideæ complexæ* referantur aliquando ad archetypos in aliorum mentibus conſtitutos; vel, quod idem ſonat, ad ſignificationem, quam alii nominibus impoſuerunt; & aliquando ad nullos omnino archetypos. Liceat mihi inſuper oſtendere, quomodo mens ſubſtantiarum *ideas* ſuas ſemper, vel ad ſubſtantias ipſas, vel ad nominum ſignificationem, tan-

quam ad illarum exempla, referat; atque ad *ſpecierum* etiam, quatenus apprehenduntur, & a nobis uſurpantur, naturam & rerum in ſpecies reductionem explicandam; nec non eſſentiarum ſpecierum iſtarum, quæ, fortaſſe, plus habent momenti ad cognitionis noſtræ terminos & certitudinem aperiendum, quam nobis primo aſpectu videtur.

§. XLIV.

Exempla Modorum mixtorum in Kinneah *&* Niuph.

Fingamus animis, *Adamum* ætate jam provectum, ſagaci, & bona mente præditum, eſſe in terra remota rebus novis, & incognitis undique circumdatum; nec ad illarum cognitionem conſequendam alias habere mentis facultates, quam quibus homines nunc præditi ſunt. In ea conſtitutus conditione videt forte *Lamechum*, ſolito triſtiorem, mœroris cauſam eſſe putat, quod ſuſpicetur, ſuam uxorem *Hadam* (quam mirifice amabat) alium deperire. Adamus cogitationes ſuas cum *Heva* participat, rogat, caveret, ne *Hada* ſcelus admitteret: Atque in hiſce ſermonibus cum *Heva* utitur novis hiſce vocibus, *Kinneah* & *Niuph*. Interjecto tempore *Adami* error aperitur, diſcit quippe, Lamechum ideo ægrum eſſe animo, quod hominem interfecerit. Nominibus tamen iſtis, *Kinneah* & *Niuph*; quorum unum tori temerati ſuſpicionem, quæ in marito eſt, alterum ſceleris actum in conjuge, ſive factam marito injuriam denotat, certe ſignificationes ſuæ manent. Hic plane duæ diſtinctæ ſunt *ideæ* complexæ Modorum mixtorum, quibus nomina ſunt annexa, rogo itaque harum actionum, ſpecies diſtinctarum, eſſentiæ in quoniam conſiſtat? Reſpondetur; certo in complexu *idearum* ſimplicium, quæ diverſis complexibus diver-

ſæ

ſæ ſunt. Quæ res, utrum *idea* complexa in mente *Adami*, *Kinneah* quam vocabat, adæquata fuerit, nec ne? Affirmatur; quoniam enim complexus erat *idearum* ſimplicium, quibus ille pro arbitrio ſuo in unum congeſtis, ſine reſpectu aliquo ad archetypum ſive exemplar quoddam, nomen *Kinneah* impoſuit, ut per unicum iſtum ſonum *ideas* omnes ſimplices, quæ in complexa continentur, aliis breviter exprimeret, neceſſario ſequitur, *ideam* iſtam adæquatam fuiſſe. Cum ergo hæc conjunctio non niſi voluntate eſſet confecta, iſta omne id ſuo complectebatur ambitu, quod ut complecteretur, ipſe volebat; & ita non potuit non eſſe perfecta & adæquata, quia exiſtimari non poterat, eam ad ullum alium Archetypum reſpicere, quem referre ac repræſentare deberet.

§. XLV. Voces iſtæ, *Kinneah* & *Niuph*, uſu deinde communi paulatim comprobabantur, & tunc ſecus paulo ſe res habuit. Filiis *Adami*, in quibus eædem erant mentis facultates, æque integram, ac ipſi erat, habebant virtutem, *Modorum mixtorum* ideas quaslibet animis effingere; eas ab aliis praſcindere, &, quomodocunque vellent ſonos, ſigna illarum efficere. Cum vero nominum uſus ſit, ut *ideæ* noſtræ aliis innoteſcant, id fieri nequit, niſi ubi vox eadem *ideam* eandem in duobus ſignat, inter quos ſermonis & cognitionum communicatio inſtituenda eſt. *Adami* itaque filiis, qui duas iſtas voces, *Kinneah* & *Niuph*, in communi uſu invenerunt, haud ſoni inanes eſſe videri poterant: Verum quia nomina erant communia, concluderent, oportebat, *ideam* aliquam, abſtractas nimirum, quæ ſunt eſſentiæ ſpecierum, nominibus iſtis ſignatarum, iis ſignificari. Quare ſi voces iſtas adhiberent, ad ſpecies notandas, ſancitas prius, & communiter receptas, æquum erat, ut *ideas* in mentibus ſuis, nominibus iſtius ſignatas, ad eas, quas in aliorum animis denotabant, tanquam ad Archetypos & exempla-

ria ſua conformarent; atque ita quidem eorum *ideæ* Modorum complexorum facile inadæquatæ eſſe poterant, quibus nimirum in proclivi erat (iis præſertim, in quibus complexus erat plurium ſimplicium) ab *ideis* diſſidere in aliorum mentibus conſtitutis, qui iiſdem nominibus oriuntur. Attamen huic rei remedium in promptu adeſt, interrogare nempe ab eo, quocum ſermo eſt, ſignificationem vocis cujuſvis nobis incognitæ. Non minus enim arduum eſt, ſcire pro certo, quid voces *zelotipia* & *adulterium* (quas vocabulis iſtis Hebræis *Kinneah*, & *Niouph* reſpondere puto) in alterius mente denotent, cum quo de iis colloqui volo, quam, in ſermonis initio, ſcire difficile erat, ſine ulla explicatione, quid per *Kinneah* & *Niuph* ſignaretur in animo alterius, cum in unoquoque ſigna ſint voluntaria.

§. XLVI.

Exemplum ſubſtantiarum in Zahab.

AD hunc modum nominum Subſtantiarum etiam primam originem paululum inveſtigemus. Unus e filiis Adami, dum montes pererrat, incidit forte in ſubſtantiam fulgentem, quæ oculos ejus delectatione allicit; domum eam fert ad *Adamum*, qui diligenter rem intuens, eam duram, flavam & rutilam, & valde ponderoſam eſſe, deprehendit. Præter has, non alias fortaſſe primo aſpectu, qualitates animadvertit, atque ideam hanc complexam abſtrahens, ex ſubſtantia conflatam, in qua peculiaris iſta rutila flavedo eſt, atque pondus majus, quam pro mole iſta, nomen *Zahab* excogitat, ad ſubſtantias omnesſignandas, qualitatibus iis præditas. Liquido patet, Adamum, in hoc caſu, rationem ſequi longe ab ea diverſam, qua prius utebatur in formandis *ideis* iſtis Modorum mixtorum, quibus nomina *Kinneah*

neah & *Niuph* tribuebat; ibi enim, ſuæ tantum ipſius phantaſiæ & arbitrio morem gerens, *ideas* inter ſe junxit, haud a rei ullius exiſtentia petitas; atque iis nomina impoſuit, ad res omnes notandas, quæ in poſterum forte cum abſtractis iſtis *ideis* convenirent, nullo habito reſpectu rei iſtius exiſtentiæ: in eo caſu ipſemet exemplar effinxit. Secus ſe res habet cum novæ hujus ſubſtantiæ *ideam* effingit, hic enim exemplar natura ipſa ſuppeditat; quando igitur eam, vel abſentem, per *ideam*, quam habet, ſibimet repræſentaturus eſt, nullam *ideam* ſimplicem in complexum ſuum inſerit, niſi quæ in re ipſa plane elucet. Studet præcipue, ut *idea* cum hoc archetypo congruat, atque congruæ iſtiuſmodi *ideæ* nomen imponendum eſſe, ſtatuit.

XLVII. Portionem hanc materiæ, ab *Adamo* quæ *Zahab* dicitur, cum penitus ab omnibus diverſa ſit, quas prius viderat, diſtinctæ eſſe ſpeciei, atque eſſentiæ peculiaris, nemo, arbitror, inficiabitur: atque vocem *Zahab* notam eſſe *ſpeciei*, atque nomen rerum omnium, quæ participes ſunt eſſentiæ iſtius; perſpicuum vero eſt, eſſentiam, quam *Adamus* nomine *Zahab* ſignavit, nihil aliud fuiſſe, quam corpus durum, rutilum, flavum, ponderoſum. Curioſa autem mens humana, ſuperficiali hac, ſi modo ita loqui fas eſt, qualitatum cognitione non contenta, Adamum ad ulteriorem hujus materiæ diſquiſitionem ſtimulat. Quare, ut interiora ſcrutetur, ſilicibus eam contundit: Ictibus eam cedere & quaquaverſum flecti, non vero diſrumpi, aut divelli facile perſentit. Annon ductilitas priori nunc *ideæ* adjicienda eſt, ut pars ſit eſſentiæ ſpeciei, quæ nomine *Zahab* ſignatur? Poſt alia experimenta fuſilitas, & fixitas ſemet oſtendunt. Annon hæc eadem de ratione, qua alia iſta, in complexam iſtam *ideam* referenda ſunt? Ex eodem ratiocinatio patebit, alias omnes qualitates, quæ in materia iſta unquam deprehendentur, com-

plexam iſtam *ideam* ingredi debere, & proinde ſpeciei eſſentiam eſſe, quæ nomine iſto effertur; & quoniam qualitates iſtæ infinitæ ſunt, fieri non poteſt, quin *idea*, ad exemplar hoc ita formata, ſemper inadæquata ſit.

§. XLVIII.

Ideæ *Subſtantiarum imperfectæ & proinde variæ ſunt.*

SEd hoc non totam conficit rem; ſequeretur inſuper, quod *Subſtantiarum nomina* non haberent tantummodo, (prout revera habent) verum habere etiam cenſerentur *ſignificationes diverſas*, *prout a diverſis uſurparentur*, unde in ſermonis uſu confuſio magna oriretur. Si enim qualitates ſingulæ, quæ in materia aliqua a quovis reperiuntur, pars neceſſario eſſent *ideæ* complexæ communi, quod tribuitur iſti, nomine ſignatæ, fieri non poſſet, quin homines ſupponerent, vocem eandem in diverſis hominibus res diverſas ſignificare: Extra enim dubium eſt, homines diverſos in ſubſtantiis eodem nomine notatis, qualitates reperiſſe, aliis penitus ignotas.

§. XLIX.

Ad ſpecies itaque determinandas, realis eſſentia excogitatur.

AD hoc devitandum, *certi homines unicuique ſpeciei realem eſſentiam affixerunt*, quam proprietatum omnium fontem eſſe, & per ſpeciei nomen denotari volunt. Cum vero nullam habeant *ideam* realis iſtius eſſentiæ in ſubſtantiis, atque voces nihil ſignificent, quam *ideas*, quas in mente habent, eſſen-

ſentiam iſtam figentes ita, nomen tantum pro re ſubſtituunt, eſſentia iſta reali prædita, quid eſſentia ipſa ſit, plane ignorantes, in hoc errore homines verſantur, de rerum ſpeciebus quando loquuntur, quaſi naturæ opificia eſſent, & per reales eſſentias diſtinguerentur.

§. L.

Suppoſitio hæc nullius eſt uſus.

UT rem propius intueamur; quando dicimus, *aurum* omne eſſe fixum, aut volumus fixitatem partem eſſe definitionis, ſive nominalis eſſentiæ, pro qua vox *aurum* ſubſtituitur; atque ita enunciatum hoc *omne aurum eſt fixum*, nihil continet, præter ſignificationem vocabuli iſtius *Aurum*. Aut volumus fixitatem, cum non pars ſit definitionis vocis *aurum*, eſſe proprietatem ſubſtantiæ iſtius; & ita, palam eſt, vocem *aurum* ſubſtantiæ loco poni, in qua eſſentia realis eſt generis cujuſdam entium, quod natura ipſa fabricata eſt; hoc modo quoties ſubſtituitur, confuſam adeo atque incertam habet ſignificationem, ut etiamſi propoſitio hæc, *Aurum eſt fixum*, in iſto ſenſu aliquid, quod reale eſt, enuntiet; veritas tamen eſt, quæ ſingularibus applicata ſemper vacillabit, & ita etiam incerta valde & plane inutilis eſt. Utcunque enim verum ſit, *aurum* omne, *i.e.* omne, quod *auri* eſſentia reali præditum eſt, eſſe fixum, quorſum tamen hoc, dum, quid ſit aut non ſit *aurum*, prorſus ignoramus? Nam ſi *auri* eſſentia realis non latet, qua ratione ſciemus, utrum materia quædam eſſentiam iſtam habeat, & proinde utrum verum ſit *aurum*, nec ne?

§. LI.

Concluſio.

UT verbo omnia dicam; non minus aliis integrum eſt, quam Adamo olim erat, complexas quaſvis *ideas Modorum mixtorum* ad arbitrium ſuum, ſine ullo exemplari formare. Atque eadem neceſſitate, quæ Adamum, niſi ſponte ſua ſibimet imponere voluiſſet, ſubſtantiarum *ideas* ſuas ad res externas conformare coegit, nos omnes aſtricti tenemur. Nec illi major licentia primitus conceſſa erat, nomen novum *ideæ* cuidam imponendi, quam univerſis nunc permiſſa eſt, (præſertim iis, ſi qui modo ſunt, a quibus linguarum exordia proficiſcuntur) cum hoc tamen diſcrimine, quod iis in locis, in quibus homines ſocietate conjuncti, ſermonem ante inter ſe ſanciverunt, vocum ſignificationes caute admodum, & rariſſime immutandæ ſint; quoniam, cum ſatis abunde ſit nominum, quæ, certis *ideis* impoſita, communis uſus approbavit, abſurde is faceret, qui ſtudioſe iis abuteretur. Qui novas notiones habet, nova, quibus eas exprimat, producere vocabula nonnunquam fortaſſe haud dubitabit. Homines vero licentiam iſtam ipſius haud permittunt, atque dubium eſt, utrum voces iſtas uſus ſit confirmaturus, nec ne. Cum vero ſermonem cum aliis communicamus, conſentaneum eſt, ut *ideas*, quas vocibus exprimimus, quæ communi ſunt in uſu, ad vulgarem popularemque ſenſum accomodemus, de quo fuſe diſſeruit), aut ſaltem novam illarum ſignificationem aperte explanemus (*).

CAP.

(*) Reliqua hujus libri ſunt præciſa, clara, permagne utilia quapropter omnia cum attentione perlege.

CAP. VII.

De Particulis.

§. I.

Particulæ, partes orationis, inter ſe connectunt.

PRæter eas, quæ nomina ſunt *idearum*, quas in mente habemus, multæ ſunt aliæ voces, quarum uſus eſt indicare, quomodo mens *ideas*, *aut propoſitiones inter ſe connectat*. Mens, cogitationes ſuas cum alio quando communicare geſtit, non opus eſt tantum ſignis illarum *idearum*, quæ ipſi tunc obverſantur, verum aliis etiam, quibus actum aliquem, ſui ipſius proprium, deſignet, quique ad ideas iſtas reſpectum habet. Hoc variis modis facit; *eſt*, & *non eſt*, ſigna ſunt communia, quibus mens utitur in affirmando & negando. Præter affirmationem vero & negationem, ſine quibus neque veritas neque falſitas ulla vocibus ſubeſt, mens, cum ſenſum ſuum aliis aperit, ut oratio exinde fiat apte cohærens, non ſolum membra propoſitionum, verum integras etiam enunciationes, quæque ad eas referuntur omnia, inter ſe connectit.

§. II.

Ars bene loquendi pendet ab iis.

VOces iſtæ, quibus denotatur, quomodo affirmationes & negationes, quas mens in ratiocinio ſive oratione quadam continua conjungit, connectantur inter ſe, *Particulæ* vulgo appellantur: Atque in recto illarum uſu ſtyli perſpicuitas & ornatus proprie conſiſtunt. Ad bene cogitandum non ſufficit, ut quis claras diſtinctaſque *ideas* in animo habeat, vel ut quarundam ex iis convenientiam inter ſe, aut repugnantiam animadvertat, verum ſeriem, ſeu nexum etiam cogitationum, & qua ratione ratiocinia pendeant ex ſe invicem, obſervare debet: Utque ea, quæ cognita in animo diſtincte, & ordinate diſpoſuit, aliis recte interpretetur verbis opus eſt, quæ oſtendant, quæ *connexio*, *reſtrictio*, *diſtinctio*, *oppoſitio*, *emphaſis* ſingulis *orationis partibus* tribuenda ſit. Quod ſi in horum ullo forte peccatum fuerit, non tantum non eos, qui ſermonem noſtrum auſcultant, edocebimus, verum etiam eorum intellectum magis obtundemus. Hinc eſt, cur vocum iſtarum, quæ ſeorſim ſumtæ revera non ſunt *idearum* nomina, in ſermone uſus adeo ſit neceſſarius, ut homines in his maxima habeant momenta ad ſenſus ſuos aliis aperiendos.

§. III.

Relationem oſtendunt quam mens ſuis cogitationibus tribuit.

PArs hæc Grammaticæ, quæ agit de Particulis, hominibus non magis fortaſſe fuit neglectui, quam aliæ a nonnullis ſtudioſe nimis excultæ fuere. Haud difficile eſt Grammaticis, *caſus* & *genera*, *mo-*

dos & *tempora* , *gerundia* & *ſupina* copioſe tractare: In his & ſimilibus magna adhibita fuit diligentia; nec quidem defuere, quibus curæ erat, particulas ipſas, in quibuſdam linguis, in claſſes ſuas accurate diſponere. Etſi vero *præpoſitiones conjunctioneſque*, &c. nomina ſunt in Grammatica notiſſima, & quæ ſub iis continentur particulæ, in ſubdiviſiones ſuas diligenter, diſtincteque diſtribuuntur; ſi quis vero genuinum particularum uſum, ſi, quam vim & ſignificationem habeant, explicare velit, majorem adhuc operam is navare, in cogitationes ſuas penetrare, atque mentis in ratiocinando varios ſtatus diligenter obſervare neceſſum habebit.

§. IV. Nec ad voces haſce explicandas ſatis eſt eas, prout in Dictionariis vulgo fit, per linguæ alterius vocabula interpretari, quæ ad illarum ſignificationem proxime accedunt: Quid enim ſignificent, haud facilius in una, quam in altera lingua diſcimus. Omnes *ſigna ſunt actionis alicujus*, *ſive agitationis mentis*; ut eas igitur penitus intelligamus, varii iſti intuitus, ſitus, flexiones, reſtrictiones, exceptiones, atque aliæ quam plurimæ mentis cogitationes, ad quæ explicanda nullæ nobis, aut parum idoneæ voces ſuppetunt, perdiſcenda ſunt. Horum major longe eſt varietas, quam pro numero particularum, quæ ad ea exprimenda in gentium plerarumque linguis ſuppeditantur. Quarum haud mirum eſt, plurimas ex hiſce particulis varias habere, & nonnunquam pene contrarias ſignificationes. In lingua Hebraica *particula* eſt unius tantum literæ, cujus ſi recte memini, ſeptuaginta, aut minimum, quod certus ſcio, plus quam quinquaginta diverſa ſignificatione recenſetur.

§. V.

§. V.

Exemplum petitur a particula But.

BUt particula eſt, qua in ſermone noſtro nulla crebrius uſurpatur: Et qui *diſcretivam* eam *conjunctionem* appellat, atque idem ſignificare dicit, quod *Sed* Latine, aut *Mais* (*) Gallice, ſe ſatis eam explicaſſe putat. At tamen mihi videtur, varios iſtos reſpectus, ſive habitudines denotare, quæ reperiuntur in propoſitionibus, aut partibus enunciationum, quas per monoſyllabum illud mens diverſimode colligat. Exempla quædam breviter hic ponemus.

Primo, cum Anglice dicimus, *But tot ſay no more*, hic innuit, mentem in curſu ſuo cunctari, priuſquam ad finem ventum ſit.

Secundo, *Iſavv* but *tvvo Planets*, innuit, mentem ſenſum ad ea reſtringere, quæ exprimuntur, atque alia omnia negare.

Tertio, *You pray*; but *it is not that God vvould bring you to the true Religion*.

Quarto (**), But *that he vvould confirm you in your*

(*) Noſtrum *mais* non præciſe huic anglicano vocabulo *But* reſpondet, ut probabiliter videtur, quod per diverſas relationes auctor adnotat in hac particula, cum eſſent nonnullæ quæ ad noſtrum *mais* applicari nequirent. Et ex eo quia hæc exempla in noſtram linguam vertere nequeo, alia pro eis poſui, quæ partim ex dictionario Gallico ſumſi. COSTE.

(**) Coſte ſic vertit. *Vous priez Dieu, MAIS ce n'eſt pas; qu'il veuille vous amener a la conoiſſance de la vraie religion. V. MAIS qu'il vous confirme dans la votre*, cui ſic adnotat (1)].

(1) *Cet exemple eſt dans l'Anglois Nos Purifiès blâmeron peut-etre Deux MAIS dans un meme periode; mais ce n'eſt pas de quoi il s'agit. Suffit qu'on voie par là que l'eſprit marque par une ſeule particule deux rapport fort differents*: Nec adhuc ſcio, ſi regulis grammaticorum noſtrorum nimis ſubtilibus invitis, non ſit neceſſarium hæc duo *Mais* aliquoties adhibere, ut vivaciter, & clarius adnotetur, quod in ſpiritu ſentitur. Id abſque deciſione dicatur. COSTE.

your own: Per primum *But* innuitur, mentem centere, quod res aliqua ſecus ſe habeat quam par eſt; per ſecundum, mentis ſenſum eſſe, quod dictum hoc poſterius priori plane contrarium ſit.

Quinto (*), *All animals have ſenſe*; But *a Dog is an animal*: Hic vix aliud quippiam denotatur, quam propoſitionem poſteriorem priori conjungi, tanquam *Minorem* Syllogiſmi.

§. VI.

Res hæc breviter hic tractatur.

Hiſce multo plures *particulæ* hujus ſignificationes adjicere haud difficile eſſet, ſi id negotii mihi daretur, quam lata iſtius ſignificatio pateat, ſedulo inveſtigare. Peracta ejuſmodi indagatione, dubium mihi eſt, utrum *diſcretivæ* nomen, quo a Grammaticis appellatur, in eam quadraret, nec ne. At noſtri haud inſtituti eſt, id genus ſigna fuſius hic tractare; ex allatis hujus unius particulæ exemplis videre eſt, qaem uſum, quam in ſermone vim ejuſmodi voces habeant; licet etiam exinde contemplari varias

(*) Pariter hic Coſte *MAIS* ſert quelque fois de tranſitione (2) pour revenir à un ſujet, ou pour quitter celui dont on parloit. *MAIS revenons a ce que nous diſions tantôt* (3) *MAIS laiſſons Chapelain pour la dernier fois*. Cui adnotat.

(2) Quod refert hic adnotare eſt, quod latini aliquoties particula *Nam* utuntur, hoc modo. *Nam quid ego dicam de patre. Ter Andr. Act* 1. *Sc.* VI. *v.* 18. Non oportet quam locum legere, ut perſuaſus ſit quilibet; melius non poſſe in gallicum vertere, quam per hæc verba. *MAIS dirai-je de mon pere?* Et ut breviter dicam, ſenſibiliter probat, quod Lockius hic inquit, nec in dictionario oportet invenire harum particularum ſignificatum; ſed in ſpiritus diſpoſitione, in qua eſt qui eis utitur. *COSTE*.

(3) *Deſpreaux*, *Sat.* IX. *v.* 241. *COSTE*.

varias operationes mentis, quas ipſa mens patefacere & exhibere aliis poteſt adjumento harum *particularum*, quarum aliæ conſtanter, aliæ vero quando certo quodam modo conſtruuntur, integræ orationis ſententiam atque ſenſum complectuntur.

C A P. VIII.

De Terminis Abſtractis & Concretis.

§. I.

Termini abſtracti haud de ſe invicem prædicantur & cur?

VOces, quas in communi ſermone uſurpamus, & frequens illarum uſus, *idearum* noſtrarum naturam nobis ſatis clare explicarent, ſi animum ad id diligenter attenderemus. Menti, ut oſtenſum eſt, vis ineſt *ideas* ſuas *abſtrahendi*, atque ita fiunt eſſentiæ generales, per quas ſpecies rerum ſecernuntur. Cum unaquævis *idea* abſtracta diſtincta adeo ſit, ut ſi duæ quædam ſumantur, una illarum altera eſſe nequeat; mens diſcrimen illarum primo ſtatim intuitu percipiet; & ideo in propoſitionibus duæ *ideæ* completæ de ſe mutuo nunquam affirmari poſſunt. Hoc patet in communi ſermonis uſu, per quem non licet, ut *duæ quædam voces abſtractæ*, *aut idearum abſtractarum nomina*, *de ſe invicem affirmentur*. Utcumque enim voces cognatæ eſſe videantur, atque certum ſit, hominem eſſe *animal*, aut *rationale*, aut *album*, propoſitiones tamen iſtæ, *humanitas eſt animalitas*, aut *rationalitas*, aut *albedo*, quam falſæ ſint, prima ſtatim facie perſpicuum adeo eſt, ut axio-

axioma nullum ſit clarius. Quicquid igitur affirmamus, tantum in Ideis concretis ſit, nec hoc eſt enunciare, abſtractam unam *ideam* eſſe alteram, ſed unam ideam abſtractam cum altera conjungi; quæ *ideæ* abſtractæ, in ſubſtantiis, generis cujuſvis eſſe poſſunt; in reliquis omnibus, nihil fere ſunt, niſi relationum ideæ; atque in ſubſtantiis, utplurimum ſunt ideæ potentiarum; *v. g.* cum dicimus, *homo eſt albus*, ſenſus eſt, rem iſtam, quæ hominis eſſentiam habet, albedinis etiam eſſentiam in ſe continere, quæ nihil eſt, niſi potentia albedinis *ideam* in homine producendi, cujus oculi ſatis ſunt acuti ad communia objecta percipienda; ſimiliter cum dicimus, *homo eſt rationalis*, ſenſus eſt, rem iſtam, quæ hominis eſſentiam habet, habere etiam in ſe rationalitatis eſſentiam, ſive potentiam ratiocinandi.

§. II.

Idearum *noſtrarum diſcrimen oſtendunt.*

HÆc nominum diſtinctio, nobis idearum noſtrarum diſcrimen oſtendit: Si diligenter enim attendimus, intelligemus, ſimplices noſtras *ideas omnes nomina abſtracta habere*, *æque ac concreta*; quorum unum (ut Grammaticorum idiomate loquar) Subſtantivum eſt, alterum Adjectivum; uti *albedo*, *album*; *dulcedo*, *dulce*. Idem tenet etiam in *ideis* noſtris *Modorum* & *Relationum*; ut *juſtitia*, *juſtus*; *æqualitas*, *æqualis*; cum hoc tamen diſcrimine, quod concerta quædam Relationum nomina, in hominibus præſertim, ſubſtantiva ſint; ut *Paternitas*, *Pater*; cujus rationem reddere haud difficile eſt. Quod ad noſtras *ſubſtantiarum ideas* attinet, pauca admodum *habemus*, aut *nulla nomina abſtracta*. Etſi enim *animalitas*, *humanitas*, *corporatio*, & alia quædam, in Scholis ortum habuere; tamen nihil conficiunt, ſi ſpe-

ſpecies infinitum iſtum numerum nominum ſubſtantiarum, quibus ut abſtracta unquam affigerent, nondum ſatis ridiculi & abſurdi fuerunt Scholaſtici: Atque paucula iſta, quæ, in *Scholis* a Philoſophis procuſa, diſcipulorum in ore uſitatiſſima erant, haud communem aſſenſum, & popularem approbationem obtinere unquam potuere. Hinc puto ad minimum concludi poſſe, ea ratione omnes homines agnoſcere, nullas ſe *ideas* habere realis eſſentiæ ſubſtantiarum, cum ejuſmodi *idearum* haud nomina habeant: At certe haberent, niſi, ſibimet conſcii, ſe illarum penitus ignaros eſſe, tam vanam & frivolam navare operam, abſurdum putaſſent. Quare licet ſatis *idearum* ſuppeteret, quibus aurum a ſaxo, metallum a ligno ſecernerent; tamen terminos iſtos, *aureitas*, & *ſaxeitas*, *metalleitas* & *ligneitas*, atque id genus nomina alia, quibus reales eſſentias ſubſtantiarum denotare volebant, quarum ſe *ideas* non habere certiſſime noverant, uſurparunt. Et certe non niſi Doctrinæ de *Formis Subſtantialibus*, & ſciolorum quorundam, qui multa, quæ ignorant, ſcire oſtentant, vanitati tribuendum eſt, quod *Animalitas*, *Humanitas*, atque aliæ ejuſmodi voces introductæ fuere; quæ tamen non adeo longe ultra Scholarum parietes progrediebantur, nec a viris ſapientioribus comprobatæ unquam erant. Vox quidem *Humanitas* quotidiano erat in uſu apud *Romanos*; in alio tamen longe ſenſu, nec ſubſtantiæ cujuſdam eſſentiam abſtractam denotabat; verum abſtractum erat nomen *Modi*, & concretum ejus *humanus* erat, non autem *homo*.

CAP.

C A P. IX.

De Vocum Imperfectione.

§. I.

Uſus vocabulorum eſt, cogitationes noſtras literis conſignare, & communicare cum aliis.

EX dictis ſuperius patet, multos eſſe in ſermone defectus, atque, perſpecta vocum ipſarum natura fieri vix poſſe, quin plurimarum ſignificationes dubiæ valde & incertæ ſint. Quo melius perfectionem vocum, & imperfectionem examinemus, cujus ſint uſus, quem finem propoſitum habeant, ante omnia conſiderandum, magis, aut minus accomodatæ ſunt, ita etiam magis, aut minus perfectæ dici debent. Duplicem eſſe vocabulorum uſum, ſuperius, in Tractatus hujus initio, ſæpe monuimus:

Primo, ut cognitiones noſtras literis conſignemus.

Secundo, ut cognitiones cum aliis communicemus.

§. II.

Cogitationibus literis conſignandis voces omnes inſerviunt.

QUod ad primum uſum attinet, ſilicet *ad cogitationes noſtras literis conſignandas*, noſtram memoriam adjuvandi cauſa, quo in caſu, cum nobiſmet ipſis quaſi colloquimur; voces quælibet ad hanc rem abunde facient. Cum enim ſoni *idearum* quarumvis ſigna ſint voluntaria, liberum eſt homini

 qui-

quibuſcunque velit, vocibus uti ad *ideas* ſuas ſibimet notandas ; nec in iis ulla erit imperfectio, ſi *ideam* eandem per eandem notam ſemper deſignet : Ita neceſſario fiet, ut, quid velit, plane intelligatur, atque in hoc uſus & perfectio ſermonis proprie conſiſtit.

§. III.

Communicatio cogitationum per voces, civilis eſt aut philoſophica.

SEcundo, *cogitationum etiam communicationis, quæ vocum beneficio fit, uſus eſt duplex*:

I. *Civilis*.

II. *Philoſophicus*.

Primo. Per civilem uſum talem intelligo cogitationum & *idearum* communicationem per voces, qualis neceſſario requiritur ad commercia, & vitæ uſus inter homines, qui ad civilem communitatem conjuncti & conſociati ſunt.

Secundo. Vocabulorum uſum *philoſophicum* voco, quando adhibentur ad definitas rerum notiones cum aliis communicandas, & in propoſitionibus univerſalibus, ad certas quaſdam & non dubias veritates exprimendas, in quibus mens acquieſcit, dum in ſcientiæ inveſtigatione verſatur. Duo iſti uſus multum inter ſe diſtant, atque multo minus accurationis in uno, quam in altero requiritur, ut ex inſequentibus patebit.

§. IV.

§. IV.

Eorum imperfectio poſita eſt in ſignificatione ambigua.

CUm in ſermone illud præcipue ſpectetur, ut, quod proferimus, ab aliis intelligatur, voces ad finem iſtum, neque in civili, neque ſermone philoſophico, ſatis ſunt accomodatæ, quando dictio aliqua non eandem in audiente *ideam* excitat, quam in loquentis animo ſignat. Cum ſoni haud naturalem habeant connexionem cum *ideis* noſtris, verum ex impoſitione hominum voluntaria ſignificent; ancipitis *illorum* & incertæ *ſignificationis*, unde etiam ea *imperfectio* oritur, de qua hic loquimur, cauſæ, in *ideis*, quarum ſigna ſunt, magis conſiſtunt, quam in eo, quod alius ſonus, minus quam alius ſit idoneus, per quem *idea* quædam ſignaretur: Hoc enim reſpectu omnes æque ſunt perfecti.

Quod igitur vocum nonnullarum ambigua magis eſt, quam aliarum ſignificatio, illud tribuendum eſt idearum diverſitati, quas ſignificant.

§. V.

Cauſæ imperfectionis.

CUm voces naturaliter nihil ſignificent, *idea*, quam quælibet vox ſonat, ab iis neceſſario addiſcenda & retinenda eſt, qui alios cogitationum ſuarum participes facere, & ſermonem cum iis, in lingua aliqua, conferre volunt. Hoc autem factu difficillimum eſt, ubi.

Primo, *Ideæ*, quas voces ſignificant, valde ſunt complexæ, & e magno in unum congeſtarum *idearum* numero conflatæ.

Secundo. Ubi *ideæ*, quas hæ voces denotant, haud inter ſe naturali vinculo connexæ ſunt, & proinde in natura nullum uſpiam habent exemplar, cujus ad normam ipſæ referendæ, atque dirigendæ eſſent.

Tertio. Ubi vocis ſignificatio refertur ad exemplar, quod cognitu difficile eſt.

Quarto. Ubi vocis ſignificatio haud penitus eadem eſt cum vera eſſentia rei. Haſce difficultates pluri-mæ voces habent, quæ quidem comprehendi a nobis, atque intelligi poſſunt. Quæ intelligentiæ noſtræ vim ſuperant, cujuſmodi ſunt nomina *idearum* ſimplicium, ad quarum cognitionem conſequendam nobis haud facultates ſuppetunt, qualia cæco ſunt colorum, aut ſurdo ſonorum nomina, hic recenſere foret fruſtraneum.

In omnibus hiſce caſibus, vocibus defectum ineſſe deprehendemus; de hoc vero fuſius mox, cum oſtendero, quomodo illæ diverſis noſtris ideis particulatim applicentur: Si enim rem diligenter perpendemus, palam erit, *nomina* Modorum mixtorum *ambiguitati & imperfectioni maxime obnoxia eſſe ob priores duas*; *atque* Subſtantiarum *nomina ob duas præcipue rationes poſteriores*.

§. VI.

Nomina Modorum mixtorum dubia ſunt.

PRimo. In pleraque e nominibus *Modorum mixtorum* dubiæ valde, & incertæ ſignificationes cadunt.

Primo, *quia* Ideæ, *quas referunt*, *complexæ adeo ſunt*.

I. Quo-

I. Quoniam complexæ iſtæ ideæ ex multiplicis ſæpius compoſitione coagmentantur, Ut voces ad ſermonis uſum accommodentur, neceſſe eſt (ut dixi), ut in audiente eandem *ideam* excitent, quam in loquentis animo ſignant: Alioquin, homines dant operam tantummodo, ut aures ſibi invicem ſonis inanibus compleant, cogitationes vero haudquaquam communicent, nec, qui finis ſermonis, *ideas* ſuas alii repræſentent. Quando autem vox admodum complexam *ideam* denotat, quæ compoſita & decompoſita eſt, haud facile eſt hominibus *ideam* iſtam effingere, atque accurate adeo retinere, ut nomen, quod communi eſt in uſu, ipſam iſtam *ideam*, plane non immutatam, denotet. Hinc eſt, quod nomina, *idearum* valde complexarum, cujuſmodi plerumque ſunt voces morales, raro admodum, in diverſis hominibus, eandem rem definite ſignificent; cum unius *idea* complexa cum alterius rariſſime congruat, & quæ nunc in ipſo eſt, ab ea, quam heri habuit, aut cras habiturus eſt, ſæpiſſime diſcrepat.

§. VII.

Secundo, quia nullos habent Archetypos.

II. QUoniam *nomina Modorum mixtorum*, maximam partem in natura nulla habent *exemplaria*, quorum ad veritatem vocabulorum ſignificatio revocari atque exigi poſſit; ideoque æquivoca eſt valde incerta. Sunt *Idearum* cumulus, quas mens, ad eos, quos ſibi in ſermone proponit, fines, & ad ſuas ipſius notiones intenta, in unum pro lubitu congerit; in quo caſu mentis conſilium non eſt, rem aliquam repræſentare in rerum natura exiſtentem, verum res in claſſes diſtribuere, & nominibus ita ſignare, uti cum iis, quos ipſa effinxit, archetypis conſentiunt. Qui vocem

cem (*) *Sham*, *Wheedle*, aut *Banter* in ſermone Anglicano prius uſurpavit, *ideas*, quas iſti ſubjecit, arbitratu ſuo congeſſit: Nec ſecus olim ſe res habuit in priſcis nominibus cooptandis, quam nunc eſt, cum nova quædam Modorum nomina in linguam aliquam adſciſcuntur. Nomina itaque, quæ complexum *idearum* denotant, quas arbitratu ſuo mens in unum congerit, incertæ ſignificationis ſint, neceſſe eſt, cum ejuſmodi complexus ſimul conſtanter colligati in rerum natura non reperiantur, nec exemplaria ullibi ſuppetant; ad quæ conformari poſſint. Quid vox *Homicidium* (Anglice *murther*) aut *Sacrilegium*, &c. ſignificet, e rebus ipſis haud ſciri poteſt: Multæ ſunt partes *idearum* iſtarum complexarum, quæ non cernuntur in actu ipſo; animi intentio, & rerum ſacrarum reſpectus, quæ *homicidii*, & *ſacrilegii* partes ſunt, haud cum externis iſtis actibus neceſſario ſunt connexa vinculo, in quibus ſcelerum iſtorum reatus detinetur: Teli jactus, quo cædes perpetratur, & præter quam actio nulla cernitur, haud naturaliter cum aliis iſtis *ideis* connectitur, e quibus complexus iſte coagmentatur, qui *Homicidium* dicitur. Illarum coagmentatio tantum a mente eſt facta, quæ uno nomine eas complectitur. At quoniam conjunctio iſta ſine norma, aut ullo exemplari peragitur, fieri non poteſt, quin ſignificatio nominis, quo arbitrarii iſtiuſmodi complexus notantur, diververſa ſit in diverſis animis.

§. VIII.

(*) *Sham* eſt variis ſtrophis, atque fraudibus aliquem circumvenire; *Wheedle* ſignificat, blanditiis & verborum lenociniis aliquem ineſcare. *Banter* notat, aliquem pro ridiculo & delectamento habere.

§. VIII.

Sermonis proprietas remedium ſatis idoneum eſt.

Fateor equidem, *uſum communem*, qui recte loquendi norma eſt, cenſeri poſſe, permagni ſit momenti, prout revera eſt, ad ſermonis ſignificationem conſtituendam. In vita communi quam ſignificationem voces habeat, ſtatuere penes uſum communem eſſe, quidni permittamus? at quoniam nemini conceſſa licentia eſt de vocabulorum certa ſignificatione ſtatuendi, aut quibus *ideis* ea tribuenda ſint, uſus communis haud ſufficit, ut in Philoſophorum diſputationibus ſenſum illorum definire poſſit; cum vox nomen aliquod ſit, *ideæ* cujuſdam valde complexæ (ut de aliis nihil dicam) quod in uſu communi haud latiſſime pateat, quodque idearum longe inter ſe diſcrepantium, proprie ſatis loquentes, ſignum dicere non poſſimus. Præterea, cum regula & menſura proprietatis nuſquam ſancita ſit, ſæpe in controverſiam vocatur, utrum vox in hoc, aut iſto ſenſu proprie uſurpetur, nec ne. Ex quibus omnibus apparet, nomina id genus *idearum* valde complexarum ex natura ſua huic vitio opportuna eſſe, ut dubiæ ſint ac incertæ ſignificationis; nec quidem in hominibus, qui dant operam, ut a ſe mutuo intelligantur, eandem ſemper in loquente & audiente *ideam* denotare. Etiam *Gloria* & *Gratitudo* voces ſint, crebro ab omnibus uſurpatæ, complexa tamen *ideæ* collectiva, in illorum animis valde diverſa eſt, qui eodem ſermone utuntur (49).

§. IX.

(47) Quod adhuc eſt hic adnotandus modus eſt, quo vocabula proferimus. Quadam haſpiratione poſita in hac, illave ſillaba di-

§. IX.

Modus etiam, quo nomina hæc diſcuntur, auget illorum ambiguitatem.

VUlgaris etiam *nomina Modorum mixtorum addiſcendi ratio, ad ſignificationes ambiguitatem haud parum confert*. Id nobis fiet perſpicuum, ſi obſervaverimus modum illum, quo linguæ vernaculæ uſus puerulis plerumque tractari ſolet, dum rem, cujus *idea* ani-

---

diverſum exprimit conceptum, *Sinenſes* ut recte ſuos communicent ideas, eſt neceſſe, continuo accentibus uti. Sinenſium lingua muſicæ affinis eſt, continet enim quamdam melodiam quæ proprium characterem ſiſtit. Ex obſervatione *P. Conti* ſcimus, Sinenſium linguam non habere præter circa 333. vocabula, quæ omnia monoſillaba ſunt, & ejuſmodi pronunciantur, ut pene ſemper præter unum non diſtinguatur. Hæc eſt ratio qua adinvenerunt in accento differentiam expreſſionis, alioquin vocabula in tam arctiori numero habita non poſſent omnes conceptus exprimere. Idem vocabulum vocis inflexione majori vel minori prolatum diverſos indicat ſignificatus. Utplurimum quinque ſoni dantur omni vocabulo juxta ſenſum, qui ſuppeditari vult: primus uniformis eſt, ſecundus vocem notabiliter extollit, tertius acutiſſimus eſt, quartus eſt translatio ex acuto ad gravem immediata, quintus adhuc translatio ad profundiorem notam, & ut ita dicam, ad graviorem. Hæc pronuntiæ diverſitas ex 333. vocabulis alia efformat, quæ numerantur 1665: Præter quam quod haſpiratio poſita, vel ablata in omni vocabulo per medietatem adauget linguam. Multoties conjunguntur monoſillaba, ut nos de literis efficimus, ut diverſa exurgant vocabula. Sæpius phraſis integra juxta quod alteram præcedit, vel ſequitur contrarium exprimit. Ex quo fit, quod ut Senenſium lingua intelligatur, opportet in omni vocabulo particulatem accentum ponere, & variatio, etſi minima, alium dat tonum, qui contrarium ſenſum exprimit; *ex. gr. Brutum* appellatur qui *Dominus* vult appellari. Nam vocabulum utrumque exprimit, & tantum ratione modulationis differens evadit. Idem P. Conti in hac lingua inexplicabiles difficultates eſſe, obſervat. (*V. Salmon Stato preſente di tutti i Paeſi Popoli del Mondo tom.* 1.)

animos illorum informare volumus, ipſis primo oſtendimus; dein nomen uſurpamus, quo ea effertur *album*, puta, *dulce*, *lac*, *ſaccharum*, *felem*, *canem*. In *Modis* vero *mixis*, in iis præſertim, quæ maximi ſunt momenti, in rebus nimirum moralibus, ſoni ut plurimum primum inculcantur; deinde, ut, quæ iis denotantur, complexas *ideas* perdiſcant, vel ad aliorum explicationem recurrunt, vel (quod plerumque accidit) quem ipſi poſſunt, ſenſum eliciunt; & quoniam in vera & genuina nominum ſignificatione inveſtiganda non multum operæ ponunt, voces iſtæ morales, prout communiter uſurpantur, nihil pene ſunt, niſi ſoni inanes in plerorumque hominum ore; & ſi quam omnino ſignificationem habent, maxima ex parte obſcura & confuſa eſt. Atque illi ipſi, qui, diligenti adhibita attentione, certas ac ſtabiles notiones animis conceperunt, non raro *ideas* complexas iis denotant, longe ab iſtis diverſas, quarum ab aliis, ingenio pariter pollentibus, ſigna appellantur. Quæ diſceptatio eſt unquam, aut in *litigioſis diſputationibus*, aut *familiari ſermone*, de *Honore*, *Fide*, *Gratia*, *Religione*, *Eccleſia*, &c. quæ non plane oſtendat, voces iſtas in diverſas ſententias accipi? ratio patet, quoniam de ſignificatione vocabulorum iſtorum, atque *ideis*, quarum ſigna ſunt, inter homines haud convenit. Quare controverſia omnis de ſoni tantum ſignificatione eſt. Hinc videmus, in legum interpretatione, divinæ ſive ſint, ſive humanæ, ad finem haudquaquam perveniri; Commentarii pariunt Commentarios, atque factæ explicationes novis explicationibus materiam ſuppeditant: Atque in reſtringenda, diſtinguenda, & varianda ſignificatione dictionum moralium difficile eſt exitum reperire. Ideæ iſtæ, quas homines ad arbitrium effingunt, ab hominibus, qui id non minus ſibi licere putant, *infinite* multiplicantur.

Multi

Multi ſunt, qui prima lectione, putarunt ſe ſenſum Textus Biblici, aut clauſulam difficilem in canonum Codice ſatis intellexiſſe, iidem, tamen, poſtquam gloſſographorum ſententiam ſciſcitabantur, quem habuere loci ſenſum, penitus amiſere, atqe nodi iſti, poſt adhibitas explanationes interpretum, obſcuri magis & ambigui redditi erant. Non hæc perinde dico, quaſi putem, nullos eſſe Commentariorum uſus; verum ut oſtendam, quam incerta ſint natura ſua *Modorum mixtorum* nomina, vel in ore illorum, in quibus tam voluntas quam facultas erat, ſuas cogitationes, quantum ſermone illud fieri poteſt, clariſſime explicandi.

§. X.

Hinc neceſſario magna obſcuritas in veterum ſcriptis occurrit.

QUæ obſcuritas hinc orta ſit in illorum ſcriptis, qui multis abhinc annis, & in locis multum diſtantibus vixere, hic commemorare ſupervacaneum erit. Multa enim volumina, ſcripta ab eruditis, qui in priſcorum literis illuſtrandis ſtudium omne collocarunt, ſatis ſuperque oſtendunt, quanta attentione, ſtudio, ſolertia, & ratiocinatione opus ſit, ad *veterum* Auctorum ſententias eliciendas. Cum vero ſcripta ſint nulla, in quorum vero ſenſu enodando deſudare noſtrum tantopere intereſſet, ſi ab iis diſceſſerimus, quæ veritates continent, quæ vel ad fidem ſpectant, & ita a nobis credi debent, vel ad leges quibus eſt obediendum, & quas neque perverſe explicare, neque migrare impune poſſumus; haud opus eſt, ut adeo ſolliciti ſimus de ſenſu aliorum auctorum expiſcando, cum ſua tantum dogmata ſcriptis tradant; nam non magis e re noſtra eſt, ea noſſe, quam illorum eſt, ſcire opiniones noſtras. Cum itaque ab illo-

illorum ſcriptis neque felicitas, neque miſeria noſtra dependeat, nobis ſine omni periculo notiones illorum ſcriptis neque felicitas, neque miſeria noſtra dependeat, nobis ſine omni periculo notiones illorum ignorare licet. Quare niſi perſpicue & enucleate tradantur, licitum erit nobis, neque id quidem injuria, eas miſſas facere, atque ita nobiſcum ſtatuere:

Si non vis intelligi, debes negligi.

§. XI. Si *Modorum mixtorum* nomina ideo ſignificationis ſunt incertæ, quod in rerum natura nulla exemplaria extent, ad quorum veritatem *ideæ* iſtæ exigendæ ſint, *nominum ſubſtantiarum ſignificatio dubia eſt* ob contrariam plane rationem, *quoniam nimirum ideæ*, quas denotant, rerum veritati convenire putantur, atque ad *exemplaria referuntur*, quæ natura fabricata eſt. In *ideis* Subſtantiarum, haud liberum eſt nobis, prout mixtis in Modis quoſcunque lubet, complexus efficere, ut ad res diſtribuendas, & denominandas notæ ſint characteriſticæ. In hiſce obligamur naturam ſequi, atque *ideas* noſtras complexas, & nominum ſignificationem ad rerum veritatem accommodare, alioquin nomina, quæ uſurpamus, haudquaquam illarum ſigna erunt. Fateor equidem, quæ ſequamur, exemplaria hic ſuppetere; at quæ nominum ſignificatio dubiam valde reddent: Nominum enim ſignificatio varia & anceps ſit, neceſſe eſt, ſi *ideæ*, quarum ſigna ſunt, ad exemplaria extra nos referantur, *quæ non omnino, aut non niſi imperfecte admodum ſciri poſſunt.*

§. XII.

§. XII.

Subſtantiarum nomina referuntur primo, ad reales eſſentias, quæ nos latent.

SUbſtantiarum nomina, prout communiter uſurpantur, duplicem, ut ſuperius monſtratum eſt, *relationem habent*.

Primo, *rerum ipſarum eſſentiam*, quæ fons eſt proprietatum omnium, denotant. At quoniam eſſentia hæc nobis penitus incognita eſt, ſoni, qui ad eam exprimendam uſurpatur, ſignificatio admodum incerta ſit, oportet; atque ſciri nullo modo poterit, quæ res, *equus*, aut *antimonium* dicendæ ſint, quando voces realium eſſentiarum loco ponuntur, quarum nulla omnino *ideam* habemus. Atque ita cum nomina Subſtantiarum referantur ad ſua exemplaria, quæ non poſſunt eſſe nota, eorum ſignificationes non poſſunt eſſe certæ, & ad ſua exemplaria accuratiſſime exactæ.

§. XIII.

Secundo, ad qualitates coexiſtentes in Subſtantiis, quæ non niſi imperfecte cognitæ ſunt.

SEcundo, cum *ſimplices ideæ*, *quæ in ſubſtantiis ſimul exiſtere* deprehenduntur, id ſint, quod nomina proxime ſignificant, hæ, prout in diverſorum generum rebus conjunguntur, proprie exemplaria ſunt, ad quæ nomina referuntur, & ad quorum veritatem ſignificatio illorum exigenda eſt. At neque Archetypi iſti ad finem hunc adeo ſunt accommodati, ut nomina hæc ab omni ſignificationis ambiguitate liberent: Quoniam cum ſimplices iſtæ *ideæ*, quæ in eodem ſubjecto ſimul exiſtunt, plurimæ ſint, atque

atque idem jus habeant, ut in complexam *ideam* ſpecificam adſciſcantur, quæ nomine ſpecifico denotatur, homines, qui in ejuſdem rei contemplatione verſantur, diverſas iſti *ideas* effingunt: atque inde fit, ut nomen, iſti impoſitum, in diverſis hominibus, neceſſario diverſas habeat ſignificationes. Qualitates ſimplices, e quibus *ideæ* complexæ coagmentantur, cum maximam partem potentiæ ſint, quæ mutationes reſpiciunt, quas in aliis corporibus efficere, aut ſuſcipere in ſe poſſunt, infinitæ propemodum ſunt. Qui diligenter animadvertet, quam variæ alterationes fiant in vilioribus quibuſdam metallis, prout ignis vis intenditur, aut remittitur; & quanto plures mutationes, aliorum applicatione, in Chymicorum manibus ſubeant: haud mirum illud putabit dico, perdifficile nimirum eſſe, ut nos, iis, quibus a natura præditi ſumus, ingenii viribus tantum ſubnixi, omnes eorum quorumvis proprietates plene cumulare & perfecte addiſcere poſſemus. Cum igitur tam multæ ad minimum ſint, ut certum & definitum illarum numerum conſequi nullius ſit hominis, ideo ab hominibus diverſis alio atque alio modo reperiuntur & comprehenduntur, pro varia cujuſque ſolertia, diligentia, aut ratione in rebus tractandis; quare neceſſe eſt, ut ſubſtantiæ ejuſdem diverſas habeant *ideas*, & proinde, ut commune iſtius nomen, admodum incertæ ſint atque ambiguæ ſignificationis. Cum enim ſubſtantiarum *ideæ* complexæ e ſimplicibus coagmententur, quæ inter ſe cohærere videntur, nemini non licet in complexam *ideam* ſuam qualitates iſtas inſerere, quæ communi vinculo ſimul colligatæ ſunt. Etſi enim in *Auro*, alius ultra colorem & ejus gravitatem nihil requirit, alius tamen putat æque neceſſarium eſſe, ſolubilitatem in *Aqua Regia*, qua nulla qualitas conſtantius conjuncta eſt cum colore, & pondere iſtius, in Auri *ideam* ſimul cum colore iſto adſciſcere. Alii, prout ab aliis didi-

didicere, aut uſus eos docuit, ductilitatem aut fixitatem, &c. hiſce adjungunt. Horum omnium ratam & certam Auri ſignificationem quis definivit? Quis, quæſo, erit judex, qui de ea ſtatuat? Suum unicuique eſt in natura exemplar, ad illud provocat, & quidem recte putat, non minus ſibi licitum eſſe in *ideam* ſuam complexam, *auri* nomine ſignatam, qualitates iſtas cooptare, quas conſtanter connexas eſſe deprehendit; quam aliis, qui minorem fortaſſe in re examinanda diligentiam adhibuerunt, eas ex *idea* ſua complexa excludere liberum eſt; aut aliis, qui alia eaque nova fecere experimenta, aliis adhuc adjicere. Cum enim nexus, quem qualitates iſtæ inter ſe natura ſua habent, fundamentum ſit conjunctionis illarum in *idea* una complexa, quis dicet unam potiori jure, quam aliam in congeriem iſtam adſciſcendam, aut ab ea rejiciendam eſſe? Hinc neceſſario ſequetur, ut ſubſtantiarum *ideæ* complexæ, in hominibus, idem nomen uſurpantibus, variæ; atque ita nominum iſtorum ſignificationes incertæ ſint.

§. XIV. Præterea, in hac rerum univerſitate difficile erit, ens aliquod reperire, quod in quibuſdam *ideis* ſimplicibus cum aliis aut pluribus, aut paucioribus entibus particularibus conveniat. Quis in hoc caſu ſtatuet, quænam congeriem plane abſolvant, quæ nomine ſpecifico denotatur; aut quis habet jus decernendi, quæ qualitates communes & quæ videri poſſunt, a nominis alicujus ſubſtantiæ ſignificatione excludi, aut quæ magis arcanæ & ſingulares hic admitti debeant? Hæc omnia in *nominibus ſubſtantiarum* variam iſtam & *ambiguam ſignificationem* ſemper fere *pariunt*, quæ cauſa eſt controverſiarum, & errorum omnium, quibus ducimur, quando iis ſenſu philoſophico utimur.

§. XV.

Licet hæc nomina ejuſmodi imperfectione laborent, inſervire tamen poſſunt ad civiles, non autem ad philoſophicos uſus.

FAteor equidem, in *vita communi & congreſſionibus* hominum, *ſubſtantiarum nomina* generalia, quorum communes ſignificationes notis quibuſdam qualitatibus determinantur, (cujuſmodi in rebus, quæ ſemine propagantur, ſunt forma & figura, atque in aliis ſubſtantiis, color plerumque, aliis quibuſdam qualitatibus junctus) *ſufficere* ad res deſignandas, de quibus inter homines ſermo communiter incidit: Ita nimirum ſubſtantiæ, quas vox *aurum*, aut *pomum* denotat, a ſe invicem diſcernuntur. *In diſquiſitionibus vero & diſputationibus philoſophicis*, ubi veritates quædam univerſales ſtatuendæ, & ex quibuſdam poſitis alia colligenda ſunt, ibi comperiemus, difficillimum eſſe ſtatuere, nominum ſubſtantiarum quæ determinata ſignificatio ſit. Exempli gratia, qui ductilitatem, aut certum quendam gradum fixitatis, complexæ *ideæ* auri partem eſſe, ſtatuet, propoſitiones contexere poteſt, quæ ex auro, ita ſumto, vere & neceſſario conſequentur: De quarum autem veritate haud alteri conſtabit, qui ductilitatem, aut eundem fixitatis gradum partem non efficit complexæ iſtius *ideæ*, pro qua vox *aurum* ab eo uſurpatur.

§. XVI.

Exemplum petitur a nervorum liquore.

DEfectum hunc, quaſi a natura ortum, omnia pæne nomina ſubſtantiarum, in gentium omnium linguis, neceſſario fere ſequi, exploratiſſimum ii

habebunt, qui res, quas generatim & confuſe tantum cognoſcebant, propius intuebuntur. Tunc enim perſpicuum erit, voces iſtas ambiguas eſſe, quæ communi in uſu maxime claram & definitam ſignificationem habere, videbantur. Eram olim in congreſſione Medicorum quorundam, præclara eruditione atque ingenio pollentium, ubi quæſtio oriebatur, utrum per nervos *liquor* aliquis manet, nec ne; cum rationibus conquiſitis in contrarias partes aliquamdiu diſputaſſent, ego (qui ſuſpicari ſolebam partem maximam controverſiarum inter homines doctos magis eſſe de verborum ſignificatione, quam de rebus ipſis) rogabam, ut, vox *liquor* quid ſignificet, ſtatuerent prius, quam verbis ulterius decertarent. Conſilium hoc, quod primo ſtatim intuitu ipſis admirationem movit, niſi multa in ipſis fuiſſet humanitas, riſu tanquam ineptum excepiſſent: illorum enim nemo erat, quin, verbum *liquor* quid ſignificet, quod inter ſubſtantiarum nomina, mihi videtur, non adeo complicatam notionem habere, ſe ſcire putaret. Dictis nihilominus meis audientes erant, atque re momentis ſuis ponderata, invenerunt nominis iſtius ſignificationem haud ratam adeo & certam fuiſſe, ac illis viſum erat; verum ſingulos diverſam *ideam* complexam iſto nomine efferre. Hinc compertum habebant, controverſiæ ſummam de vocis tantum ſignificatione fuiſſe; ſeque non multum a ſe invicem ſententiis diſcrepaſſe, de fluida & ſubtili materia per nervorum ductus manante, etiamſi haud facile erat ſtatuere, utrum liquoris nomine deſignanda eſſet, nec ne. Atque ita res hæc, penitus introſpecta, haud tanti videbatur ipſis eſſe momenti, ut de ea controverſiam aliquam moverent.

§. XVII.

§. XVII.

Exemplum petitur ab auro.

REm ita ſe habere in pleriſque omnibus diſputationibus, in quibus tam pertinaci verborum concertatione contenditur alibi fortaſſe commemorandi locus erit. Si hic tantum memoratum ſuperius exemplum vocis *Auri* exquiſitius paulo conſideremus, videbimus, quam difficile ſit, vim vocabuli iſtius definire. Inter omnes pene convenit, debere corpus denotare, flavo quodam rutilante colore præditum; at cum pueruli *ideam* hanc nomini iſti ſubjecerunt, caudæ pavonis pars rutilans illis aurum erit. Alii, qui fuſilitatem cum rutilo iſto colore in auro junctam reperiunt, putant aliam, quæ corporis tantum *ideam* ſimul cum colore iſto continebat, aurum vere nobis non repræſentare, ſed imperfectam tantum *ideam* eſſe id genus ſubſtantiæ: quare vocabulum *aurum*, cum ad ejuſmodi ſubſtantias refertur, corpus proprie denotat flavi iſtius coloris, quod admoto igne liquefit, non autem in cineres redigitur. Alius pondus, quod cum colore iſto non minus arcte, quam fuſilitas, juncta eſt eadem de ratione, in *ideam* iſtam inferendum, & nomine ejus ſignandum, putat: & proinde aliam illam e corpore conflatam, colore iſto & fuſilitate prædito, pro imperfecta eſſe habendam; ſimiliter etiam de reliquis eſt dicendum. Atque nemo rationem oſtendere poteſt, cur quaſdam e qualitatibus inſeparabilibus, quæ natura ſibi invicem ſemper cohærent, in nominalem eſſentiam cooptaremus, rejiceremus alias: curve vocabulum *aurum*, quod genus illud corporum denotat, ex quo annulus conficitur, quod in digito eſt, ſpeciem iſtam per colorem, pondus, & fuſilitatem potius, quam per colorem, pondus, & ſolubilitatem in *Aqua Regia* determinaret: cum ſolutio ejus in li-

liquore iſto æque ſeparari ab eo non poſſit, ac fuſio per ignem. Ambo nihil ſunt, niſi relatio ſubſtantiæ iſtius ad alia duo corpora quibus potentia ineſt in eam indifferenter agendi. Unde enim fuſilitatis, aut coloris iſta eſt prærogativa, ut pars ſint ipſius eſſentiæ, quam vox *Aurum* deſignat, ſolubilitas vero & ductilitas proprietates tantum dicantur? Quod ſumma eſt orationis meæ, dico, cum hæc omnia attributa tantum ſint, quæ manant ab eſſentia rei & nihil aliud, quam potentiæ activæ, aut paſſivæ, ſi ad alia corpora referantur, nemini liberum eſſe, ut ſignificationem vocis *auri*, (prout certum corpus reſpicit in rerum natura exiſtens) ad quaſdam potius *ideas* in corpore iſto, quam ad alias determinet; Ex quo efficitur, vocis iſtius ſignificationem neceſſario valde eſſe incertam. A diverſis quippe proprietates diverſæ in eadem ſubſtantia, univerſæ a nemine, quantum quidem ego exiſtimo, animadvertuntur.

§. XVIII.

In nominibus idearum ſimplicium minima eſt ambiguitas.

EX dictis fides iſti conciliatur, quod ſuperius annotatum eſt, *nomina* nimirum *idearum ſimplicium*, ex aliis omnibus, *minime eſſe errori obnoxia*, idque propter inſequentes rationes. *Primo*, quia *ideæ*, quas denotant, cum ſimplices tantum perceptiones ſint, acquiruntur facilius, atque iis luculentius retinentur, quæ ſunt magis complicatæ, ideoque longius abſunt a periculo erroris, in quo complexæ iſtæ *Subſtantiarum & Modorum mixtorum ideæ* vulgo verſantur, in quibus haud facile inter homines convenit de numero *idearum* ſimplicium, e quibus coagmentantur, nec in memoria tam fideliter retinentur.

Se-

Secundo, quia non ad aliam unquam eſſentiam referuntur, præter iſtam perceptionem, quam proxime ſignificant: in hoc enim nominum ſubſtantiarum involutæ ſignificationis, & tot litigioſarum diſputationum cauſa conſiſtit. Rariſſime accidit, ut homines, niſi qui vocibus perverſe ad contentionis ſtudium abutuntur, in noto aliquo ſermone errent, nominum *idearum* ſimplicium, *albi* nimirum & *dulcis*, *flavi* & *amari*, ſignificatio facilis adeo eſt, ut ſe eam comprehendere, aut ignorare prorſus, omnes primo ſtatim aſpectu perſpiciant. Pro qua vero *idearum* ſimplicium determinata congerie, *modeſtia* aut *frugalitas* ab alio uſurpetur, haud certo adeo cognoſcitur. Et licet nobis videamur, quid *Aurum* aut *ferrum* denotet, cognitum habere; definitæ tamen *ideæ* complexæ, quas alii vocibus iſtis ſubjiciunt, haud manifeſto adeo a nobis compertæ ſunt: atque rariſſime, credo, accidit, ut in loquente & audiente eandem numero congeriem deſignent. Quare errores atque altercationes exinde oriantur, neceſſe eſt, cum in doctis ſermonibus hæc nomina adhibentur, ubi propoſitionum univerſalium uſus & tractatio neceſſaria eſt, quibus homines in mente ſua veritates univerſales fingere, & quæ ex iis conſequuntur, contemplari cupiunt.

§. XIX.

Proxime poſt eas nomina Modorum ſimplicium.

EAdem de cauſa ſtatuendum eſt, *nomina Modorum ſimplicium proxime poſt ideas ſimplices, extra omnem ambiguitatis & incertitudinis aleam longiſſime poſita eſſe*, ea præſertim, quibus figura & numerus, quorum ita claræ diſtinctæque *ideæ*, deſignantur. Quis enim unquam, modo fuerit iſta ſciendi cupi-

dus, circa ſignificationem verbi *Septem*, aut *Triangulum* erravit? Atque generatim dici poteſt, quod nominibus *idearum*, quæ in unoquoque genere minimum compoſitæ ſunt, minima ambiguitas inſit.

§. XX.

Subſtantiarum, & Modorum mixtorum valde compoſitorum nomina maxime ambigua ſunt.

MOdi itaque *mixti*, ex paucis & uſitatis *ideis* ſimplicibus conflati, nomina vulgo habent non adeo incertæ ſignificationis. Secus ſe res habet in nominibus *Modorum mixtorum*, quæ *idearum* ſimplicium magnum in ſe numerum continent, quorum ſignificationes communiter ſunt admodum dubiæ & incertæ, quemadmodum jamjam demonſtravimus. Nomina Subſtantiarum, quæ ideis adſcribuntur, quæ ſunt neque reales Eſſentiæ, neque exacte repræſentant exemplaria, ad quæ ſe referunt, maximæ adhuc ſunt obnoxia incertitudini, præſertim ſi in rebus Philoſophicis ea uſurpamus.

§. XXI.

Imperfectio hæc vocibus cur tribuatur.

CUm magna iſta confuſio, quæ in ſubſtantiarum nominibus accidit, utplurimum inde proveniat, quod in intimam rerum conſtitutionem penetrare nequimus, mirum forſan videbitur, *quod dicam, defectum hunc verbis potius, quam noſtro intellectui vitio vertendum eſſe*. Quo melius objectio hæc diluatur, quæ mihi juſta videtur, conſentaneum eſſe puto, methodi hujus, quam ſecutus ſum, rationem reddere. Fateor itaque, ad opus hoc de Intellectu humano,

no, animum cum primum appuli, & longe poſt me nunquam exiſtimaſſe & cogitaſſe, neceſſarium ad illud meum propoſitum eſſe, ut in verborum tractatione multum verſarer. Quamprimum vero, origine atque *idearum* noſtrarum compoſitione diligenter inveſtigata, cognitionis noſtræ terminos & certitudinem cœpi perſcrutari, inveni, eam cum verbis arcte adeo connexam eſſe, ut, niſi illorum vis & poteſtas primum diligenter obſervaretur, difficile eſſet, idoneum quid & perſpicuum de Cognitione dicere: quæ, quoniam veritatem pro objecto habet, circa propoſitiones neceſſario ſemper verſatur. Et licet illa in rebus terminetur, id tamen verborum interventu plerumque ita fit, ut a cognitione noſtra univerſali verba vix ſejungi poſſe videantur. Saltem inter intellectum noſtrum, atque veritatem iſtam, cujus perſpiciendæ ſtudio ille tenetur, ita intercedunt, ut *medii* inſtar, per quod objecta ad viſum permanant, obſcuritas & confuſio illorum rebus non raro caliginem offundant, & fucum faciant intellectui. Si in iis ſophiſmatibus, quibus homines tam ſibi, quam aliis imponunt, ſi in erroribus, in quos ii incidunt, a quibus multa in contrarias ſententias diſputantur, conſideremus, quantum verbis, & incertæ illorum ſignificationi tribuendum ſit, jure exiſtimabimus, hoc nobis magno eſſe impedimento in ſolidæ veritatis inveſtigatione; atque hoc eo magis provideri & præcaveri debet, quod tantum abeſt, ut hoc incommodum eſſe videatur, ut contra multi ad ſophiſmata excolenda multum ſtudii adhibuerint, atque viri literati & acuti exiſtimari obtinuerint, prout in ſequenti Capite apparebit. Et quidem certiſſime mihi ſum perſuaſus, quod, ſi linguæ defectus, qua utimur, tanquam inſtrumento, ad ſcientias adipiſcendas, diligentius expenderemus, plurimæ ex iis controverſiis, e quibus tot tantæque oriuntur turbæ, ex ſe ſtatim

corruerent, & quidem planior multo & apertior, quam nunc, ad cognitionem, & fortaſſe ad pacem etiam, via nobis aperiretur.

§. XXII.

Hinc monemur, ne in veteribus interpretandis temerarii ſimus.

Fieri non poteſt, quin verborum ſignificatio, in gentium omnium ſermone, cum e cogitationibus, notionibus, atque *ideis*, quæ ſunt in loquente, plerumque pendeat, in iis valde incerta ſit, qui eadem patria & ſermone utuntur. Hoc in Scriptoribus Græcis adeo manifeſtum eſt, ut, libros illorum ſi quis evolverit, in ſingulis, etſi verba eadem, varium tamen & diverſum ſermonem reperiet. Ad naturalem hanc difficultatem, quæ in gentibus ſingulis uſu venit, ſi longe remota locorum & temporum intervalla addamus, in quibus tam in loquentibus, quam ſcribentibus diſſimiles admodum notiones erant, mores, conſuetudines, & verborum ſententiarumque illa lumina, quæ ſchemata vocantur, *&c.* quorum ſingula verborum ſignificationis magna tunc in ſe momenta habebant, etſi vis illorum antiqua nunc & obſoleta eſt; *quare par eſt, ut erga noſmet invicem faciles & lenes ſimus; cum de iſtorum ſenſu, quæ ſcripta ſunt a veteribus, controverſia aliqua movetur*; quæ, etſi e re noſtra eſt, ut clare a nobis intelligantur, obnoxia tamen ſunt omnibus difficultatibus ſermonis, qui (exceptis tantum nominibus *idearum* ſimplicium, & rebus quibuſdam, quæ vulgari & communi ſunt in uſu) non poteſt, ſine perpetua vocabulorum definitione, ſenſum loquentis audienti, ita ut nulla dubitatio aut incertitudo remaneat, notum facere. Atque ſermones iſti, qui circa religionem, le-

leges, & mores verſantur, quæ in vita humana maximi ſunt momenti, maximam etiam habent difficultatem.

§. XXIII. De hoc ne dubitare poſſimus, maximo argumento ſunt tam multa volumina interpretationum & commentariorum in libros Veteris & Novi Teſtamenti. Etſi, quæ in textu dicuntur, omnia, ſine ulla controverſia vera ſint, tamen fieri non poteſt, quin lectores in iis intelligendis aliquando per errorem labantur. Nec quidem mirum videri debet, *Dei* voluntatem, vocibus quando veſtita atque ornata eſt, ambiguitati iſti, quæ non poteſt non eſſe conjuncta cum hoc cogitationum communicandarum modo, obnoxiam eſſe & incertam, cum *Dei* filius ipſe, carnem indutus humanam, naturæ humanæ, peccatis exceptis, imbecillitates fragilitateſque omnes paſſus fuerit. Et quidem in eo divina bonitas celebranda eſt, quod tam claris indiciis generi humano patefecerit. Deum mundi hujus opificem ædificatoremque fuiſſe, iſtumque illius providentia adminiſtrari, quodque hominibus tantam vim ingenii atque rationis largiri voluerit, ut ne quidem illi ipſi, qui ſcriptum illud verbum nunquam exceperunt, nec de eo quicquam audiverunt, ſi modo ad hujus rei inveſtigationem animi vires intendere voluerint, Deum exiſtere, & a nobis colendum eſſe, inficiari fuerint auſi. Quoniam igitur religionis iſtius, quam natura magiſtra didicimus, præcepta perſpicua ſunt, & nota omnibus, atque in controverſiam raro vocantur; e contrario revelata iſta, quæ non ſine librorum & linguarum miniſterio nobis traduntur, iiſdem obſcuritatibus & difficultatibus, quibus vocabula vulgo involuta ſunt, exiſtimo, omnes homines decere, ut in his naturalibus ſervandis legibus ſollicitiores & diligentiores, in harum vero, quas Revelatio nobis proponit, veritatum ſenſu interpretando minus pertinaces

ces & imperioſos ſeſe præſtent, ſed iis, quæ ſancita jam ſunt, humiliter acquieſcant.

C A P. X.

De Verborum Abuſu.

§. I.

Verborum abuſus.

PRæter imperfectionem, quæ vocibus naturaliter ineſt, atque obſcuritatem & confuſionem iſtam, quæ in vocabulorum uſu vix devitari poſſe videntur, homines in hac ſermonis communicatione in *errores & neglectus* multos *ſponte ſua* incidunt, quibus horum ſignorum ſenſus multo obſcurior redditur, quam natura illorum poſtulat.

§. II.

Primo, *cum voces ſine ullis, aut certe ſine claris* ideis, *uſurpantur.*

PRimo, in genere hoc, maxime inſignis atque illuſtris abuſus eſt, cum voces uſurpantur ſine claris & diſtinctis *ideis*; aut, quod deterius eſt, cum ſigna ad nullam rem omnino ſignandam adhibentur. Hæ voces duorum ſunt generum.

I. In gentium omnium linguis, verba quædam reperiuntur, quæ, ſi diligenter expendantur, in primario ſuo, & proprio uſu, nullas claras & diſtinctas *ideas* denotare, deprehendentur. Hæc ii, maxima

ex

ex parte, introduxere, qui in Philoſophia & Religione ſectas ſecuti ſunt diverſas. Hæreſum enim inventoribus, & principibus, quibus vel dogma aliquod, prius inauditum, atque ultra captum, vulgi poſitum, ſancire, vel prodigioſam aliquam, aut imbecillem opinionem firmare, aut obtegere in animo eſt, moris eſt, verba producere nova, quæ, ad examen quando revocantur, *termini* appellari poſſunt, *ſenſus* omnis *inanes*. Iis enim primo inventis cum definitus *idearum* numerus aſſignatus non fuerit; aut tales ſaltem, quales, ſi expendantur, haud aptas inter ſe & cohærentes eſſe, deprehendemus: haud mirum videri debet, ſi ſoni poſtea inanes maneant, & nihil propemodum ſignificent, prout ab iis communiter uſurpantur, qui ſatis habent, ea crebris ſermonibus pro Eccleſiæ, aut ſcholæ ſuæ notis characteriſticis uſurpare, de *ideis*, quas hæc verba ſignificant, parum ſolliciti. Hujuſce rei exempla opus non eſt, ut hic ſubjiciam, quorum abunde ſatis ſua cujuſque lectio, atque uſus & conſuetudo cuique ſuppeditabunt; aut ſi uberiora forte deſiderat, vellem, adiret magnos & eruditos iſtos verborum procudendorum *magiſtros*, quorum ex officina prodiit hujuſmodi terminorum copioſa ſupellex: eos intelligo, qui *Philoſophiam Scholaſticam & Metaphyſicam* excoluerunt, quibus, puto, ii annumerandi ſunt, qui, aliquot jam ſeculis, omnia tam in Naturali, quam Morali Philoſophia, litigioſis diſputationibus miſcuerunt (48).

§. III. II. Alii abuſum hunc latius adhuc extendunt, qui, tantum abeſt, ut verba aſpernentur, quibus in primaria ſua notatione vix claræ aliquæ aut

(48) Vocabula quæ nullam notionem exprimunt, veteres appellabant *pliſtri & ſcyndaphus*. Termini cum quibus conceptum conjungere credimus, & nullum conjungimus, dicuntur, ſignificare *notionem deceptricem*, & *inanes* vocantur.

aut diſtinctæ *ideæ* annectuntur, ut contra, mire ſocordes, *verbis* familiariter *utantur*, quæ in ſermone quotidiano, *ſine certa quadam ſignificatione*, *ideis* tribuuntur, quæ nobis maximi ſunt momenti. *Sapientia*, *Gloria*, *Gratia*, &c. voces ſunt crebro ab omnibus prolatæ; ſi tamen plurimi eorum, a quibus uſurpantur, quid ſignificent, forte interrogarentur, ad interrogatum reſpondere neſcii ſtatim obmuteſcerent. Quod argumento eſt, ſe, etſi ſonos iſtos didicerint, atque in ore prompta teneant, non claras tamen & diſtinctas *ideas* habere in mente reconditas, quæ, illorum adminiculo, aliis exprimendæ ſunt (49).

§. IV.

Hoc ex eo fit, quod verba prius, quam illorum ideæ, addiſcantur.

HOmines, quibus, ab ineunte ætate *uſu venit*, voces, quæ memoriæ traduntur & nullo negotio retinentur, *prius diſcere*, quam *ideas complexas*, quibus annexæ erant, vel quæ in rebus, quarum conſiderantur tanquam ſigna, deprehendi debent, animo comprehendiſſent, *priſtinum iſtum morem per vitæ totius curriculum* plerumque retinent, & quidem claras, diſtinctaſque *ideas* in mentibus ſuis formare haud ſatis laborantes, verba adhibent ad eas, quas habent incertas & confuſas notiones ſignandas, & quidem ſatis habent, iiſdem cum aliis vocibus uti; perinde ac ſi ſono ipſarum idem ſemper ſenſus neceſſario ſubeſſet. Etiamſi hoc ſufficit ad vitæ communis

(49) Ex hoc oriuntur contradictiones; qui non bene diſtincteque concipiunt quod loquimur, vel ſcribimus, paulo poſt contrario ſenſu vocabula ipſa adhibent, etſi credant unum idemque dicere, vel ſcribere.

munis uſus, ubi rationibus hominum conducit, ab aliis intelligi, & proinde ad illud ſignorum adjumento utuntur: tamen cum voces, quas proferunt hoc modo, ſignificationis plane ſint expertes, neceſſe eſt, ut quoties de opinionibus, quas amplexantur, aut rebus, quæ ad commoda ſua attinent, controverſia oritur, inſtitutus ſermo multo ſtrepitu inani & loquacitate futili refertiſſimus ſit, præſertim in rebus mores ſpectantibus; hic enim, cum voces plerumque *idearum* multitudinem denotent, ad hominum arbitrium congeſtarum, non in natura ſibi invicem conſtanter conjunctarum; ſæpe accidit, ut non niſi de ſono ſyllabarum, quibus hæ voces ſunt compoſitæ, homines cogitent, vel ſaltem obſcuras valde incertaſque notiones eis aſſignent. Homines voces approbant, quæ apud vicinos communi ſunt in uſu; atque ne forte, quid hæ voces ſibi velint, ignorare videantur, fidenter eas uſurpant, de certa ſignificatione illarum prorſus ſecuri. Quo pacto, præter operæ compendium, illud etiam lucrifaciunt, quod, ſicut in ejuſmodi ſermonibus verum rariſſime loquuntur, ita, ſe in errore verſari, haud facile convincantur; & quidem ſi quis eos erroribus expedire conaretur, qui non fixas & determinatas habent notiones, is illi ſimiliter faceret, qui vagabundum, qui ſedem ſtabilem & domicilium certum non habet, domo exturbatum iret. Hoc mihi verum eſſe videtur, utrum vero revera ſit, nec ne, aliis dijudicandum relinquo.

§. V.

Secundo, *quod non eodem ſenſu conſtanter uſurpentur.*

SEcundo. Alius non exiguus verborum abuſus eſt, *inconſtans* & varius illorum uſus. Difficile eſt tractatum invenire, præſertim cujus argumentum eſt

rei

res controverſa & plena diſſenſionis inter doctiſſimos, in quo diligenter legenti haud voces occurrant', (& in quibus ſæpiſſime maximum argumenti momentum & cardo rei vertitur)', quæ nunc hanc, nunc illam *idearum* ſimplicium congeriem denotant. Cum voces a me uſurpentur pro *idearum* ſignis non naturalibus, ſed arbitrariis, fallaciarum plane reus ſum, ſi modo ad hanc, modo ad aliam rem denotandam a me adhibeantur; quod ſi conſulto fecero, me abſurdum & rerum imperitum eſſe, aut contra honeſtatem graviter peccare, neceſſario fatendum eſt. Et quidem æque conſentaneum foret, ut quis, pecuniarum rationes cum alio, quando putaturus eſt, numerorum notas nunc pro hac, aliquando vero pro alia unitatum collectione uſurparet: ac ut in ſermone aut diſſertationibus per idem vocabulum nunc hanc, nunc iſtam *idearum* ſimplicium congeriem deſignaret. Si quis in computis, & negotiis pecuniariis idem faceret, atque 8 nonnunquam ſeptem, aliquando novem appellaret, prout emolumenti ſui ratio poſtularet, non ſolum gravia ipſi convicia fierent ab hominibus, verum illi commercium omne & ſocietatem cum eo penitus repudiarent. Interea tamen in eruditorum litigioſis diſputationibus, qui aliis hoc modo imponunt, ingenioſorum doctorumque nomen obtinent. Hoc autem longe turpius eſſe puto, quam ſi, cum pecuniariæ rationes conferuntur, quis plures, quam par eſt, calculos addiderit, aut ſubduxerit; atque fraus iſta tanto mihi major eſſe videtur, quanto pluris veritas, quam quidem pecunia, æſtimanda eſt (50).

§. VI.

(50) *Locrenſes* cum *Siculis* juraverint amicitiam continuam, donec terram, in qua erant, premerent pedibus, & caput in ſcapulis portarent; ejecerunt eos ſimulac id facere potuere, ajentes, ſe juraviſſe, donec non viderent aliorum capita; quæ in ſcapulis ferebant, & terram in calceis, quam ejecerunt ac diſperſere

(V.

§. VI.
Tertio, *quod obſcuritas affectetur, eaque rebus perperam applicetur.*

TErtio. Alius ſermonis abuſus eſt, *obſcuritas affectata*; hoc fit, vel priſcas voces novo & prius inaudito ſenſu uſurpando, vel novos & ancipites terminos adſciſcendo, non adhibita definitione utriuſvis, aut eos ita conjungendo, ut uſitata ſignificatio illorum confuſa reddatur. Etſi *Philoſophiæ Peripateticæ* primas in hoc genere deferre par eſt, aliæ tamen ſectæ non prorſus omni culpa vacant (51). Ex iis vix ulla reperienda eſt, quæ non implicata ſit quibuſdam difficultatibus, quas (ea eſt cognitionis humanæ imbecillitas) vocum obſcuritate involvere, earumque ſignificationem confundere, neceſſum habuere, ut ita hac obſcuritate animi plebis quaſi per caliginem perſtringerentur, ne id, quod in ipſorum opinionibus vitioſum, aut imbecillum eſt, perſpicere poſſent. *Corpus* & *extenſionem*, prout communiter uſurpantur, diſtinctas duas *ideas* ſignificare, cuivis, animum ad id, vel punctum temporis attendenti, perſpicuum erit. Si enim rem plane eandem denotarent, *corpus extenſionis*, non minus proprie, quam *extenſio corporis* dici poſſet; nec tamen deſunt quidam, quibus neceſſarium videtur, illorum inter ſe ſignificationem confundere. Ad hunc abuſum, & ad vocum ſignificationes obſcurandas, atque ita permiſcendas, Logica & Liberales ſcientiæ, prout in Scholis tractantur, plurimum contulerunt. Ad imperfectionem hanc, quæ

(*V. Polyb. lib. XII. Cap. IV.*). Mahometus II., capto Negroponte, cum promiſiſſet cuilibet minime caput truncaturum, juſſit eos per medium ſecari (*V. Johan. Cuſpinian. de orig. Turcar. in Mahom. II. pag.* 132. *Edit. Lugd. Bath,* 1654.)

(51) Ejuſmodi dici debent termini Phanaticorum, & Paracelſiſtarum, ut ſunt *Microſmetor*, *Bittmimalca*.

quæ vocibus natura ſuâ ineſt, ex diſputandi artificio, quod omnium ſermone celebratum eſt, haud parum acceſſit, dum ad vocum ſignificationem perturbandam magis, quam ad ea, quæ involuta ſunt, aperienda accomodatum fuerit. Et qui id genus ſcripta erudita ævolvere dignabitur, videbit, verba multo magis ambigua eſſe & ſignificationis incertæ, quam in ſermone quotidiano.

§. VII.

Logica & litigioſæ diſputationes ad hoc plurimum contulerunt.

FIeri non poteſt, quin res ita ſe habeat, ubi homines tanto magis ingenio & eruditione pollere cenſentur, quanto magis alios *diſputandi* peritia antecellunt. Et ſi pugna hac doctorum hominum, victoriam, quæ verborum ſubtilitate præcipue nititur, ab aliis reportantes, præter aliam mercedem, gloriam etiam conſequuntur; mirari non debemus, ſi homines in ejuſmodi concertationibus in anguſtias nonnunquam redacti, verborum ſignificationes implicatas & ita involutas reddunt, ut ipſis aliquid ſemper ſuppetat, quod ad ea reſpondeant, quæ ab adverſario objiciuntur; ſiquidem victoria non eidem, penes quem veritas eſt, ſed iſti, qui ultimo loco reſpondet, adjudicatur.

§. VIII.

Uti & illud etiam, quod ſubtilitatis & ſolertiæ nomen obtinet.

ARtificium hoc*, etſi valde inutile eſt; & ſcientiarum adipiſcendarum rationi maxime oppoſitum, hactenus tamen ſubtilitatis & ſubacti ingenii acu-

acutiſſimique judicii nomen obtinuit, & in Scholis communi applauſu exceptum ad magnam inter pleroſque eruditos exiſtimationem adſpiravit; nec mirum quidem cum Philoſophi antiqui, (litigioſos iſtos & altercantes Philoſophos intelligo, quales *Lucianus* non facete magis & ſalſe, quam jure ridet), & poſt eos, qui philoſophiam Scholaſticam excoluere, univerſæ literaturæ, quæ oſtentatur facilius, quam acquiritur, laudem venantes, viam nullam magis compendioſam putarunt ad populi exiſtimationem perveniendi, quibus ea maxime admirationi ſunt, quæ minime intelligunt, quam ſi ignorantiam ſuam ſpinoſorum quorundam & verborum, quæ explicari nequeunt, involucris obtegerent. Ex hiſtoriarum munumentis patet, abſtruſioris iſtos Philoſophiæ conſultos non reliquis mortalibus ſapientia antecelluiſſe; atque parum utilitatis ad ſocietatem & communitatem hominum ab iis manaſſe: niſi forte is generi humano utilis, atque laude & præmio dignus cenſendus eſt, qui, non productis rebus, quibus imponenda ſunt, nova nomina procudit; aut, priſcorum nominum ſignificationem obſcuram confuſamque reddendo, efficit, ut res univerſæ propemodum in controverſia & diſcrepatione verſentur.

§. IX.

Ejuſmodi eruditio ad vitæ commoditatem parum conducit.

UTcunque enim acerrimi iſti Diſputatores, & Philoſophi omni eruditione, ut ipſi ſibi videbantur, refertiſſimi, ſemet oſtentent, fatendum tamen eſt, qui vigilantia ſua effecerunt, ut populares ſui ſumma tranquillitate pacis, & otii fruerentur, non eos fuiſſe, qui Philoſophiæ hujus ſtudium, verum qui, eruditionem hanc nihil facientes, rationem & pru-

dentiam rei publicæ gerendæ coluerunt ; ſicut etiam inventa plerumque utilia e *Mechanicorum* (cui nomini turpitudinis nota injuſta eſt) literarum plane rudium , officina prodierunt . Nihilominus artificioſa hæc ignorantia , & *barbaries erudita* poſteriori hac noſtra memoria altiores egit radices , illorum commodo & artificio ſubnixa, qui ad eam, quam tenent, autoritatem & donationem haud faciliorem viam invenerunt , quam ſi homines , negotiorum ſuorum ſatagentes & rerum imperitos , difficilibus & nodoſis verbis torquerent , aut ingenioſos , atque nihil aliud agentes, ſpinoſarum diſputationum laqueis, circa vocabula , quæ nequeunt intelligi , irretitos & occupatos , tanquam in aliquo Labyrintho , tenerent . Præterea , abſurdis & monſtruoſis opinionibus facilis ita aditus ad animum aperitur , & ab adverſariorum oppugnatione ſe levi armatura tutantur , cum verborum obſcuræ & incertæ ſignificationis magna multitudine, tanquam cohortibus , vallatæ undique & munitæ ſunt . Hinc vero efficitur , ut receſſus iſti , non tam bellatorum caſtra , juſto & legitimo marte pugnantium , quam latronum ſpeluncas referant , aut vulpecularum latibula : e quibus ſi difficillime pelluntur , non illud e virtute provenit , verum quia ſemet in latebras conjecerunt ſeptas undique & veſtitas vepribus , & dumetis . Cum enim falſitas menti humanæ minime grata ſit , ideo illud , quod abſonum & abſurdum eſt , locum , quo ſe occultet , non habet , præter latebram obſcuritatis .

§. X.

§. X.

Verum ſcientiarum & ſermonis communis inſtrumenta convellit.

HOc modo literata ignorantia, atque artificium hoc veritatis cognitionem eos celandi, qui veritatis inveſtigandæ ſtudio tenentur, latiſſime ſe propagavit, atque ita intellectui, cui lucem ſe afferre jactabat, caliginem & tenebras offudit. Quotidiana enim docet experientia, multos cordatos & ſapientes homines, qui, propter educationem & indolem diſparem, in ejuſmodi ſubtilibus rebus non fuerunt inſtituti, colloqui nihilo ſecius inter ſe & ſenſa dicendo exprimere, atque ita in communi uſu ſermonis fructus percipere optime poſſe. Licet vero homines literarum rudes voces iſtas *album* & *nigrum*, &c. & ſubjectas iis *ideas* ſatis cognitas habeant; non defuerunt tamen Philoſophi, tam præclara eruditione & acumine, qui *nivem eſſe nigram*, vel, quod idem ſonat, *album eſſe nigrum*, acute diſputarent; hoc quid aliud erat, quam familiaris colloquii & congreſſus, inſtitutionis omnis, & ſocietatis inſtrumenta & ſubſidia convellere; quorſum autem ſubtilitas & artificium illud, niſi (quod viri indocti non potuere) ut verborum ſignificationem obſcurarent, efficerentque ita, ut in ſermone pauciores, quam per ſe nunc habet, commoditates ineſſent (54)?

(54) Videtis, quod obſcuritas in his vocibus oritur, etſi ſingulatim hæ ſumptæ claræ ſint, & ſignificatus habeant, ex additione, vel unione, quapropter conceptum evaneſcit (*V. Werenſels de Logomachiis Eruditorum Cap. VI.* § 4.)

§. XI.

Eundem uſum præſtat, ac ſi literarum ſonos inter ſe confundere vellem.

DOctorum turba iſta, verum invenire, animos hominum doctrina excolere, & quod ad vitam & commoditatem hominum utile eſt, ſimul excogitare, haud ſecus ſtuduerunt, ac ſi quiſpiam characterum, qui non ſatis & communi ſunt in uſu, ſignificationem immutaret, atque erudito quodam artificio, vulgi captum longe ſuperante, quorum ingenium tardius, atque eruditio nulla eſt, ſcriptis in lucem editis, non ſine legentium ſtupore, oſtenderet, ſe A in locum B, & D in locum E ſubſtituere poſſe. Non minus enim abſurdum eſt, *nivem*, quæ albedine affecta eſt, *nigram* vocare, cujus *idea* diſpar longe & contraria eſt, quam hanc notam A pro B uſurpare, cujus alius eſt ſonus & diverſa longe vocis inflexione factus.

§. XII.

Artificium hoc in religionem & jus civile confuſionem & obſcuritatem invexit.

NEc quidem malum illud hic in argutiis Logicis, aut curioſis & inanibus diſquiſitionibus ſubſtitit; ulterius ad ea uſque permanavit, in quibus maxima momenta ad vitæ communitatem poſita ſunt; quæ ſunt in Jure Civili & Theologia veritates inſigniores, obſcuravit; rebus humanis confuſionem, & incertitudinem invexit; atque duas iſtas regulas illuſtres, ad quarum normam vita noſtra dirigenda & formanda eſt, *Religionem* nempe & *Juſtitiam*, ſi non labefactavit prorſus, inutiles tamen maxima ex parte reddidit. Quorſum enim pleræque omnes iſtæ diſſertatio-

nes

nes &, commentarii, in leges *Divinas* & humanas, niſi ut ſenſus implicatior redderetur? Ex innumeris iſtis, & minutis diſtinctionibus, quidnam utilitatis, niſi ambiguitas & incertitudo, atque (ſi modo ita dicere fas ſit) caligo uberior ad lectorem redundat? Ceterum, undenam eſt, quod Principes, quando per literas vel ſermonem ſervis ſuis aliquid diligenter mandant, facile intelligantur; minime vero, cum mandata illorum legibus continentur? Atque, ut ſuperius innui, annon ſæpius videmus, eum, in quo non ſumma vis ingenii eſt, textus alicujus legis ſenſum prius callere, quam Interpretes adeat atque expoſitores; qui non prius finem explanandi facere ſolent, quam voces nihil omnino, aut quod viſum fuerit ipſis, tandem ſignificent?

§. XIII.

Nec pro eruditione haberi debet.

Utrum vitium hoc ab iis ortum traxerit, qui ſententias quæſtus & lucri cauſa amplectuntur, haud noſtri nunc inſtituti eſt quærere; velim, alii conſiderent, utrum hominibus, quorum e re eſt, res ut in ſe ſunt, cognoſcere, &, quod rectum eſt, facere; non autem ſuam ætatem in ſermone inani, atque verbis ultro citroque jactandis conſumere; utrum, inquam, non multo foret utilius, ut verborum uſus apertus eſſet & ſimplex; atque ſermonis, quem a natura adjumentum accepimus cognitionis adipiſcendæ, atque ſocietatis vinculum, unicus ferme uſus non deſtinaretur ad veritati tenebras offundendas, ad hominum convellenda jura, ne obducta menti caligine ita efficeretur, ut, quæ ad vitæ noſtræ cultum pertinent, Cimmeriis tenebris involuta lateant, nec omni intellectus noſtri lumine illuſtrari ac perrumpi queant: aut ſaltem, ut, qui fraudem

hoc modo hominibus faciunt, in eruditorum numero non haberentur, nec fraus iſta putaretur vera eſſe cognitio atque doctrina?

§. XIV.

Quarto, cum voces pro rebus ſumuntur.

QUarto. Alius *vocabulorum abuſus inſignis eſt, ea pro rebus ſumere*. Hic etiamſi omnium, quodammodo, communis eſt, proprie tamen ſubſtantiarum nomina reſpicit: In hunc ſermonis abuſum illi plerumque incidunt, qui ſuas cogitationes certi cujuſdam Syſtematis cancellis includunt, nec ultra hoc ſapere volunt, verum approbatam & receptam communiter hypotheſin, dignam putant, quam pro vera & perfecta amplexentur; unde perſuaſum habent, Terminos ab iis uſurpatos, qui ſunt in iſta hæreſi, rerum naturæ ita congruere, ut reali iſtarum exiſtentiæ penitus reſpondeant. Quis eſt Peripateticæ Philoſophiæ inſtitutionibus eruditus, qui non putet decem iſta Predicamentorum nomina ad rerum ipſarum naturam perfecte planeque accomodata eſſe? Quotuſquiſque eſt in iſta ſchola, cui non perſuaſum ſit, *Formas ſubſtantiales*, *Animas vegetativas*, *fugam Vacui*, *Species intentionales*, &c. quid reale eſſe? Homines voces iſtas, quas magnum apud Doctores & in Syſtematibus pondus habere animadvertunt, cum primis ſcientiarum rudimentis didicere; quare opinio iſta, quam mentibus comprehenderunt, eas nimirum cum rebus ipſis cognationem habere, & quæ iis denotantur, in rerum natura exiſtere, haud facile evellenda eſt. Apud *Platonicos* mentio fit crebra de *Anima Mundi*; apud *Epicureos* de *conatu ad motum* in Atomis quieſcentibus. Philoſophorum nulla propemodum familia eſt, aut ſecta, quæ non definitum habeat numerum terminorum, quo-

quorum alii Philoſophi penitus ignari ſunt. Inanes tamen iſtæ & ineptæ voces quibus in ea, qua ſumus ingenii imbecillitate, ignorationi & erroribus hominum velum obducitur, ab iis crebro uſurpatæ, qui eandem philoſophandi rationem ſequuntur, tandem in lingua primas habere, atque aliis terminis ſignificantiores eſſe, cenſentur. Et ſi doctrina iſta latius ſerpente, forte eveniret, ut, dari *aerea*, & *ætherea vehicula*, omnes ubivis una mente conſentirent, nullus dubito, quin terminorum iſtorum, quemadmodum antea *formarum Peripateticarum*; ea foret in ipſorum animo vis, ut de rerum iſtarum veritate perſuaſio ſimul ipſis innaſceretur.

§. XV.

Exemplum a materia petitur.

QUam facile *intellectus erroribus implicari poſſit, ſi nomina pro rebus uſurpat*, illi perſpicuum foret, qui ad ſcripta philoſophica animum diligenter attenderet; & fortaſſe illud experietur in vocibus, quæ in abuſus iſtiuſmodi ſuſpicionem minime cadere videbantur. Unius tantum, notæ quidem & vulgatæ vocis, hic exemplum ſubjungam. Quam copioſe in Scholis atque acute de *materia* diſputatum eſt, haud ſecus ac ſi in rerum natura aliquid revera eſſet, a *corpore* diverſum, prout quidem liquet *materiæ* aliam eſſe, quam *corporis* notionem! Si enim *ideæ*, vocabulis iſtis denotatæ eædem plane in omnibus eſſent, altera pro altera ubivis uſurpari poſſet. E contrario videmus, licet conſentaneum ſit dicere, *una materia componit omnia corpora* non eſſe dicendum, *unum corpus componit omnes materias*: Dicimus communiter, *corpus* unum alio majus eſt, abſonum vero eſſet (nec, puto, moris eſt unquam) dicere, una *materia* major eſt alia. Unde hoc igitur?

Hinc nimirum, quod licet *materia* & *corpus* non reipſa diſtinguantur, verum ubi altera, ibi ſemper eſt alterum: Duos tamen conceptus diverſos ſignificant, quorum unus incompletus, & alterius tantum pars eſt. *Corpus* enim ſumitur pro ſolida, extenſa, & figurata ſubſtantia, de quo *materia* partialis tantum & confuſus eſt conceptus; mihi enim videtur pro ſubſtantia & ſoliditate corporis, ſeorſim ab extenſione & figura, uſurpari. Hinc, quoties de *materia* ſermo eſt, de ea ſemper, tanquam de una re, loquimur, quoniam revera nihil in ſe continet, præter *ideam* ſolidæ ſubſtantiæ, quæ ubique eadem, ubique uniformis eſt. Et proinde non diverſas in mundo *materias*, uti nec diverſas ſoliditates mente concipimus, aut ſermone uſurpamus; de corporibus vero diverſis idcirco loquimur, quia extenſio & figura variari poſſunt. Quoniam vero *ſoliditas* ſine extenſione, & figura exiſtere nequit, obſcuræ, ſine dubio, & intellectu difficillimæ iſtæ diſputationes, circa *materiam primam*, quibus libri Philoſophorum refertiſſimi ſunt, ortum inde traxere, quod *materiam* putent denotare aliquid, quod revera a reliquis proprietatibus ſejuncta exiſtat. Imperfectio ea aut abuſus iſte quam late patere, & ad alios multos terminos communes pertinere poſſit, aliis diſcutiendum relinquo. Hoc, opinor, ſaltem mihi dicere licebit, pauciores multo diſputationes fore, ſi verba pro *idearum* tantum noſtrarum notis, prout revera ſunt, non autem pro rebus ipſis acciperentur. Cum enim de Materia, aut ſimili quoddam termino argumentamur, omnis revera controverſia eſt de *idea* tantum, quam ſono iſto exprimimus, ſive deinde iſta *idea* cuipiam rei, in rerum natura exiſtenti, reſpondeat, nec ne. Et ſi homines, quas *ideas* vocibus denotant, aliis exponerent, in veri inveſtigatione, non eæ eſſent, quæ nunc, jejunæ verborum concertationes.

§. XVI.

§. XVI.

Hinc efficitur, ut errores diuturni ſint.

QUicquid vero incommodi naſcatur ex hoc verborum abuſu, hoc certus ſcio, conſtantem & familiarem illorum uſum efficere, ut notiones, a rerum veritate ſejunctiſſimas, ſequantur homines. Difficile ſane eſſet, ſi quis mentem alicujus hac opinione imbuere conaretur, quod verba, a Patre aut Præceptore ipſius, item a Parocho, aut alio quodam venerando Doctore uſurpata, nihil omnino ſignificent, quod in rerum univerſitate revera exiſtat: Quæ res fortaſſe *inter cauſas præcipuas recenſenda eſt, cur difficile adeo ſit, homines inducere, ut nuncium remittant erroribus ſuis*, etiam in opinionibus plane philoſophicis, in quibus, præter veritatem, emolumenta nulla nanciſcuntur. Cum enim verba nota & uſitata diu animis infixa hæſerint, non mirum eſt, quæ iis denotantur, falſas notiones haud removeri poſſe.

§. XVII.

Quinto, quando pro rebus ſubſtituuntur, quas ſignificare nequeunt.

QUinto. Alius *vocabulorum abuſus eſt, quando rerum loco ponuntur, quas neque ſignificant, nec ſignificare quidem nullo modo poſſunt.* Circa generalia ſubſtantiarum nomina, quarum nominales tantum eſſentiæ nobis cognitæ ſunt, obſervandum eſt, nos, propoſitiones quando conteximus, & de iis aliquid affirmamus aut negamus, tacito utplurimum ſupponere, ea ſumenda eſſe pro reali eſſentia certi cujuſdam generis ſubſtantiarum. Quando enim quis dicit, *Aurum eſt ductile*, plus innuit, (licet, ſi fun-

damentum ſpectes, non aliam rem ſignificet) quam ſi diceret, *illud ductile eſt, quod aurum voco*, atque ita accipi vult, *aurum*; i. e. *quod auri realem habet eſſentiam eſſe ductile*, quod perinde eſt, ac ſi diceret, *ductilitatem pendere ex reali auri eſſentia, & ab ea ſeparari non poſſe*. Sed ſi homini cuidam minime conſtat, in quonam poſita ſit realis iſta eſſentia, ductilitas in mente ejus revera cum eſſentia connexa non eſt quippe quam prorſus ignorat, verum tantum cum ſono iſto vocis *auri*, quam loco ejus eſſentiæ ſubſtituit. Ita nimirum cum dicimus, *animal rationale*, bonam eſſe, *animal vero implume, bipes, latis unguibus*, non eſſe bonam definitionem *Hominis*; apparet, nos in hoc caſu ſupponere, per vocem *Hominem* realem ſpeciei eſſentiam denotari, atque hoc volumus, *eſſentiam* nempe realem iſtam melius per *animal rationale*, quam per *animal implume, bipes, latis unguibus*, explicari. Alioquin, undenam minus conſentaneum eſſet, ut apud Platonem vox, ἄνθρωπον, aut *homo*, *ideam* complexam denotaret, conflatam ex *ideis* corporis, quod ab aliis omnibus per figuram certam, atque alias ſpecies externas ſecernitur, quam ut apud Ariſtotelem complexa iſta *idea*, quam ἄνθρωπον, aut *hominem* appellavit, conflata eſſet corpore, & anima, rationis participe, ſimul junctis; niſi vox ἄνθρωπον, aut *homo*, aliud quid denotare ſupponeretur, præter *ideam* iſtam, quam homines vulgo, ſe voci iſti ſubjicere ajunt.

§. XVIII.

§. XVIII.

V. G. quando uſurpantur pro ſubſtantiarum eſſentiis realibus.

Fateor equidem, nomina ſubſtantiarum majores longe commoditates in ſe eſſe habitura, atque propoſitionum clariorem nobis evaſuram veritatem, ſi *ſubſtantiarum* eſſentiæ reales ipſæ eſſent *ideæ*; quas in mente noſtra habemus, vocibuſque iſtis ſignamus, Atque ex realium iſtiuſmodi eſſentiarum defectu eſt, cur verbis, quibus in ſermonis communicatione aut in ſcriptis utimur, tam parum admodum cognitionis aut certitudinis acquiratur. Ideoque mens, ut, quoad ejus fieri poteſt, huic imperfectioni medeatur, ea ad rem ſignandam, reali iſta eſſentia præditam, tacita quadam ſuppoſitione, juxta adhibet, ac ſi propius eo pacto ad eam accederet. Etſi enim vox *homo* aut *aurum*, nihil revera ſignificet, præter complicatam proprietatum *ideam*, ſimul in uno ſubſtantiarum genere junctarum: vix tamen ullus erit, qui, vocibus iis quando utitur, non ſæpius ſupponat, ſingula iſta nomina rem denotare, præditam reali eſſentia, quæ fons eſt & origo proprietatum iſtarum. Hoc vero tantum abeſt, ut medeatur huic vitio, ut contra, manifeſto quodam abuſu, verborum noſtrorum imperfectionem augeat; quando nempe ea in rei locum ſubſtituimus, cujus, cum *ideam* noſtram complicatam haud ingrediatur nomen, a nobis uſurpatum, neutiquam ſignum eſſe poteſt (55).

§. XIX.

(55) *Qualitates adpellari, quæ* Ποιότητας *Græci vocant: quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed philoſophorum, atque id in multis. Dialecticorum vero verba nulla ſunt pubblica: ſuis utuntur; & id quidem commune eſt fere omnium artium* (V. Cicer. Acad. quæſt. lib. Cap. VII.)

§. XIX.

Hinc putamus, mutatis ideis quibuſdam in ſubſtantiis, ſpeciem non ſemper mutari.

HInc liquet, cur *Modis in mixtis*, ſi quæ, *idearum*, e quibus complicata coagmentatur, prætermittantur, aut immutentur, res alia fieri, & diverſæ ſpeciei eſſe dicatur, ut patet in vocibus iſtis Anglicis *Chance-medly*, (cum quis caſu alium interfecit) *Man-ſlaughter*, (cum quis laceſſitus ab alio eum, ſe defendendo, interficit) *Murther*, (cum quis ſanguinis plane reus eſt) *Parricide*, (parricidium), &c. Ratio eſt, quoniam *idea* complicata, nomine iſto notata, tam realis eſt, quam nominalis eſſentia; neque nomen iſtud ad aliam quandam eſſentiam clanculum refertur. In ſubſtantiis ſecus ſe res habet. Etſi enim in complicatam auri *ideam* id nonnunquam ab uno inſeritur, quod omittitur ab alio; & vice verſa: Homines tamen haud vulgo cenſent, ſpeciem propterea immutari: quoniam homines mente clanculum nomen illud referunt ad eſſentiam immutabilem entis realis, e quo omnes iſtæ proprietates manant. Qui ad complexam auri *ideam*, fixitatem addit, aut ſubtilitatem in *Aq. Regia*, prius ab eo prætermiſſam, haud ſpeciem immutare, verum alterius additione, in *rerum natura* ſemper exiſtentis, *ideam* abſolutiorem & perfectiorem reddere cenſetur. Hoc vero non efficit, ut res faciliorem, verum difficiliorem longe cognitionem habeat. Dum enim clanculum ita refertur ad realem eſſentiam ſpeciei iſtius corporis, fit, ut vox *Aurum* (quæ quoniam pro *idearum* ſimplicium magis minuſve completa comprehenſione ſumitur, id genus corporum in communi ſermone apte ſatis deſignat) cum pro re uſurpetur, cujus *ideam* nullam habemus, nihil omnino ſignificet, quandocunque corpus illud abeſt. Utcunque enim homi-

mines idem eſſe cenſeant, de *Auro* nomine, & de portione corporis iſtius, auri nempe bracteola ante oculos poſita, argumentari; rem tamen iſtam diligenter expendentibus diverſum longe videbitur, li in ſermone neceſſum habemus nomen in rei ipſius locum ſubſtituere.

§. XX.

Cauſa hujus abuſus, quod ſupponant, naturæ operationem regularem & uniuſmodi eſſe.

HOmines, ut nomina pro realibus *ſpecierum* eſſentiis ſubſtituant, illud, opinor, inducit, quod putent, naturam, in rerum productione, regularem ſemper & æquabilem curſum tenere, atque ſpecierum fines ita terminare, ut eandem realem conſtitutionem internam ſingulis iſtis Individuis impertiatur, quæ nos ſub uno nomine communi complectimur. Qui autem varias illarum qualitates intuentur, extra dubium ferme habent, plurima individua, eodem nomine notata, interiori conſtitutione non minus a ſe invicem diſcrepare, quam quædam ex iis, quæ ſub diverſis nominibus ſpecificis collocantur. *Suppoſitio* tamen *iſta, quod eadem plane conſtitutio interna* cum eodem nomine *ſpecifico ſemper conjuncta ſit, efficit, ut homines inconſulte nimis ac temere nomina iſta ſumant pro ſignis realium iſtarum eſſentiarum;* etiamſi nihil revera ſignificent præter *ideas* complexas in illorum animis, a quibus tunc uſurpantur. Quare cum rem unam ſignificent, & pro alia ſupponantur, fieri nequit, quin ita uſurpata multum pariant ambiguitatis in ſermone hominum; illorum præſertim, qui iis valde aſſentiuntur, quæ tradita ſunt de *formis ſubſtantialibus*, per quas rerum ſpecies determinari & a ſe invicem ſecerni ſibi perſuaſum habent.

§. XXI.

§. XXI.

Abuſus hic duos falſos conceptûs in ſe continet.

QUantumvis vero abſonum abſurdumque ſit, nomina pro *ideis*, quas non habemus, vel (quod idem eſt) pro eſſentiis ignotis uſurpare, quod plane eſt, ea ſigna efficere nihil omnino ſignantia; hoc tamen nihil communius & pervagatius eſſe, cuivis perſpicuum erit, qui, quas ſententias homines verbis illigent, animo pauliſper contemplabitur. Cum quis interrogat, utrum res iſta, quæ ob oculos eſt, (Papio, puta, aut fœtus monſtruoſus), homo ſit, nec ne; ſtatim patet, quæſtionem non eſſe, utrum particularis res iſta *ideæ*, quam habet, complexæ, & quam hominis nomine exprimit reſpondeat, nec ne: verum utrum realem in ſe eſſentiam habet generis cujuſdam rerum, quas *hominis* nomine denotari putat. Quando nomina ſubſtantiarum ſequentibus his duobus modis uſurpantur, multa pro certis falſo ſumuntur.

Primo, putant, quaſdam eſſentias eſſe, quarum ad exemplum particulares res omnes fiant, & in *ſpecies* certas diſtinguantur. Proprium eſſe conſtitutionem rei cujuſque, per quam ſit id, quod eſt, & unde dependeant ejus qualitates, quæ incurrunt ſenſus, omnes extra dubium habent: puto tamen, ſupra oſtenſum eſſe, non hanc, *ſpecierum* diſtinctionem, prout a nobis ſtatuuntur, nec nominum terminos, conſtituere.

Secundo, hinc tacite etiam innuitur, nos harum eſſentiarum propoſitarum habere *ideas*. Cur alioquin quæremus, utrum in hac an illa re vera ſit eſſentia *ſpeciei* hominis, niſi exiſtimaremus, iſtiuſmodi eſſentiam ſpecificam eſſe cognitam? Hoc vero plane falſum eſt: Quare cum nomina ita uſurpentur, ut *idearum* loco, quas non habemus, ponantur, hinc, in

in concertationibus noſtris circa eas, confuſionem, & in ſermonis communicatione incommoda multa oriantur, neceſſe eſt.

§. XXII.

Sexto, *cum putamus voces certam habere & perſpicuam ſignificationem.*

SExto. Alius eſt adhuc, etſi latius patens, minus tamen fortaſſe notatus, *verborum abuſus*; cum nimirum homines longo & diuturno uſu certas quaſdam *ideas* iis illigarunt, putant nomina cum *ſenſu iſto, quo ſumuntur vulgo, eam habere cognationem & connexionem neceſſariam*, ut perſuaſum ſibi habeant, fieri non poſſe, quin quilibet ſignificationem & ſenſum illorum ſtatim aſſequatur: Et proinde in verbis iſtis prolatis perinde eſſe acquieſcendum, ac ſi extra dubium eſſet, quod in communibus & pervagatis iſtis ſonis, eædem neceſſario loquentis & audientis ſint *ideæ*. Hinc quoties terminum aliquem in ſermone adhibent, rem ipſam, de qua ſermo eſt, ſe ob oculos ponere putant. Similiter, quoniam exiſtimant verba ab aliis prolata idem naturaliter, quod in ſuo ipſorum ſermone, ſignificare, nulla unquam opera ab iis ponitur, aut in ſuo explicando, aut in aliorum ſenſu clare intelligendo (56). Hinc ſtrepitus vulgo & verborum concertationes, ſine ullo ſcientiarum emolumento exoriuntur; dum verba, quæ revera nihil ſunt, niſi arbitraria & incerta ſigna *idea-*

rum

(56) Hic apprime convenit quod ait Lucretius

Omnia enim ſtolidi magis admirantur amantque
Inverſis, quæ ſub verbis latinantia cernunt:
Veraque conſtituunt, quæ belle tangere poſſunt
Aureis, & lepido quæ ſunt fucata colore.

rum ſuarum, notionum, de quibus inter omnes convenit, conſtantes & regulares notæ eſſe cenſentur. Nihilominus ægre ferunt, ſi quis in ſermone, aut (ubi ſæpiſſime omnino neceſſarium eſt) in diſputando, ab iis terminorum, quibus utuntur, ſignificationem nonnunquam ſciſcitetur: etiamſi ex iis altercationibus, quas in congreſſibus hominum indies videmus, conſtet, pauca admodum nomina eſſe *idearum* complexarum, quæ a duobus ſaltem hominibus adhibeantur ad eandem prorſus collectionem ſignificandam. Non facile ullum inveniri poterit verbum, quo hæc res non plane evinci poſſit. *Vita* vox eſt, qua in ſermone ulla eſt pervagatior. Quid ea ſignificet, ſi quis ab alio interrogaretur, ſe irrideri putaret. Si tamen in diſceptationem vocetur, utrum planta, quæ in ſemine jam formata eſt, vita ſit prædita; utrum pullus in ovo ante incubationem; aut utrum homo in defectione animi ſenſus omnis expers, in *vivis* adhuc ſit, nec ne: inveniet, claram diſtinctamque *ideam* non ſemper vocem iſtam, quæ quotidiano eſt in uſu, comitari. Sunt equidem in animis hominum craſſi & confuſi quidam conceptus, quos per voces, in lingua vernacula uſitatiſſimas, vulgo exprimunt, hoc in familiari colloquio & vitæ negotiis ſufficit & tolerari poteſt: non autem in diſquiſitionibus philoſophicis. De ſcientiis & rerum veritate quando diſceptatur, claræ & determinatæ *ideæ* neceſſario adhibendæ ſunt, & licet importuna illorum ignorantia, qui, quid alii dicant, ſe intelligere non prius fatentur, quam termini explicentur, æque exſibilanda ſit, ac intempeſtivus & nimis curioſus illorum Criticiſmus, qui alios in verborum uſu, a quibus recepta ſunt, corrigendos putant; attamen cum veritatis ſcientiæ ratio illud poſtulat, haud abſurdum puto, ſi quis flagitaverit, ut voces obſcuræ definitione quadam explicentur: Nec video, cur quenquam pudeat fateri ſe ignorare, quo ſenſu voces ab

aliis

aliis uſurpentur, cum, niſi ab aliis edoctus fuerit, id nullo modo ſcire poſſit. Abuſus hic, qui exinde oritur, quod, vocabulorum ſignificationem inveſtigantes, aliorum opiniones ſequamur, non alibi latius, aut pejori cum effectu pervagatus eſt, quam inter viros literatos. Multiplices iſtæ & pertinaces concertationes in diſputando, quæ in Mundo hoc Intellectuali omnia propemodum permiſcuerunt, inde fere naſcuntur, quod vocibus haud recte utimur. Etſi enim communis opinio ſit, admodum diverſas & inter ſe pugnantes ſententias, in tot numero libris atque ingenti iſta controverſiarum varietate, quibus gens humana in partes contrarias ſcinditur, contineri; revera tamen in ſplendidis iſtis diſputationibus, inter viros eruditos agitatis, vix aliud quippiam reperio, præter inanes verborum concertationes. Puto enim eos, qui, miſſis terminis, ad res ipſas attendunt, & quibus id perſpectum eſt, de quo cogitant, unum idemque ſemper cogitare; licet diverſis fortaſſe ſtudiis incendantur.

§. XXIII.

Fines ſermonis; Primus eſt, ideas noſtras cum aliis communicare.

UT breviter, omnia dicam; cum *ſermonis*, *in noſtris congreſſionibus cum aliis*, *fines* præcipue tres ſint: *Primo*, ut homines cogitationes aut *ideas* ſuas cum aliis *communicent*: *Secundo*, ut, quoad ejus fieri poteſt, expedite & perfacile illud fiat: *Tertio*, ut per illud medium rerum cognitionem nanciſcamur; in horum aliquo ſi forte claudicat, abuſum aliquem, aut defectum linguæ ineſſe, fatendum eſt.

Primo, Voces primario fine excidunt, nec unius *ideas* alteri conſpiciendas exhibent: *Primo*, cum homines nomina ſermonibus uſurpant, ſine claris & di-

ſtin-

ſtinctis in animo *ideis*, quarum ſigna ſunt; *Secundo*, cum nomina in lingua aliqua communiter recepta *ideis* imponunt, quibus in linguæ iſtius uſu communi haud tribuuntur; *Tertio*, cum ambigue uſurpantur, adeo, ut nunc unam, mox aliam *ideam* denotent.

§. XXIV.

Secundus eſt prompte illud celeriterque facere.

SEcundo, homines cogitationes ſuas tam celeriter facileque adeo quam fieri poteſt, cum aliis communicant, complexas quando *ideas* habent, ſine illarum nominibus diſtinctis. Hoc nonnunquam e linguæ ipſius vitio accidit, in qua ſonus nondum inventus eſt ad rem iſtam ſignificandam: nonnunquam vitio hominis, quem *ideæ* nomen adhuc latet, quam alteri patefacere vellet.

§. XXV.

Tertius eſt, rerum cognitionem promovere.

TErtio, Nulla rerum cognitio vocibus ad animum defertur quando *ideæ* rerum veritati non reſpondent. Etiamſi defectus hic naſcatur ex *ideis* noſtris, quæ ad rerum naturam minus accomodatæ ſunt, quam per attentionem, ſtudium, & animi cogitationem fieri poteſt; tamen ad voces etiam pertinet, iis quando utimur pro notis entium realium, quæ in rerum natura nunquam exiſtebant.

§. XXVI.

§. XXVI.

Quomodo voces in omnibus hiſce vacillant.

PRimo, qui in lingua aliqua vocibus utitur, diſtinctis ſine ideis in animo, quoties eas in ſermones adhibet, toties ſonos tantum inanes fundit; & ſi vel maxime quiſpiam vir doctus, ideo, quod libros terminis referſerit perobſcuris & difficilibus, quique in eruditorum ſcriptis ſæpius occurrunt, ſingularem præ ſe tuliſſe ſcientiam putaret, non tamen eo pacto rerum cognitionem magis aſſequitur, quam is in eruditione proficeret, qui librorum, quos habet in Muſæo, interiorem materiam & eruditionem negligens, in titulis tantum evolvendis operam poneret. Ejuſmodi enim voces omnes, utcunque in quodam tractatu collocatæ fuerint juxta regularum Grammaticalium aptam conſtructionem, & ornatam ſententiarum concinnitatem, tamen nil niſi ſoni inanes ſunt (57).

§. XXVII. *Secundo*, ſi quis complexas habet *ideas*, ſine illarum nominibus haud is meliori loco eſt, quam Bibliopola, cujus in taberna libraria ingens eſt librorum multitudo, quos titulorum expertes, nec in ordinem redactos, Bibliopegus nondum integumentis circumdedit; & quos proinde aliis non niſi ſolutas

 pa-

(57) Mirum eſt, quod magis ad terminos quam ad conceptus attendatur. Opera quæ præciſione, ac enodatis ideis in lucem eduntur, utplurimum non placent: quæ mirificis verbis, ac contradictionibus plena ſunt contrarie alliciunt animum, & pro raris tenentur. In mentem mihi venit quod nuper audivi de opere in quo, methodo mathematico conſcripto, omnia erant definita, nec quid non demonſtratum in eo erat relictum; nimirum inter *rara, magnaque pretioſa, vilia nonnulla extare*: pro vilibus intelligebantur definitiones, diſtinctiones, uno verbo, rerum idearumque præciſiones, ut mathematicorum more fieri convenit.

paginas exhibendo, & illorum numerum ineundo, cognitos reddere poteſt. Hinc ejuſmodi homo in ſermone maxime impeditur, quo minus prompte animi ſenſu exponat, quod vocabula deſunt ad complexas *ideas* ſuas cum aliis communicandas; has itaque deſignat, ſimplices tantum enumerando, e quibus conflatæ ſunt; atque ita ſæpius neceſſum habet, illud viginti verborum circuitu exprimere, quod alius unico tantum verbo enunciat.

§. XXVIII. *Tertio*, Qui non uno eodemque ſigno ſemper utitur ad unam eandemque denotandam *ideam*, verum voces eaſdem nunc hac, nunc illa ſignificatione accipit, tam in Scholis, quam colloquiis hominum æque candidus ac ſincerus homo cenſendus eſt, ac is, qui in foro merces diverſas ſub uno nomine venderet.

§. XXIX. *Quarto*, qui linguæ cujuſdam voces aliis applicat *ideis*, quam communis gentis illius fert conſuetudo, etſi fortaſſe clara ſatis veritatis lux ſuo ipſius animo oboriatur, non tamen aliis, ſine terminorum definitione, hanc veritatem impertire poterit. Utcunque enim ſoni quotidiano ſint in uſu, & ad aures illorum, qui iis aſſuefacti ſunt, aditum facile reperiant; cum tamen in aliarum *idearum* locum ſubſtituantur, quam vulgo ſolent in audientium animis excitare, loquentis cogitationes aliis aperire nequeunt.

§. XXX. *Quinto*, Qui ſubſtantiarum *ideas* habet, quæ nunquam extitere, vel nullam cum rebus cognationem habent, iis nihilominus certa & definita nomina imponit; iis, licet ſcripta ſua, & fortaſſe aliorum intellectum caſſis, & inanibus figmentis animi ſui referciat, nullos tamen in ſtudiis veræ cognitionis & ſcientiæ progreſſus eo pacto facturus eſt.

§. XXXI. Qui nominibus utitur ſine *ideis*, ejus verbis, quæ ſoni tantum inanes ſunt, ſententia nulla ſubeſt. Qui ſine nominibus illarum, complexas ha-

habet *ideas*, huic non prompta & parata ſatis eſt in loquendo celeritas, verum neceſſe habet, ut periphraſi utatur. Qui verbis non eodem ſenſu conſtanter utitur, quid dicat, alii vel non attendent, vel non intelligent. Qui nomina *ideis* adjungit, ſecus quam communi in uſu fieri ſolet, is emendatæ locutionis ignarus eſſe, atque effutire plane videtur: Et qui ſubſtantiarum ideas habet, rerum veritati non cognatas, hujus intellectum eo reſpectu veræ cognitionis ſupellectili & ſubſidiis carere, atque eorum loco *chimæris* repletum eſſe, puto.

§. XXXII.

Quomodo in ſubſtantiis.

IN notionibus noſtris circa ſubſtantias, in omnia hæc, quæ modo expoſui, incommoda facile incurrimus: *V. g.* 1. Qui verbo *Tarantula* utitur, ſine ulla ejus rei idea, quam hæc vox ſignificat, ſonum vocis ſundit literarum notis recte terminatum, nihil vero ſignificatem. 2. Qui in terra, recens inventa, in varia animalium & vegetabilium, prius ipſi cognitorum, genera incidit, illorum non minus veras, quam equi, aut cervi, *ideas* habere poſſit; de iis vero ſi loqui velit, id fieri non aliter poſſet, niſi per omnium partium deſcriptionem, uſque dum nomina didicerit, quæ apud indigenas in uſu ſunt, aut ipſe iis nova impoſuerit. 3. Qui per nomen *corpus* nonnunquam nudam extenſionem, alio autem tempore, extenſionem & ſoliditatem ſimul, denotabit, is loquendi modo ad decipiendum compoſito & plane ſophiſtico utetur. 4. Qui nomen *equi*, iſti *ideæ* tribuerit, quæ communi in uſu, *mulus* dicitur, is improprie loquetur, nec ab aliis intelligetur. 5. Qui, nomen *Centauri* verum aliquod ens deſignare, putat,

Digitized by Google

ſibimet imponit, atque voces pro rebus inſcius & imperitus uſurpat.

§. XXXIII.

Quomodo in Modis & Relationibus.

IN modis & Relationibus vulgo non niſi in quatuor priora vitia, aut incommoda labimur, *v.g.* Fieri poteſt, ut memoria comprehendam nomina Modorum, cujuſmodi eſt *gratitudo*, aut *charitas*, cum tamen nullæ in mente mea *ideæ* nominibus iſtis illigatæ ſint. 2. Nihil obſtat, quo minus *ideæ* ſint in animo, illarum nomine ignorato; *v. g.* poteſt mihi *idea* hominis obſervari, eo uſque bibentis: donec in facie novus color, atque in ipſo aliud ingenium eluxerit, donec oculi rubuerint, atque ipſe neque mente, neque lingua, neque pedibus conſtiterit, neſcienti tamen, id *ebrietatem* eſſe dicendam. 3. Fieri poteſt, ut quis *ideas* habeat virtutum, aut vitiorum, & illarum etiam nomina, qui tamen ea ad res notandas perperam adhibuerit: uti ſi quis *frugalitatis* nomen *ideæ* impoſuerit, quæ ab aliis dicitur *Avaritia*. 4. Poteſt quis in hominum iſtorum uſu varius eſſe & inconſtans, ut mox hujus, mox illius ideæ ſigna præſtent. 5. In Modis vero & Relationibus nequeunt *ideæ* eſſe, rerum exiſtentiæ non conſentaneæ: cum enim Modi complicatæ ſint *ideæ*, quas mens pro arbitrio ſuo finxit; cumque Relatio nihil niſi ratio contemplandi, aut res duas inter ſe comparandi, & per conſequens *idea* etiam ſit, quam mens fabricata eſt, inter *ideas* haſce & res in univerſo exiſtentes vix ulla repugnantia eſſe poteſt; cum non in mente ſint, ut res repræſentent, quæ regulari artificio factæ a natura ſunt, nec tanquam proprietates ab interna conſtitutione, aut ſubſtantiæ cujuſvis eſſen-

ſentia neceſſario manantes; verum tanquam exemplaria in memoria cuſtodita, ſimul cum nominibus annexis quibus actiones & relationes, quamprimum actu exiſtunt, denotandæ ſunt. Error vero hic vulgo naſcitur, quod conceptus noſtros falſis nominibus ſignamus; hinc fit, ut vocibus in ſenſu utentes ab eo, quem aliis iiſdem vocibus aſſignant, plane diverſo, non intelligamur ab audientibus, qui non *ideas*, æque ac nomina, falſas habere, putant. Sin vero pugnantes *ideas*, in Modorum mixtorum aut Relationum *ideas* noſtras congeramus, hoc modo intellectum chimæris confundimus; tales enim *ideæ* nequeunt in mente exiſtere; tantum abeſt, ut ens aliquod reale denotare poſſint.

§. XXXIV.

Septimo, figurata locutio ſermonis etiam abuſus.

QUoniam eorum, in quibus magna vis atque facultas ingenii elucet, quique in rebus excogitandis acuti & feſtivi ſunt, conſuetudine hominеs plerumque magis oblectantur atque ducuntur, quam quidem illorum, quos ſiccæ veritatis, & veræ cognitionis ſtudium, ſine ſplendore, feſtivitate & concinnitudine aliqua commendat; vix quiſquam mihi hoc largietur, ſi dixero, eos in ſermonem abuſus & imperfectionem invehere, qui, alio atque alio modo alludentes, multas ſimilitudines afferunt, atque coloribus & figuris Rhetoricis ſermonem exornant. Fateor equidem in iis ſermonibus, in quibus delectatio magis quæritur, quam veritas, aut rerum cognitio, eum vix culpandum eſſe, qui verborum ejuſmodi ornatum ſuæ orationi conciliat. Si vero, quod res eſt, & ad varitatem, loqui velimus, fatendum eſt, Artem Rhetoricam univerſam, præter ordinem & perſpicuitatem, elaboratam concinnitatem omnem, & ſchemata iſta,

quibus in verbis pingendis, & illuminandis ſententiis artificioſa eloquentia utitur, ad nullam rem utilia eſſe, niſi ad falſas ideas in animo imprimendas, ad concitandos affectus, & per conſequens ad mentis aciem a veritate abducendam; id quod plane dolus eſt malus. Utcunque igitur hæc omnia artem oratoriam profitentibus laudanda in iis concionibus, & approbanda videantur, in quibus populariter loquuntur; at certe ubi vivendi præcepta traduntur, ubi veritas ſpectatur, & rerum cognitio, ibi non vitanda ſolum, verum in vitiis etiam habenda ſunt, vel linguæ ipſius vel ſermocinantis. Quænam ſchemata iſta ſint, & quam varia, hic commemorare, noſtri inſtituti non eſt; hæc qui ſcire cupiunt, velim, adeant libros Rhetoricos, quibus Literaria Reſpublica refertiſſima eſt. Hic vero annotandum eſt, quam parum ſolliciti de veritatis tuendæ, & ſcientiæ excolendæ ſtudio ſint homines, cum ars illa, qua nos ad præſtigias & fallacias inſtruimur, aliis excellere & palma digna eſſe, cenſeatur. Exinde etiam apparet, quam jucundum ſit hominibus, alios decipere, & decipi, cum Rhetorica, inſigne illud erroris dolique inſtrumentum, magno ſemper in honore fuerit, atque ſummi Doctores præcepta dicendi publice tradiderint. Hæc quidem ita vera ſunt, ut nullus dubitem, quin homines me non arrogantiæ tantum, verum inhumanitatis etiam propterea ſint accuſaturi, quod eam artem ita inſectari auſim. *Eloquentiæ*, uti mulieribus formoſis, tanta venuſtas & pulchritudo ineſt, ut, in eam ſi quis inveheretur, tolerari non poſſit: Et quidem fallax & fucoſum hoc dicendi artificium nequicquam exagitamus, quamdiu decipi jucundum eſt (58).

CAP.

(58) Ut omnia colligamus maiori, qua poſſumus, brevitate, ac perſpicuitate, dicimus I. Quod nos vocibus utimur tantum ad con-

C A P. XI.

Remedia imperfectionis & Abuſus Verborum .

§. I.

Operæ pretium eſt remedia exquirere.

IMperfectiones ſermoni natura ſua conjunctas, atque aliunde accerſitas ſupra fuſius explicavi; quoniam itaque ſermo vinculum, quod hominum inter homines ſocietatem devincit, & alveus eſt, per quem rerum cognitio ab aliis ad alios manat, operæ pretium erit, circumſpicere ad hæc *incommoda*, quænam *remedia* adhiberi poſſint.

§. II.

---

oonceptum noſtrum indicandum, per conſequens voces tanquam ſigna habentur (37. *tom. 1.*), quapropter cum ſignum debeat in animo excitare præter ſuam, adhuc ideam alterius rei, ſic voces, hac ratione adhibitæ *termini* dicuntur.

II. Adnotandum, quod juxta nonnullos diſtinguntur *verba*, & *voces*, illa ſunt ſigna quæ ſono articulato proferuntur, & quæ in ſcriptis reperiuntur; voces vero ad ſonos actu prolatos tantum reducuntur; eſt ergo differentia non in conceptibus, ſed in modo, quo conceptus exprimuntur.

III. Cum Nos verbis utamur, ut aliis mentem noſtram explicemus, oportet conceptus noſtros ita verbis conjungere, ut ab aliis, quibus loquimur, intelligamur, per conſequens, debemus cum conceptibus alterius & verbis verba noſtra conjungere. Si ergo Gallicis loquimur idiomate Italico, quod non eſt ab iisdem captum, vel peculiaribus verbis nobis tantum cognitis, certum eſt, orationem noſtram fruſtraneam eſſe, & voces a nobis adhibitæ *mente caſſæ*, vel *ſoni ſine mente* dicuntur (51).

IV. Ut ergo mentem noſtram recte explicemus, termini obſcuri

§. II.

Non ea facile inveniuntur.

HAud me latet, quam ineptum eſſet, ſi quis *linguas* omnes ubique terrarum, aut eam quidem, quæ intra patriam ſuam in uſu eſt, a ſe emendari poſſe, putaret. Qui volunt, voces omnes ab hominibus in eodem ſemper ſenſu, & non niſi pro claris, diſtinctis, & uniuſmodi *ideis* uſurpari, perinde

ſcuri eliminandi ſunt. Hæc obſcuritas duobus cauſis oritur 1. ratione ſcribentis, vel loquentis. 2. Ratione legentis, vel audientis. 1. Si dicam *ferrum aureum*, vel *lignum minerale*: ex eo quia non eſt conceptus qui his verbis inſit. 2. Si non mathematicis de rebus mathematicis ſcribam, vel loquar, iſti me non intelligunt, non mei defectu, ſed ipſorum (*V. Med. de pulchr. tom.* 2 *pag.* 115.).

V. Cavendum pariter ne ſub una voce plures comprehendamus conceptus, nam aliter qui illam audiunt, vel legunt poſſunt ad alium conceptum referre vocem, quam uni nos tribuimus, & aliud comprehendere; & ex eo quia plures ſunt voces quæ ambiguæ eſſe poſſunt, debent præſcribi, vel quodam modo determinari, ut ex vagis atque indeterminatis, determinatæ ac fixæ evadant: Scilicet reſpondeant ſemper ad invariatam notionem.

VI. Termini *equivoci* dicuntur quoque *homonymi*, & quibus ſunt fixi ſignificatus, *univocis* dictis, opponuntur: veteres vocabant terminum univocum *univocum univocatum*, & terminos equivocos *equivoca equivocata*.

VII. Cum de vocibus a veteribus adhibitis hic per accidens dixerimus, haud inutile puto hac de re nonnulla alia referre. Veteres quoque dicebant terminum *analogum*, quem, ajebant, obtinere locum inter *univocum*, & *equivocum* terminum. Dividebant poſtea in analogum *proportionis*, & analogum *attributionis*. Illud eſt cum uni competit primario, alteri ſecundario *ex. gr. ridere*, competit primario homini, ſecundario, atque improprie, propter quandam ſimilitudinem, prato ac tempeſtati: *prata rident*, *Cælum ridens* ſæpeſæpius auditis, per conſequens ridens eſt analogum *proportionis*, Vocabant poſtea analogum *attribu-*

tio-

de faciunt, ac ſi requirerent, ut omnes iiſdem notionibus imbuti eſſent. nec de rebus verba facerent, niſi quarum diſtinctas habent claraſque *ideas*; hoc vero a nemine ſperandum eſt, niſi qui ea eſt opinionis levitate, ut perſuaſum ſibi habeat, ſe poſſe homines inducere, ut admodum intelligentes, aut taciturni ſint. Atque is rerum valde imperitus eſt, qui linguæ volubilitatem actis tantum ingenii ſociam, & comitem eſſe putat; hominesque magis minuſve intellectu pollere, prout plus minuſve loquuntur (59).

§. III.

Hoc in Philoſophia uſum habet.

ETiamſi in mercatu & nundinis, atque in uſu vitaque communi, priſtina loquendi formula hominibus permittenda eſt, etſi, qui in Scholis decertant, Logici ægre fortaſſe ferrent, ſi qui brevia diſputandi compendia monſtrarent; tamen, illos decet, qui de *veritate* ſe ſollicitos eſſe profitentur, circumſpi-

---

tionis, quando nomen eſt comune, ſed ratio juxta illud nomen diverſa eſt: hujus naturæ eſt terminus *ſanus*, diverſa ratione pluribus competit, *ex. gr.* animalibus urinis &c. urinæ dicuntur ſanæ, ut ſana animalia dicuntur. Præterea erant termini *paronymi*, juxta veteres logicos definiebantur, per eos qui denominationem habent ab aliquo, a quo differunt caſu " ut *juſtus* a juſtitia; hi tres termini *doctrinam antipredicamentorum*, quam ajebant, conſtituunt. Accedit & altera claſſis in qua reperiuntur *termini univerſales* & *ſingulares*: Terminus univerſalis eſt, qui univerſalem notionem exhibet, ut *Planta*, *Animal*, & terminus *communis* quoque dicitur; *ſingularis* poſtea, qui ſingularem, ac individualem notionem excitat, ut *Mimoſa*, *Petrus* &c. ex hac terminorum claſſe veteres doctrinam *prædicabilium* conſtituebant. Erat adhuc tertia claſſis in qua collocabant terminos *prædicamentales*, & *traſcendentales*; at de hoc ſatis.

(59) *V. adn.* 27. *tom.* 2.

ſpicere, quo pacto obſcuram, ancipitem, & æquivocam omnem poteſtatem, & quibus voces ſunt obnoxiæ, e verbis movere poſſint.

§. IV.

Vocabulorum abuſus cauſa eſt errorum.

QUi enim animo intuebitur incredibilem iſtam *mentis cæcitatem* atque obſcuritatem, falſas opiniones & confuſionem, quæ, *ex vocabulorum uſu natæ*, *terrarum orbem oppleverunt*, dubium habebit, utrum per ſermonem, prout homines eum hactenus uſurparunt, ſcientiis adjumenta an incommoda majora importata fuerint. Quot ſunt, qui de rebus quando cogitare volunt, animos ad voces tantum appellunt, præſertim quando circa res morales verſantur? An mirum eſt itaque, ſi altercationes ejuſmodi, circa ſonos propemodum, quibus *ideæ* annexæ, confuſæ admodum, ambiguæ, aut nullæ omnino ſunt, nihil pariant præter errorem & obſcuritatem, nec ullam veram & rationi obtemperantem producant cognitionem (60).

§. V.

Obſtinationes.

INcommodum hoc ex inepto verborum uſu illi furunt, qui aliquid ſecum contemplantur: quæ tamen ex eo in cœtus colloquia, & diſceptationes hominum, vitia redundant, manifeſtiora longe ſunt. Cum enim ſermo, ut dixi, alveus iſte ſit, per quem inve-

(60) Hac de re videri poteſt *Gottſhedius* (*Diſſert. de fonte vitiorum human. p. 8. Lipſ. hab.* 1724.)

inventa, diſquiſitiones, atque rerum cognitio deferuntur & communicantur cum aliis, eo ſi quis abutitur, etſi haud ſcientiarum fontes inquinat, qui poſiti ſunt in rebus ipſis; tamen, quantum in ſe eſt, canales atque aditus omnes intercludit, per quos ad vitæ commoditatem & uſus hominum manare ſolent. Qui vocibus utitur, ſine certa ſignificatione, ſemet atque alios in errorem ducit. Atque ſi conſulto quis & cogitato illud facit, is tanquam infenſus veritati atque inimicus cognitioni exagitandus eſt. Proinde non eſt, cur nobis illud mirum videri poſſit, quod tot obſcuri & æquivoci termini, tot futiles & inanes locutiones, quæ viros, imprimis acutos, doctores aut magis Orthodoxos reddere non poſſunt, in artes & ſcientias omnes irrepſerint; cum ſubtilitas in iis, qui docendæ & tuendæ veritatis onus atque munus ſuſceperunt, virtutis nomen obtinuerit: cujus virtutis, quæ utplurimum in eo poſita eſt, quod contorta & aculeata quædam *ſophiſmata* aut *fallaces termini* in diſputationibus adhibentur, non alius eſt uſus, niſi ut *homines* ignorantia inflatos magis, & erroribus obſtinatiores reddat.

§. VI.

Diſceptationes.

SI modo controverſiarum libros perſcrutemur, cujuſcunque ſint generis, videbimus, ex obſcuris ambiguis, aut æquivocis terminis, nihil præter verborum concertationes, ſine ullo ſcientiarum fructu, oriri. Si enim inter loquentem & audientem haud de notione convenit, quæ voce denotatur, non de rebus, verum de vocibus tantum diſceptatur. Vocabulum quoties uſurpatur, cujus de ſignificatione haud conſentiunt, intellectui nihil objicitur, de

de quo conveniant, præter vocis ſonum, res enim in animis, voces ſignatas, diverſas habent.

§. VII.

Exemplum petitur a veſpertilione *& ave.*

SI quæritur, utrum *Veſpertilio avis* ſit, nec ne, non quæſtio ita inſtituitur, utrum veſpertilio res alia ſit, aut qualitatibus aliis prædita, quam revera eſt; valde enim abſurdum eſſet, illud in dubium vocare. Quæſtio autem eſt, 1. Aut inter eos, qui fatentur, ſe non niſi imperfectas habere *ideas* unius aut utriuſque generis entium, quæ voces iſtæ denotant; tunc revera quæſtio oritur de natura *avis* aut *veſpertilionis*, ut *ideæ* illorum, imperfectæ adhuc, completæ reddantur, quærendo, utrum omnes *ideæ* ſimplices, quibus in unum congeſtis, nomen *avis* imponitur, in *veſpertilione* reperiantur: Hæc autem quæſtio non eſt hominum diſputantium, ſed eorum, qui nihil affirmant, ſed tantum exquirunt & examinant rerum veritatem: Aut, 2. Quæſtio eſt inter diſputantes; quorum unus affirmat, alter negat, *veſpertilionem* eſſe *avem*: Tunc quæſtio ſignificationem tantum ſpectat unius, aut utriuſque vocis; quoniam enim voces iſtæ non earundem *idearum* complexarum ſigna ſunt in utroque, ſit, ut unus affirmet, alter neget, duo iſta nomina de ſe invicem prædicari poſſe. Si nominum iſtorum ſignificatio inter eos conſtaret, fieri non poſſet, ut res in diſcrepatione verſarentur: ſtatim enim perſpicuum foret, utrum ſimplices *ideæ* omnes, quas vox generalis *avis* ſub ſe complectitur, in complexa *idea veſpertilionis* reperiendæ eſſent, nec ne, in eo caſu haud amplius ambigeretur, utrum *veſpertilio avis* eſſet, an non. Hinc vellem homines animo ſuo conſiderarent, an

an non maxima pars diſputantium de verborum ſignificatione litigent, & ſi termini definirentur, & in ſignificatione (quod fieri neceſſe eſt, ubi aliquod omnino ſignificant) ad ſimplices *ideas* revocati eſſent, diſputationes iſtæ omnes ſtatim evaneſcerent. Aliis itaque judicandum relinquo, in diſputatione quæ eruditione contineatur, & quam bene iſti ſuis aut aliorum commodis & rationibus inſerviant, qui ſonos inanes venditantes, ætatem in diſputationibus conterunt. Cum quis ex iſtis pluribus terminos amphibolia & obſcuritate nudaverit, quibus involuti ſunt, (ad quod non aliud requiritur, quam ut nominibus, quibus utitur, claras & diſtinctas notiones ſubjiciat) tunc is mihi videbitur ſcientiæ, veritatis, & pacis gratia contendere, nec gloriam inanem ambitioſe aucupari, aut partium ſtudia ſequi.

§. VIII.

Primum remedium, vocem nullam ſine idea uſurpare.

QUo *melius vitiis hiſce & ſermonis incommodis* mederi poſſimus, regulæ ſequentes utiles videntur, ad quas oratio dirigatur, donec alicui, in quo majus eſt acumen ingenii viſum fuerit argumentum hoc fuſius pertractare.

Primo, verba non ſunt uſurpanda ſine certa ſignificatione, neque nomina ſine *ideis* quarum ſigna ſunt, Regula hæc non iis ſupervacanea videbitur, qui ad has voces, *inſtinctum*, *ſympathiam*, *anthipathiam*, atque id genus alias, animum attendant, quæ quidem in aliorum ſermone crebro adeo uſurpantur, ut probabile ſit, eos, qui his vocibus utuntur, nullas plane *ideas* de iis habere, ſed eas pro ſonis uſurpare, ut iis argumentorum loco data occaſione uti poſſint. Haud perinde intelligi vellem, quaſi dicerem, vocabula

bula hæc non propriam habere & certam ſignificationem, in qua recte iis uti poſſimus; at quoniam inter nullas *ideas* & voces naturalis aliqua connexio eſt, nihil obſtat, quo minus iſtæ, & voces aliæ quævis memoriæ tradantur, & ab hominibus in quotidiano colloquio, aut ſcriptis uſurpentur, ſine ullis tamen in mente *ideis*, quarum notæ eſſe debent; quod ſi ſic, neceſſe eſt, ut ipſimet eorum, quæ loquuntur, nullam habeant intelligentiam.

§. IX.

Secundum, curare, ut ideæ *diſtinctæ iis annectantur in Modis.*

SEcundo. Haud ſatis eſt, *ut voces ſigna ſint idearum*, verum neceſſe eſt etiam, ut *ideæ*, iis annexæ, ſi ſunt ſimplices, *claræ* ſint & *diſtinctæ*: ſi vero ideæ complexæ ſunt, ut ſint determinatæ, hoc eſt, quando particularium, e quibus iſte complexus, aut, ſi quæ illarum denuo complicentur, omnium *idearum*, e quibus ſingulæ coagmentantur, cognitionem aſſequimur, uſque dum ad ſimplices deventum fuerit. Hoc in Modorum, moralium præſertim, nominibus perneceſſarium eſt; quæ, quoniam in natura objecta non habent, e quibus ideæ, tanquam ab archetypis ſuis, deſumantur, ambigua & confuſa eſſe ſolent. *Juſtitia* vox eſt, cui, licet in ore ſit omnium, utplurimum ſoluta valde & incerta ſignificatio ſubeſt: nec aliter ſe res habere poteſt, donec quis partes, e quibus *idea* iſta conflata eſt, mente diſtincte comprehendat. Non dico analyſin hanc ſuſe ſemper adhibendam eſſe, quotieſcunque vocis juſtitiæ mentio ſit hoc ſaltem, neceſſarium eſt, ut nominis iſtius ſignificationem eo uſque diligenter expendat, donec *ideæ* omnes animo clare adeo obverſantur, ut, quando velit, id fieri poſſit. Si quis, *alium*, *aut bona ejus ita*

ita tractare, ut leges jubent, Juſtitiæ ideam complexam eſſe ſtatuerit, *juſtitiæ* ipſius *idea*, quam habet, neceſſario confuſa erit & imperfecta, ſi, quid ſit *Lex*, ipſe ignoraverit, cum Legis idea partem ideæ ejus complexam, quam de Juſtitia habet, efficiat. Hoc ſcio, operoſum valde & moleſtum videbitur; quare plerique omnes ſupervacaneum eſſe putabunt, complexas *ideas* Modorum mixtorum accurate adeo in animo affingere. Quamdiu illud non factum fuerit, haud mirum videri debet, ſi, ut in mentibus cæcitas, & confuſio, ita inter ſententias hominum plurimæ ſint controverſiæ.

§. X.

Ut diſtinctæ etiam & conformes ſint in ſubſtantiis.

IN *Subſtantiis* aliud quid requiritur, præter *ideas* diſtinctas, pro quibus nomina ſubſtituuntur; nam *neceſſe eſt, ut rebus etiam conformes ſint*, prout exiſtunt: de hoc vero fuſius mox dicendum erit. In diſquiſitionibus philoſophicis, & veri inveſtigatione accuratio hæc ſemper adhibenda eſt. Et licet perutile eſſet, ut manaret latius in ſermonem quotidianum, & vitæ negotia: puto tamen id ſperandum non eſſe. Notiones vulgares ad communem vitam & vulgarem intelligentiam maxime accommodatæ ſunt, & licet utraque confuſa ſint, in foro tamen & nundinis uſui ſunt. Mercatoribus & amatoribus; coquis & ſartoribus &c. voces in promtu ſunt, quibus negotia ſua efficiunt; inter Philoſophos & diſputantes haud ſecus ſe res haberet, ſi, quæ dicerent, ab aliis intelligi vellent (61).

(61) Philoſophi uſum loquendi diſtingunt in *Civilem* & *technicum*;

§. XI.

Tertio, *Proprietas*.

Tertio. Non ſufficit, ut *notiones*, quæ nominibus iſtis ſignantur, claræ ſint & diſtinctæ; verum, quantum id fieri poteſt, nomina *ideis* iiſdem tribuenda ſunt, *quibus uſus communis ea illigavit*. Vocabulis enim, in linguis præſertim ante conſtitutis, cum nemo tanquam privatis, atque ſuis uti poſſit, utpote communis ſunt menſura commercii & commutationis inter homines, nemini licentia permittenda eſt, notam, quam diuturnus uſus iis impreſſit, vel *ideas*, quibus annectuntur, pro arbitrio ſuo immutandi; aut, ſi neceſſitas id forte poſtulaverit, illud aliis aperire debet (62). Loquentis ſcopus ſemper eſt, aut eſſe debet, ut ab aliis intelligatur (63); hoc vero fieri nequit, niſi crebræ explicationes & quæſtiones interponantur, quæ continentem orationem admodum incommode interpellant, ſi quando uſum communem derelinquimus. Apte & proprie quando loquimur, cogitationes noſtræ in aliorum mentes facili & nullo negotio illabuntur; huic itaque ſtudio temporis aliquid impertiendum eſt, præcipue in nominibus rerum moralium, quorum germanus ſenſus ab iis addiſcendus eſt, qui ſcriptis & ſermonibus oſtendunt, ſe notionum perſpicui-

cum; primus eſt quando adhibemus voces in comuni ſermone ad commercia vitæque uſum receptas ab illis cum quibus ſumus in conſociatione conjuncti. Secundus quando adhibemus vocabula ad notiones cum aliis comunicandas in ſcientiis ac artibus.

(62) En ratio qua in ſcriptis non debent eſſe termini non bene definiti.

(63) Sic Cicero, *Semper autem in fide quid ſenſeris non quid dixeris cogitandum* (*de Off. lib.* [illegible]. *c. XIII.*

cuitate aliis antecellere; & ad eas exprimendas verba maxime dilucida eligere. Etſi, qui verbis hoc modo proprie, ſervato ſermonis idiomate, loquuntur, nonnunquam fortaſſe haud intelliguntur; tamen culpa utplurimum in eum rejicitur, qui linguæ, qua utitur, imperitus adeo eſt, ut, quod apte & proprie dicitur, prorſus ignoret (64).

§. XII.

Quarto, ut ſenſum ſuum aliis notum faciant.

QUarto. Quoniam uſus communis haud manifeſte adeo ſignificationem quamvis vocibus illigavit, ut, cujus rei nota ſint, homines ſtatim compertum habeant: quoniam inſuper homines, animum doctrina excolentes, *ideas* nanciſcuntur ab iis valde diſcrepantes, quæ vulgari & quotidiano ſunt in uſu, ad quas aut novæ voces procudendæ, (quod rariſſime faciunt, ne videantur novitate delectari), aut veteres nova ſignificatione uſurpandæ neceſſario ſunt. Servatis itaque prioribus regulis, ut vocum ſignificatio manifeſto comperta ſit, oportet nonnunquam *ſenſum illarum exponere*; ubicunque uſus communis effecit, ut ambiguus ſit & incertus; (ut fit in nominibus pleriſque complicatarum valde *notionum*); aut ubi in peculiari quodam ſenſu ab homine uſurpantur; aut in terminum, in quo maxima vis orationis, aut cardo rei verſatur, ambiguitas aliqua cadit.

(64) Antiquus Romanus ſuſtinebat, Tiberium cum tota ſua potentia verbum extraneum nequire Romanum reddere (*V. Dion. Caſſius lib. LIX. pag. 703. Edit. H. ſteph.*)

§. XIII.

Idque tribus modis.

QUemadmodum *ideæ*, quæ vocibus ſubjiciuntur, diverſorum ſunt generum: ita etiam alio atque alio modo explicantur. Etſi enim *propria vocabulorum ſignificatio* per definitionem optime explicari cenſetur; voces tamen quædam ſunt, quæ definitionem reſpuunt; quædam, quorum ſignificatio propria aliter aperiri nequit, quam per definitionem: aliæ, quæ definitionem partim aſpernari, partim requirere videntur prout in *idearum* ſimplicium, Modorum, & Subſtantiarum nominibus palam erit.

§. XIV.

Primo, in ideis ſimplicibus, per voces ſynonymas. aut rem ipſam indicando.

PRimo, cum quis ſimplicis cujuſdam *ideæ* nomine utitur, a quo periculum eſt, ne non intelligatur, aut homines in errorem rapiat, neceſſe habet, ſi modo probitatem, & ingenuitatem præ ſe ferre, & ad orationis ſcopum attendere velit, ut ſenſum iſtius aliis exponat. Hoc, ut oſtenſum eſt (*), per definitionem fieri nequit: quando itaque vox ſynonyma haud ſufficit, ad unam aliquam ex hiſce rationibus neceſſario recurrendum eſt. *Primo ſubjectum* tantum *indicando*, *in qua idea ſimplex reperitur*, ut nominis cognitio ab iis acquiratur, quibus ſubjectum illud, quatenus nomine iſto denotatur, notum eſt. Sic nimirum ſi ruſtico colorem iſtum notum facere velimus, quem *Fevillemorte* dicimus, ſatis erit dicere, co-

(*) Vid. Lib. III. Cap. IV. §. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

colorem eſſe foliorum exareſcentium *autumno* ab arboribus decidentium (65). *Secundo*, nominis ſignificatio ſimplicis cujuſdam *ideæ* tunc certiſſime innoteſcit, *quando ſubjectum illud ſenſibus objicitur*, quod *ideam iſtam actu in mente excitare poteſt*.

§. XV.

Secundo. in Modis mixtis per definitionem.

SEcundo, cum *Modi mixti*, præſertim, qui mores ſpectant, plerumque *idearum* complexus ſint, quas mens pro lubitu ſuo in unum congerit (66); & quarum in rerum natura haud exemplaria ſemper inveniuntur, non illarum, ſicut nominum, ſignificatio *idearum* ſimplicium, aliquali demonſtratione aperiri, perfecte vero & accurate definiri poteſt. Cum enim *idearum* diverſarum complexus ſint, quas mens humana, ſine reſpectu ad ullos archetypos, in unum colligavit, liberum & integrum eſt hominibus, ſi volunt tantum definitum *idearum* numerum ſcire, ex quibus congeries omnis contexitur, & proinde voces in certo ſenſu uſurpare, &, quoties opus fuerit, *ideas*, quarum ſigna ſunt, ſigillatim percenſere. Hoc ſi diligenter ſatis attenderemus, eos culpæ argueret, qui non ſatis curant, ut diſquiſitiones omnes circa res morales perſpicuæ ſint & diſtinctæ. Cum enim nominum Modorum mixtorum determinata ſignifica-

 tio,

(65) Videat lector an hæc debeat dici definitio. Definitio ſi recte cenſeo, *eſt notio rei diſtincta completa ſermone expreſſa*, ergo quando notas characteriſticas ſermone exprimimus alicujus rei, quarum ope definitum a cæteris internoſcitur, rem ipſam definimus.' Quis non videt quod *color exareſcentium* una peculiaris nota non ſit, ut & temporis, *autumni* puta, in quo decidere ſolent?

(66) *V. adn. 41. tom. 2.*

tio, vel, quod idem eſt, realis eſſentia ſpeciei uniuſcujuſque, ſciri poſſit, utpote qui non a natura, verum ab hominibus fiunt, non ſocordiæ tantum, verum pervicaciæ inſuper eſt, de rebus moralibus ambigue & obſcure loqui, atque levius hoc vitium eſſet in entium naturalium pertractatione, in quibus difficile eſt, ob rationem plane contrariam, prout mox oſtendemus, terminis ambiguis non implicari.

§. XVI.

Res morales demonſtrationem capiunt.

HInc eſt, quod probabile mihi videatur, res in *Morali Philoſophia*; æque ac Matheſi demonſtrari poſſe rerum enim, quæ vocibus moralibus deſignantur, determinata eſſentia: atque ita rerum ipſarum convenientia, aut repugnantia ſciri certiſſime poteſt; in hoc vero perfecta cognitio poſita eſt. Nec dicat aliquis, ſubſtantiarum nomina, æque ac Modorum, in moralibus ſæpius uſurpanda eſſe, & ita exinde non poſſe non oriri obſcuritatem. Quod ad ſubſtantias enim, in moralibus quoties incidunt, illarum naturas diverſas non tam inquirimus, quam pro ratis habemus; v. g. quando dicimus, *hominem legibus obſtrictum teneri*; Per *hominem* nihil aliud intelligimus, præter animal corpore & anima rationali præditum: Quid ſit realis eſſentia; aut aliæ qualitates animalis iſtius, in eo caſu haudquaquam ſpectamus. Quare licet Phyſici copioſe diſputent, utrum puerulus, aut fatuus *homo* ſit in ſenſu phyſico, nihil hoc ad *hominem moralem*, ſi modo eum ita appellare fas ſit, is hoc loco eſt conſtans iſta & *idea* immutabilis, *ens corporeum rationale*. Si enim cercopithecus, aut aliud quodvis animal ratione uſque adeo polleret, ut ſigna univerſalia intelligere, &, quæ

quæ ex *ideis* generalibus conſequuntur, colligere poſſet, is ſine dubio legum vinculis impediretur, atque eo ſenſu, *homo* eſſet, utcunque ab aliis, nomine iſto præditis, formâ & figura diſcreparet. Nomina ſubſtantiis recte impoſita, in tractatu morali haud magis confuſa erunt, quam ſolent eſſe in Mathematicis: Ubi ſi Mathematici de *cubo*, aut *globo auri*, aut alio quovis corpore loquuntur, claram habent ſtabilemque *ideam*, quæ non variat, etſi corpori fortaſſe, ad quod neutiquam ſpectat, ex errore tribui poſſit.

§ XVII.

Tractatus morales per definitiones perſpicui redduntur.

HÆc vero hic obiter, ut oſtenderem, quam maximi momenti illud inſtar obtineat, ut homines in omni diſquiſitione, in iis præſertim, quæ circa Mores verſantur, propriam vocis uniuſcujuſque vim definitione declararent: cum ſcientiæ morali hæc res tantum lucis ſit allatura. Hoc ſi quis aſpernabitur, is certe parum ingenuus, ne quid gravius dicam, dicendus eſt: *definitio enim unica eſt ratio, per quam verborum moralium propria ſignificatio innoteſcit*; hoc tamen modo, ſenſus illorum certo adeo ſciri poteſt, ut nullus controverſiæ locus ſit relictus. Quare generis humani ignavia & pertinacia excuſationem non habet, ſi quæ in Morali, non iis magis ſint luculenta & perſpicua, quam quæ in Naturali Philoſophia traduntur: illa enim verſatur circa *ideas* in animo, quarum nullæ falſæ ſunt, aut non conſentaneæ; utpote quæ non ad entia quædam externa; tanquam ad archetypos, referuntur, ad quæ neceſſario conformandæ ſunt. Hominibus multo facilius eſt, *ideam* in animis effingere, pro exemplari, cui *Juſtitiæ* nomen imponant, cui quæ conveniunt,

actiones omnes nemine iſto ſignandæ ſunt quam, viſo ſemel Ariſtide, *ideam* formare, ipſi in omnibus prorſus ſimilem, qui, quamcunque ideam homines illi affingant, id ipſum ſit, quod eſt. At illud enim ſatis eſt, ut, quæ intus in animo colligatæ ſunt, *idearum* complexum compertum habeant; ad hoc neceſſe eſt, ut naturam univerſam, abſtruſam & reconditiorem conſtitutionem, & qualitates varias rei extra nos exiſtentis, perſcrutentur.

§. XVIII.

Hæc unica ratio.

ALia cauſa, ut *Modorum mixtorum*, *præſertim dictionum moralium*, *definitiones* neceſſariæ adeo ſint, ea eſt, quam ſuperius retuli, quoniam nimirum *unica eſt ratio qua illarum ferme omnium ſignificatio* certo cognoſcitur. Cum enim *ideæ*, pro quibus ſubſtituuntur, maxima ex parte ejuſmodi ſint, ut partes, e quibus coagmentantur, nuſquam ſimul exiſtant, verum inter alias paſſim diſperſæ ſint, mens ſola eſt, quæ collectas undique in *ideam* unam colligat (67): nec aliter quidem, quam ſermonis adminiculo, varias iſtas ſimplices ideas, quas mens conjunxit, enumerantis, quid nomina illarum denotent, aliis aperire poſſumus; in hoc caſu ſenſuum noſtrorum, aut objectorum ſenſibilium ſubſidio fruſtra utimur; nequeunt enim illa *ideas* exhibere, quæ hujuſmodi nominibus continentur, prout ſæpiſſime fit in ſenſibilium *idearum* ſimplicium, & aliquatenus in ſubſtantiarum etiam nominibus.

§. XIX.

---

(67) Hac de re videri poteſt meditatio noſtra de libertate ac voluntate hominis *pag.* 90. 92. tom. 2.

§. XIX.

Tertio, in ſubſtantiis, monſtrando & definiendo.

TErtio. Ad Subſtantiarum nominum ſignificationem explicandam quatenus pro *ideis* ſubſtituuntur, diſtinctarum, quas habemus, ſpecierum *neceſſarium* erit ſæpiſſime memoratam ſuperius utramque digito quaſi *indicandi & definiendi* rationem adhibere. Cum enim vulgo in utriſque principes & directrices quædam ſint Qualitates, hoc eſt, quibus alias, quæ complicatam noſtram ſpeciei iſtius *ideam* conſtituunt, connexas eſſe ſupponimus, nomen ſpecificum qualitati, aut *ideæ* alicui audacter tribuimus, in qua hæc nota characteriſtica, quam nos ut ideam diſtinctiſſimam hujus ſpeciei intuemur, deprehenditur. Præcipue hæ Qualitates directrices, aut (ſi ita loqui fas ſit) characteriſticæ *ideæ*, in genere animalium & vegetabilium, maxima ex parte ((*) ut ſuperius innui) in figura, in corporibus inanimatis in colore, in quibuſdam in utroque ſimul, poſitæ ſunt.

§. XX. *E principibus hiſce qualitatibus ſenſibilibus*, quas *directrices* voco, præcipuæ, *ideæ noſtræ ſpecificæ contexuntur*, quare locum tenent primarium, & maxime ſtabilem in nominum ſpecificorum definitionibus, quatenus *ſubſtantiarum* generibus tribuuntur, quæ cadunt ſub cognitionem noſtram. Etſi enim vox *homo*, ex natura ſua, non minus apta ſit ſignificare *ideam* complexam ex *animalitate* & *rationalitate* conflatam, quæcunque in eodem ſubjecto conjunguntur, quam alium quemvis complexum; quatenus vero animalia, quæ noſtri generis eſſe ducimus, notat & de-

---

(*) Vid. Lib. III. Cap. VI. §. 29. & Cap. IX. §. 15.

& deſignat, tamen non minus fortaſſe neceſſarium eſt, in *ideam* noſtram complexam, *hominis* nomine denotatam, figuram exteriorem, quam, aliam quamvis *ideam*, adſciſcere. Quare haud facile demonſtrari poteſt, cur *Platonis* iſta, *animal implume*, *bipes*, *latis unguibus*, non æque conducat ac alia quævis definitio, ad nomen *hominis* explicandum, quatenus pro id genus animalibus ſumitur (68): Species enim per figuram, tanquam principem ſeu directricem qualitatem, magis determinari videtur, quam per facultatem ratiocinandi, quæ non ſtatim, quamprimum vitam ingredimur, quid? quod interdum per totius vitæ curriculum in omnibus plane non elucet (69). Hoc ita ſe habere, ſi qui negaverint, agnoſcant neceſſe eſt, eos homicidii reos eſſe, qui partus monſtroſos (ut vocantur) tollendos e medio propterea curant, quod forma ſint & figura inuſitata, et ſi ignorent, utrum anima rationali, cujus veſtigia non magis in juſta figura & conformatione membrorum, quam quidem in ejuſmodi diſtorto corpore, conſpiciuntur, præditi ſint, nec ne. Quis vero dixerit, animam rationalem domicilium refugere, non ſplendide & magnifice extructum, nec corpus informare velle, in quo non certa quædam ſit fabrica membrorum (70)?

§. XXI.

(68) Definitio eſt notio rei diſtincta completa, ſermone ſive Oratione expreſſa. Quid denotat *animal* implume &c.? Obſcurum per Æque obſcurum.

(69) Definitio Platonis eſt *latior*, ut ajunt logici *ſuo definito*. *Animal* pluribus ſpeciebus convenit, ut & *implume*. En *homo Platonis*, gallum implumem in Platonis gymnaſium projicientes dixere. Recte porro.

(70) In mentem mihi venit, quod Monteſquieu de Æthiope verba faciens ſcripſit, nimirum „ poteſt unquam excogitari in „ corpore nigerrimo, animam rationalem adeſſe „; ? Nos omnia ex

§. XXI. *Præcipuæ iſtæ qualitates Characteriſticæ tunc maxime*, quando ipſa corpora, in quibus ſunt, aperte oſtenduntur, & vix ullo alio modo innoteſcunt. *Equi* enim aut *Gaſſiovarii* non niſi rudis & imperfecta admodum figura & ſpecies in animum per voces imprimitur; animalis autem ipſius conſpectus millies id clarius efficit. Atque *ideam* iſtam, quæ naſcitur ex *auri* colore, non per verbis factam, deſcriptionem aliquam, verum oculis illud crebro intuentes, adipiſcimur (71); quod patet ex iis, qui metallum hoc quotidie in manibus habent; illi enim ſæpiſſime aurum verum, purumque ab adulterino, ſemel id tantum aſpicientes internoſcunt, ubi alii (quibus fortaſſe haud hebetior eſt oculorum acies, ipſi vero, ex eo, quod minus ſint in ea re verſati, peculiaris iſtius flavedinis *ideam* nondum ſunt nacti) diſcrimen nullum animadvertunt. Idem dici poteſt de aliis iſtius *ideis* ſimplicibus, in ſuo genere cujusvis ſubſtantiæ proprii, quibus ideis haud nomina peculiaria reſpondent. Neque etiam peculiari iſti auri tinnitui, qui ab aliorum corporum ſono diſtinguitur, certum quoddam nomen magis annexum eſt, quam peculiari metalli iſtius flavedini.

§. XXII. Quoniam vero pleræque *ideæ* ſimplices, quæ ſpecificas noſtras ſubſtantiarum *ideas* conficiunt, potentiæ ſunt, quæ in rebus, prout vulgo apparent, non obviæ ſunt ſenſibus; idcirco *in ſubſtantiarum nominibus explicandis, pars ſignificationis melius innoteſcet, ſimplices iſtas* ideas *enumerando, quam ſub-* *ſtan-*

---

ex experientia habemus, & definitiones ex ipſa experientia eruuntur; viderunt ergo omnes ſub hac figura conſtitutos rationalitate, ac animali natura gaudere, & hos *homines* appellare voluere.

(71) Ratio eſt, ex eo quia quidquid per ſenſus percipitur eſt omnimodis circumſtantiis involutum, & niſi per ſenſationem, non poteſt internoſci, nam ſenſationis modificationes per voces nequeunt denotari.

ſtantiam ipſam exhibendo & monſtrando. Qui enim præter *auri* colorem rutilum, quem per viſionem nanciſcitur, poſt enumerationem a me factam, ſummæ ductilitatis, fuſilitatis, fixitatis, & ſolubilitatis in *Aqua Regia ideam* habebit, in illo *auri* conſummatior erit *idea*, quam ſi is *aurum* intuens, qualitates, quæ ſenſibus objiciuntur, in animo ſuo affigeret. At ſi forma ipſa & conſtitutio interior rei hujuſce rutilæ, ponderoſæ, & ductilis, e qua omnes proprietates iſtius manant) haud ſecus, quam formalis conſtitutio, aut eſſentia trianguli, ſenſibus noſtris pateret, vocis *auri* non minus certa eſſet, quam trianguli ſignificatio (72).

§. XXIII. Hinc notandum eſt, in quantum *omnis noſtræ cognitionis rerum corporearum fundamentum jactum ſit in ſenſibus, ab iiſque dependeat*. Quomodo enim ſpiritus, a corporibus ſegregati qui cognitionis & hujuſmodi *idearum* perfectione nobis certe longe antecellunt, ea omnia cognoſcant, nos nulla ratione; nec ulla idea percipimus (*). Intelligentia enim, ſeu comprehenſio noſtra, intra *idearum* ambitum concluditur, quæ ſunt in nobis, & ad noſtrum percipiendi modum determinatæ. Etſi nihil dubito, quin Spiritus, iis longe celſioris dignitatis, qui in corporis hoc

(72) Vera eſſet definitio, nam neque *latior*, neque *anguſtior*, ut ajunt, definito haberetur, per conſequens erit notio diſtincta & completa auri.

(*) Sic Montagne. „ L' homme ne pour etre que ce qu' il „ eſt, ni imaginer que ſelon ſa portèe l' eſt plus grande preſumption, dit Plutarque, a ceux qui ne ſont qu' hommes d' „ èntreprendre de parler, & de diſcoùrir des Dieux, que ce n' „ eſt a' un homme ignorant de muſique, vouloir juger de ceux „ qui chantent; à un homme qui ne fu jamais au camp vouloir diſputer des armes & de la guerre, en preſumant comprendre par qualche leger conjectur, les effets d' un art qui „ eſt hors de ſa connoiſſance „. *Eſſais livr. II. Ch.* 12. *Tom.* 2. *pag.* 405. *Ed. de la Haye* 1727. COSTE.

hoc ergaſtulo (*) continentur, claras *ideas* habeant interioris ſubſtantiarum conſtitutionis, quam nos trianguli, atque ita clare perſpiciant, quo modo proprietates & operationes omnes inde manent: quo autem pacto cognitionem iſtam conſequantur, ſcire, in noſtram intelligentiam non cadit.

§. XXIV. Etſi vero definitiones nomina ſubſtantiarum commode ſatis explicant, quatenus pro *ideis* noſtris ſumuntur: ea tamen non omni imperfectione & obſcuritate liberant, quatenus rerum loco ſubſtituuntur. Cum enim ſubſtantiarum nomina non ad noſtras tantum *ideas*, verum ad res deſignandas ultimo adhibeantur, atque ita loco illarum ponantur, neceſſe eſt, ut illorum ſignificatio tam in rerum veritatem, quam *ideas* hominum quadret. Quapropter in ſubſtantiis, non ſemper in recepta communiter *idea* complexa acquieſcendum eſt, verum, ulterius paulo progredientes, rerum ipſarum natura & proprietates inveſtigare, atque ita, quantum fieri poteſt; ſpecierum diſtinctarum *ideas* noſtras perficere; aut iſta ab aliis diſcere debemus, qui circa res ejuſmodi diutius verſati fuerint. Quoniam nomina tam *idearum* ſimplicium collectiones, quæ in rebus ipſis revera exiſtunt, quam complexas, quas vulgo ſignificant, *ideas* in aliorum mentibus denotare debent: idcirco ut *illarum nomina recte definiamus*, *evolvenda eſt rerum naturalium hiſtoria*; atque earum proprietates ſtudioſe & diligenter inveſtigandæ ſunt. Ad incommoda enim vitanda in ſermone, & noſtris diſceptationibus circa ſubſtantias & corpora naturalia, haud ſatis eſt; ex ſermonis proprietate, communem, ſed con-

(*) Satis belle hic humani Spiritus conditionem in lingua ſua expoſuiſſe mihi videtur Auctor, dum homines appellat: *The Spirits immerſed in Fleſh*; quam locutionem Gallus Paraphraſes apprime aſſecutus eſt, quando vertit: *Les Eſprits plongez dans la Chair*.

confuſam, aut imperfectam valde *ideam* didiciſſe, cui voces ſingulæ tribuuntur, eaque, quoties a nobis uſurpantur, *ideæ* iſti ſemper illigare: Verum oportet, ut ejuſmodi rerum hiſtoriam evolventes ſanciamus, quæ definita ſit *idea* noſtra complexa, unicuique nomini ſpecifico ſubjecta; atque in ſermone cum aliis (ſi, nos minus ab iis intelligi, deprehendimus) quam *ideam* complexam nomine iſto deſignemus, iis exponendum eſt. Hoc ab iis, qui rerum cognitioni, & in rebus philoſophicis veritati ſtudent, multo diligentius præſtandum eſt, quoniam pueruli, voces edocti, dum maxime exiguas & debiles rerum notitias habent, incaute admodum, ſine delectu, attentione, atque *ideis* diſtinctis eas uſurpant: morem hunc (qui facilis eſt & ad convictum humanum atque vitæ negotia ſatis accommodatus) ſolent in provectiori ætate retinere. Hoc itaque modo præpoſtere incipiunt; primo enim vocabula diſcunt, idque perfecte, poſtea notiones vocibus iſtis temere nimis affingunt. Hinc fit, ut patrio ſermone recte utentes, hoc eſt juxta Grammatices regulas, de rebus ipſis admodum inepte & improprie loquantur; atque in diſceptationibus inter ſe invicem parum proficiant in veri inveſtigatione, atque rerum cognitione, quatenus nimirum in ſe ſpectantur, non uti a nobis concipiuntur. Ceterum non adeo multum intereſt ad noſtræ cognitionis augmentum, ſi vel maxime ſciamus, quomodo res nominentur (73).

§. XXV. Optandum itaque eſſet, ut viri in diſquiſitionibus phyſicis, & corporum naturalium contemplatione verſati, atque ſingulari de diverſis corporum naturalium claſſibus cognitione inſtructi, ſimplices iſtas *ideas* monſtrarent, in quibus uniuſcujuſque ſpe-

---

(73) De hoc in ſequenti noſtra meditatione pertractabimus.

ſpeciei Individua convenire, conſtanter animadvertunt. Hoc magna ex parte remedium eſſet confuſionis iſtius, quæ exinde provenit, quod varii homines utuntur uno eodemque nomine ad deſignandam collectionem ex majori, aut minori qualitatum ſenſibilium numero conflatam, prout magis minuſve aſſuefacti, aut diligentes fuerint in rerum qualitatibus examinandis, quæ ſub uno nomine continentur, ad hujuſmodi vero dixionarium contexendum, quod Naturalem quodammodo Hiſtoriam conficiat, plus induſtriæ, temporis, pecuniarum, laboris, & ſolertiæ requiritur, quam ut ſuperari illud poſſit; & uſque dum illud factum fuerit, iis nominum ſubſtantiarum definitionibus contenti eſſe debemus; quæ ſenſum explicant, quo homines iis utuntur. Et hoc certe magnum eſſet emolumentum, ſi modo nobis darentur ejuſmodi Definitiones, & quidem eo tempore, quo iis nobis eſt quam maxime opus. Hoc autem communiter fieri non ſolet, homines enim in ſermone & diſputationibus vocibus utuntur, de quarum ſignificatione haud inter ſe convenit, quorum error exinde provenit, quod putant nimirum, vocum vulgarium ſignificationem ratam & fixam eſſe, atque *ideas*, pro quibus ſubſtituuntur, certo cognoſci, & ea ignorare, unicuique pudori ſit, neceſſe eſſe. Hæ tamen duæ opiniones prorſus falſæ ſunt, nulla enim *idearum* complexarum nomina ratas adeo & determinatas habent ſignificationes, ut pro iiſdem *ideis* ſemper uſurpentur. Nec hominem pudere debet, ſi non certo ſciat rem aliquam, niſi his mediis adhibitis, quibus cognitio iſta neceſſario acquiri debet. Ita nimirum haud erubeſcendum eſt ſi ipſe neſciam, quam *ideam* vox aliqua in alterius mente determinate ſignificet, niſi id mihi alia ratione notum faciat, quam ſonum iſtum nude proferendo; ſine ejuſmodi enim declaratione, haud alia eſt ratio ulla illud certo ſciendi. Sermonis quidem com-

communicatio, ſine qua ſocietas humana conſiſtere nequit, efficit, ut inter homines de vulgarium vocabulorum ſignificatione eatenus conveniat, quatenus vitæ communis ratio illud poſtulat; quare fieri non poteſt, ut quis in lingua nota & familiari *idearum* penitus ſit ignarus, quas uſus communis vocibus illigavit. Cum vero uſus communis, incerta admodum regula ſit, quæ ad hominum particularium *ideas* ultimo revocatur, varium & mutabile ſæpe eſt exemplar. Etſi vero ad memoratum ſuperius Dictionarium plus temporis, pecuniarum, & laboris requiritur, quam ut hac noſtra ætate ſperari poſſit; puto tamen, haud abſonum eſſe requirere, ut voces, res deſignantes, quæ per figuram exteriorem a ſe invicem ſecernuntur, per picturas & ſimulacra in brevibus tabellis exprimerentur. Vocabularium hoc modo extructum, multo brevius (*) plurimorum terminorum ſignificationem veram nobis traderet, præſertim in ſermone priſcarum & locorum intervallis longe remotarum gentium, & multarum rerum *ideas*, quarum nomina in legendis veteribus Auctoribus ſæpius occurrunt, in mente multo clarius depingeret, quam Criticorum numeroſa omnia volumina. Methodus hæc quam ſit utilis & compendiaria, notum eſt Philoſophis Naturalibus, qui de plantis & animalibus ſcripſere: Et quidem ſi quis eos conſulere velit, fatebitur, ſe *Apii*, aut *Ibicis*, (**) ex plantæ, aut animalis iſtius exiguo ſimulacro, clariorem lon-

(*) Sapiens antiquarius id eſt executus, videl. *P. de Montifaucon*. Suum opus habet titulum *l'Antiquité expliquée & repréſentée en figures*, *fol.* 10. *vol. Paris* 1722. Et edit ut ſupplementum in 5. *vol in fol* 1724. Hoc opus eſt figuris plenum quæ ſuppeditant nobis ideas præciſas majoris partis rerum, quarum adinvenitur nomen in antiquis Græcis, ac latinis Auctoribus, & quia ex uſu deceſſere, non poſſent ſpiritui repreſentari quam per figuras in amuletis, & ceteris antiquorum monumentis. *COSTE*.

(**) Ibex eſt hircorum agreſtium ſpecies.

longe *ideam* habere, quam e prolixa nominis utriuſvis definitione, adipiſci potuiſſet. Idem de *Strigile* & *Siſtro* dicendum eſſet, ſi quis loco *Curry-comb*, & *Cymbal*, quibus nominibus Anglice in Dictionariis redduntur, inſtrumentorum iſtorum, prout in uſu erant apud veteres, minutas quaſdam picturas, in libri margine ſubjunctas, cerneret. Vocabula hæc, *Toga*, *Tunica*, *Pallium*, Anglice facile redduntur per voces *Govvn*, *Coat*, and *Cloak*; non tamen exinde formæ veſtimentorum iſtorum inter *Romanos* olim uſitatorum, veriores *ideas*, quam ipſos ſartorum vultus, a quibus conſuta erant, habemus. Res hujuſmodi, quas mens per formas exteriores a ſe invicem effigierum harum adjectarum beneficio, ſecernit, in animum firmius multo imprimuntur, atque hoc vocum, quæ iis imponuntur, ſignificationem magis determinat, quam omnes voces ad eas definiendas adhibitæ. Hæc verò obiter.

§. XXVI.

Quintum remedium, rem eandem conſtanter ſignificando.

QUinto. Si homines vocum, quibus utuntur, ſenſum explicare nolint, atque termini definiri nequeant; conſentaneum tamen eſt, ut, qui alios erudiendi munus in ſe ſuſcipiunt, *voce eadem ſemper in eodem ſenſu utantur*. Hoc ſi fieret, (quod nemo, qui ſincerus ſatis & ingenuus eſt, detrectandum putabit) appareret, quam multis, qui nunc extant, libris eorum confectores ſuperſedere potuiſſent. Litigioſæ certæ multæ diſputationes conciderent; multa volumina ingentia, quæ terminis ambiguis, nunc in hoc, nunc in illo ſenſu ſumptis, refertiſſima, in nimiam magnitudinem excreverunt, in parvum quendam & anguſtum locum concludi, at-

que plurima Philoſophorum (ut alios taceam) æque ac Poetæ illius ſcripta, nucis putamine contineri poſſe (74).

§. XXVII. Ut omnia concludam, vocabulorum ſupellex, ſi ad cogitationum noſtrarum infinitam varietatem comparetur, anguſta adeo eſt, ut homines, quibus non ſatis ſuppetunt voces ad notiones ſuas accommodatæ, utcunque cauti ſint & diligentes ſæpius vocem eandem in diſpari ſenſu uſurpare cogantur. Atque licet in oratione continua, aut argumentatione, longa nimis digreſſio foret, ſi, quoties termini cujuſdam ſignificatio immutatur, quis novam definitionem adhiberet; Scopus tamen orationis, maxima ex parte, niſi quis dolos & fallacias commolitur, ſenſum cordato lectori perſpicuum faciet. Ubi illud haud ſufficit; atque Lector magis perſpicuam & dilucidam expoſitionem deſiderat, ibi ſcribentis eſt, exponere, quæ ſententia hoc termino, quem hoc loco uſurpavit, denotetur.

Finis Libri Tertii.

AP-

(74) *V. adn.* 48. 54. 57. 59.

APPENDIX I.

CAPITI XI. LIB. III.

A P. SOAVE APPOSITA

Influxio linguarum in cognitiones humanas.

CUm ab initio modum, quo lingua naturaliter inſtitui poſſet, ut & partium analyſim ex quibus quælibet lingua componitur, obſervaverimus; deinde vim diverſam, verborumque naturam juxta diverſas ideas quæ ſignificari debent, demum, una cum modis illas emendandi imperfectiones, abuſumque loquendi, perbelle viderimus: non erit ſine momento nonnullas conſiderationes de generali linguarum utilitate, ac de maxima parte cognitionum, quas loquendi facultati homo debet, hic addere.

Quam circumſcriptæ eſſent cognitiones in homine, qui ſignorum uſu careret, ego diffuſe demonſtravi in Opere alibi indigitato (*Ricerch. intorno all' inſtituzione naturale d' una ſocietà, e d' una lingua ec.*). Non tantum eſſet ille orbatus iis omnibus, quæ legendo, vel cum aliis loquendo ex nobis ipſis apprehenduntur, & maximam partem componunt ex illis quæ nobis inſunt; ſed incapax eſſet adhuc, ultra ſtrictiorem numerum, ex ſe ipſo alias acquirere. Ego non immaginor profecto, qua ex parte perilluſtres metaphyſici ſunt, illum omni idea abſtracta ac generali, ut & omni reflexionis uſu adhuc eſſe orbatum, de quo in analyſi intellectus humani (*tom.* 1. *num.* 41. 47. 50.) rationes indigitavi, & ideo ulterius de hoc progredi, non cenſeo. Nemo enim negare poſſet, has facultates parvi, ac pene nullius uſus eſſe debere. Memoria ipſa, quæ receptaculum (*a*) eſt omnium noſtrarum cognitionum, valde in eo tenuis eſſet (*b*). Vidimus (*tom.* 1. *analyſ. intell. hum. num.* 46.), notiones metaphyſicas nullo modo, ſignis omiſſis, revocari poſſe, ac ſine hoc ſignorum auxilio, quam ſit perdifficile a nobis poſſe ipſas metaphyſicas notiones cogitare (*ib. num.* 37.). Homini ſi-

 gnis

(a) *V. Med. de mem. &c. tom.* 2.
(b) *V. adn. iv. tom.* 1.

gnis artificialibus orbato poſſent, ut ita dicam, pro naturali ſigno inſervire rerum immagines revocatæ, ex quibus percepiſſet notiones. Sed primum, cum deficiant ſigna artificialia, homo careret medio, quod frequentius nobis ad ejuſmodi notiones excitandas inſervit; & raro cogitando, celerius eas amitteret; ſecundo, cum, has notiones nullo artificiali ſigno ipſe ligaſſet, quod eas compendiario, ut ita dicam, repræſentare poſſet, non ſecus ac nobis verba faciunt, oporteret, ſemper novam efformare, quod ſicuti magnum requirit laborem, potiſſimum ubi agitur de compoſitis notionibus; ſic huic labori ſubigi certe neſciret abſque neceſſitate abſoluta, quod accideret raro. Itaque, etſi facultate notiones ſibi efformandi ſit præditus, nunquam cogitaret, ut unam efformaret, & formatam neſciret eam retinere; memoria ſua, quaſi ſolum, circumſcriberetur interim ad id as proprie dictas (c), ad phyſicas ſcilicet immagines, & ratio e ad iſtas habita adhuc valde eſſet circumſcripta. Unuſquiſque ſcit enim, quam proſint nobis verba (d), quod auxilium, ſane ipſi deficeret.

Pro hujus confirmatione obſervationem optimam efficit dominus *Sulzer*. Sæpius, ille inquit, fortuita circumſtantiarum combinatio, novam ſeriemque ideam nobis ad concipiendum ſuppeditat. Hoc caſu nos certi perinde ſumus, eam amittere ſtatim, niſi ſigno quodam notemus. Quoniam ut abſque ejuſmodi auxilio recorderemur, idem circumſtantiarum concurſus neceſſarius eſſet, quod utplurimum nunquam accidit. Contrario, ubi terminus ad principales revocandas aptus habetur, ope ejus omnes regrediuntur, & dirigunt iterum ideam, cujus amiſſio nobis diſpliscuiſſet (e). In hoc permagno auxilio quod verba memoriæ offerunt, primam linguarum utilitatem ille ponit.

Aliam utilitatem ille in verbis obſervat, quæ non multum obvia eſt, & eſt, intellectus operationes valde breves reddere. In calcuum infinitate, inquit ille, eundem uſum verba habent, quem in calculo characteres tenent. Conſtat, quod in compluſimis circumſtantiis impoſſibile erit, ope ſimplicis ratiocinationis reſultatum invenire, forraſſe, quod pro characterum uſu ſuper ideis ratiocinari vellet, ſæpius ad ultimam petitam concluſionem pervenire nequiret. In calculo non operatur, quam ſuper ſolis characteribus, nec eos traducere cogitatur, vel iiſdem ſubſtituere eaſdem ideas, niſi quando calculi artificio formulæ ad ſim-

(c) *V. adn. kk. tom. 1.*
(d) *V. adn. vv. tom 1.*
(e) *V. med. ac Memoria tom. 2. pag. 56. adn. c.*

ſimplicitatem redigantur. Eodem modo nos ſolis verbis ſæpius ratiocinari poſſumus, vel ſolis ſignis, omni temporis inſtante ad eorum ſignificatum non cogitando, quod eſt inexplicabile dictu, quam ratiocinia imminuat, & clara, imminuendo, ea reddat.

Tertiam utilitatem adinvenit in proprietate quam habent verba, nos ad reflexionem ſuper eiſdem rebus ducere, & ſpiritum inventionis ſtabilem ita reddere. Verba *quia*, *quando*, *quo*, *a quo*, *per quem*, *relatio*, *eſſentia*, *accidens &c* ſæpius ad utilia quæſita occaſionem præbent, quæ omitterentur, ſi memoria verba hæc non ſuppeditaviſſet, & illæ ideas per ſe expreſſas non revocaſſent. Sic celebris *Linneus* botanicam permagne dilatavit ſimplici introductione multitudinis terminorum ad formas indicandas, ut & figuras, ſitus, proportiones partium in partibus, ac in plantis. Cum horum terminorum cognitione nunc poteſt multo melius botanicus plantam obſervare, ac internoſcere, quando antea difficilius fuiſſet. Sine verborum auxilio, ipſe pergit, præter *intuitivam* rerum cognitionem non habemus, & non ſentimus, quam confuſe quod ad eas pertinet. Vocabula quæ cogitationis, vel ideæ partes ſignant, evolvunt ac exhauriunt hanc eandem ideam, & in ſtatu præciſiori eas enodandi nos ponunt; non ſecus ac mechanicus qui calculari neſciat, vix effectum a machina producendum rudim internoſcit, quando Geometra qui exprimit ſignis minima fragmenta quantitatum, quæ tanquam cauſa, vel effectus in machinæ actione ſubintrant, adhuc cum omni præciſione totalem effectum ſcit determinare: pariter homo, cujus lingua inops eſt, vix ſentit aliquando res per æſtimationis ſpeciem; dum philoſophus qui locupletam linguam poſſidet, quod alter quam confuſe non viderat, præciſe determinat (*f*). Ratio evidentiæ quam in matheſi admiramur, & quæ tanquam excluſivum privilegium hujus ſcientiæ conſideratur (*g*), id eſt, quod in Geometrarum ratiociniis nulla idea, quæ a quadam ſigno non exprimatur, introducitur. Hujus ope ipſi ſemper certi ſunt, quod nihil amiſiſſent, & omne quod in conſequentias influit magni feciſſent. Æquatio analytica *ex gr.* duo membra habet, quæ Geometra equalia eſtimat; ſi aliquis dubitet, ille poteſt adſtringi, reſolvendo terminos cujuslibet membri, & hæc enodatio poſſibilis ſemper eſt, omnis minima quantitas, quæ in terminorum compoſitione intrat, poteſt enim ſuo ſigno indicari. Ubi Philoſophus eandem utilitatem ha-

(f) *V.* 32. *tom.* 2.

(g) *V. Meditat. noſtram de demonſtrat. &c.*

bet, quam Geometra (quod rarius accidit) ratiocinia ſua pariter, ac ea Geometrarum ſunt. Ex hoc internoſcitur, quam permagne referr copioſa lingua pro cognitionum progreſſu, ac certitudine, & uti vocabula ſignificantia invenire, eſt revera eaſdem cognitiones, ac certitudinem realiter augere (*h*). Multi veteres ex philoſophorum turba habuere, quod requiritur, ut ad veritatum metaphyſicarum compluriuum certitudinem perveniſſent, abſque optato effectu, non alia ratione, quam ea qua ratiocinia nectere neſciebant, cum carerent ſignis, quibus ſuis confuſaſque ideas ſigillent. Solus modus feliciter cogitationem exprimendi multoties occaſio eſt, vel cauſa qua nova detegantur.

Hoc modo ille obſervat influentiam, quam metaphoræ habere poſſunt in noſtrarum idearum augmentum. Eſt, ait ille, in noſtris perceptionibus numerus infinitus idearum, quæ valde obſcuræ ſunt, & abſque poſſibilitate eas enodandi intelliguntur. Homines ingenio, ac vivaci penetratione præditi continuos conarus pandunt ad eas claras reddendas; hi demum detegunt in iis quamdam ſimilitudinem inter ejuſmodi ideas, atque alias conceptu facilius; ex hoc methaphoricæ expreſſiones eruuntur, & ope earum ideæ obſcuræ claræ evadunt, etiam pro iis qui tenui intelligentia gaudent. Quando enim admonimur unam rem, de qua ideam præciſam nobis formare non potuerimus, alteri, quam melius internoſcimus, aſſimilari, nos conamur hanc ſimilitudinem detegere, detegimus revera paulatim, & hoc modo idea obſcura eeclareſcit. Præterea metaphoræ effectum gignunt æqualem illi, quem in geometria ſchemata producunt. Hæc ſcien-

(h) . . . . . *Ego cur acquirere pauca*
Si poſſum invideor? Cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditaverint, & nova rerum
Nomina protulerint? Licuit, ſemperque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.
Ut ſylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemus morti nos, noſtraque; ſive receptus
. . . . . *Mortalia facta peribunt,*
Ne dum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax
Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quam penes arbitrium eſt, & jus norma loquendi.

(Hor. Arc. Poet.)

ſcientia adhuc in infantia eſſet, niſi auxilium ſchematum haberet, quæ immaginationem adjuvant ad figendas cum præciſione ideas, quæ, eiſdem neglectis, confuſæ remanerent innoſtrarum perceptionum cumulo, & viſibile, ac tangibile reddunt quod menti per ſe imperceptibile videtur. In intellectu humano extat numerus infinitus ejuſmodi idearum quæ quandam obſtaculi ſpeciem, ac limitis ſuarum cognitionum progreſſui ponunt. Quælibet metaphora feliciter applicita hos extendit fines, ideam quam hactenus inutilis fuerat ex obſcuritate trahendo. Artifices ipſi multoties metaphoras adhibent ex ſuæ artis terminis feliciter erutas, & magnam utilitatem philoſophiæ præſtarent, qui eas colligere, condecorare, ac ipſis latiorem ſignificatum dare ſaperent (*i*).

Ex omnibus his obſervationibus ſatis patet linguarum utilitas, non alia addendo. Qui diffuſius id videre cupit, legere poteſt diſſertationem ipſius Domini *Sulzer*, cui titulus *Oſſervazione intorno all' influenza reciproca della ragione ſul linguaggio, e del linguaggio ſulla ragione* quæ eſt in *Memoria della R. Accademia di Pruſſia*, & in opere *ſcelta di opuſcoli intereſſanti tradotti da varie lingue. vol.* IV.

(i) *V. adn. 27. tom.* II.

APPENDIX II.

TENTAMEN CAP. XI. LIB. III.

A P. SOAVE APPOSITA.

In imitatione linguæ universſalis.

UT nihil omittatur de eo quod ad linguas directe pertinet hoc tentamen addam (*). Utilitas quæ erueretur a lingua, quæ eſſet omnibus communis, per ſe ſatis conſtat, ad propagationem, ac ſcientiarum augmentum potiſſimum, permagne conferre. Opera enim utilia quæ in tot linguis hactenus edita ſunt, vel in nihilum nobis conferunt, vel magno tædio nos alligant in verborum ſtudio impendere tempus, quo utiliter eſſet in rerum ſtudio, & majori delectatione, impenſum.

Ex utilitate, quam afferret talis linguæ inſtitutio multi celebres philoſophi perducti, inter quos *Leibnitius*, *Wolfius*, *Wilkins*, *Kircherus*, *Dahlgarne*, *Eckler*, *Solbrig*, *Lambert*, & recenter *Georgius Kalmar*, de ea cogitavere. Nec videtur ideo, methodum ſatis facilem & ſimplicem per ipſos eſſe huc uſque adinventam.

Duo ſunt modi, quibus ad ejuſmodi inſtitutionem poteſt perveniri; vel novam linguam efformando quæ ubique loqui poſſit, vel novum ſcribendi modum inſtituendo ſignis algebraicis, vel ciphrys Sinenſibus ſimilem, in quo omnis character, integro verbo æquivalendo, unuſquiſque poſſit expeditius intelligere ideas a characteribus indicatas, & legendo in propriam linguam vertere.

Linguæ inſtitutio cum prima methodo non eſſet difficilis, at valde difficilis eſſet introductio. Ex qua enim lingua vocabula trahere, ut ab omnibus eſſent recepta? Quælibet notio ſumeret jus ſuum addere partem, & quilibet ſcit, quot prejudicia nationalia ſint valida. Omne verbum, omne nomen, omnis minima particula excitarent infinitas quæſtiones, de quibus unuſquiſque cum velit ſe judicem conſtituere, nunquam obtineretur de-

---

(*) Extractum ex opuſculo meo, quem Romæ elapſo anno didere, cui titulus *Riſleſſioni intorno all' iſtituzione di una lingua universale*.

deciſio , Præterea , quando adhuc animi componerentur , ex tot idiomatum unione quid unquam obtineretur ? Lingua informis, ac valde incommoda. Pejus eſſet, ſi quilibet excogitaret linguam omnino novam . Omiſſa difficultate diſcendi eam , quis ſciret proprium vincere amorem, eo ut ſolum illum internoſcat per legislatorem univerſalem , & ex eo ipſo ad loquendum apprehendat ?

Linguæ characteriſtica ſola eſt quæ ex vanitate , vel nationis ſpiritu oppoſitionem nequit invenire; ſed ſua intrinſeca difficultas majorem oppoſitionem, mihi videtur , imprimis offerre . Et revera, ſi omnis idea exprimi debet cum peculiari nota, ubi ſufficientes characteres invenire , vel quomodo aprehendere omnium ſignificatum , quando adhuc invenirentur ? Solum Sinenſium exemplum valet ad nos diffidandos . Ad ſenſus diverſos indicandos ex 330. monoſillabis, quibus eſt eorum lingua conflata, efformavere , ut commemoravimus (*App cap.* 1.), juxta nonnullorum opinionem plus quam 54000., & juxta alios , uſque ad 80000. characteres omnes diverſos . His ergo ſi vellent addi omnes characteres neceſſarii ad exprimendas ideas , quibus Sinenſes carent , & quas commercium peragratio , & ſcientiarum cultura nobis abunde ſuppeditant , ad quem numerum cyphræ hæ non pervenirent ? Scimus adhuc inter Sinenſes, non alia ratione, quam propter hanc magnam difficultatem , pauci ſunt, qui bene legere vel ſcribere propriam linguam ſciant . Hac quoque methodo univeſalis linguæ inſtitutio , videtur , itaque impoſſibilis .

Ego verum hac methodo facillimam illam credo . Sufficit , characteres reddere ſimplices . Satis eſt , memoriæ recte ſuppeditare opportuna auxilia , ut eos retineat .

Initium facimus a nominibus quæ procul dubio ſunt , quæ majorem poſtulant numerum , & inprimis à nominibus ſubſtantivis incipiamus . Hæc vel objecta phyſica , ut eſt *ſol* , & *luna*, exprimunt , vel nationes abſtractas , ut *honor* , *virtus* . Rerum phyſicarum nomina , ut magis gravia , ſunt in qualibet lingua numero majora . Verum ſimpliciſſima methodo difficultas apprehendendi eorum ſigna , quaſi omnino tolli poſſet , quod eſt , imitativis characteribus ea exprimere . *Sol* , *luna* , *Aſtra* , *lucis radia* , *flamma* , *mons* , *flumen* , *erba* , *planta* , *flos* , *fructus* , *folia* , *circinus* , *regula* , *ſcarpellum* , *malleum* , *globus* , *cubus* , *quadratum* , *rectangulus* , *triangulum* , *circulus* , *caput* , *brachium* , *manus* , *pes* &c. reſpondentibus ſchematibus hæc omnia ego vellem expreſſa . Ea videre . & ſignificatum intelligere tum eſſet unum & idem ; & pro multis ipſorum commoditas adhuc eſſet , quod promptiores apud impreſſiones invenirentur formæ, abſque tædio de novo ea facere .

Circa reliqua nomina , ego obſervo 1. quod non pauca propria

pria ſimbula a longo uſu ſtatuta habent. Ejuſmodi apud Aſtronomos ſunt *ſigna Zodiaci*, *planetæ &c.*, apud Geografos ſigna *Civitatis*, *Villæ*, *metropolis &c.* Apud Analiſticos illa *æqualitatis*, *additionis*, *ſubſtractionis*, *multiplicationis*; apud Pictores illa *virtutum*, *vitiorum*, *artium*, *ſcientiarum &c.* (*). Hæc ſimbula brevi exercitio omnia apprehendi poſſent ab omnibusque faciliter.

2. Obſervo, quod multa nomina abſtractarum notionum ex phyſicis imaginibus originem duxere, & metaphoræ uſus in omnibus linguis eſt ampliſſimus. Omnes notiones abſtractæ, quæ cum phyſicis imaginibus aliquam relationem tenent, harum ope indicari poſſent, & terminis metaphoticis, conſtans præmittendo ſignum, quod translatum indicaſſet, intellectu facilius redderetur.

Termini, propter quos ſigna omnino arbitraria inſtitui deberent, ad ſtrictiorem numerum horum ope reducerentur. Sed cum aliis artificiis hic numerus adhuc multo magis poſſet minui.

Inprimis ego vellem, quod inciperent ſigna ad generaliorum claſſium nomina opportuniora ſtatui, ut *animal*, *vegetabile*, *minerale*. Hinc ad ſtatuendum venirem alia per Claſſes, quæ ſub his comprehenduntur, ut *quadrupedis*, *avis*, *piſcis*, *reptilis*, *inſectus*; *erba*, *legumen*, *metallum*, *petra*, *ſal*, *aqua*, *terra &c.* Alios figerem characteres, ut exprimatur *mons*, *flumen*, *mar*, *lagus*, *Regnum*, *Provincia*, *Civitas*, *Villa*; alios ad indicanda *vitia*, *virtutes*, *paſſiones*, *artes*, *ſcientiæ*, *profeſſiones*, *dignitates &c.* quorum characterum pars major ex imitativis ſignis traheretur.

Ex horum ſignorum ſtatuto magna utilitas haberetur. Nam 1. omnibus nominibus individualibus, vel ſpecificis præmittendo illa claſſis ſub qua continentur, duæ utilitates venirent: una quod cognito individui charactere, adhuc illud claſſis, cui pertinet, ſtatim obſervaretur, & rerum nomina melius, ac uniformiter ſtatuerentur; altera utilitas eſſet, quod incognito individui charactere, ſaltem ille ſuæ claſſis inteenoſceretur, & faciliter ex contento adhuc primum ſæpeſæpius divinari poſſet. 2. Per omnia propria nomina ſupereſſet, peculiares characteres invenire, ſed præmiſſo claſſis charactere, ſub qua comprehenditur unus, non oporteret, quam in extenſum eum ſcribere poſt idem nomen; ſic *Aſſyriam*, *Ninivem*, *Sardanapalum* cum nomina viſſet, ſufficeret characteribus *Regni*, *Urbis*, *Regis*: eodem modo in extenſum deinde ſcribere nomina *Aſſyriam*, *Ninivem*, *Sardanapalum*,

(*) Apud Chemicos adhuc metalla ſignis exprimuntur.

lum. 3. Idem fieri poſſet cum nominibus *metaphyſicæ*, *phyſicæ*, *botanicæ*, *Medicinæ*, *Chemiæ*, *Anatomis*, *Matheſeos*, omnibus demum tecnicis ſcientificiſque nominibus, quæ majori linguarum parti communia ſunt.

Hoc peracto, non remanerent, quam eæ res quæ in qualibet lingua nomen diverſum habent, quod diverſo charactere ſigneretur. Sed adhuc ad has ratione habita, numerus diſtinctivorum characterum facilius ad medietatem, & minus poteſt reduci. Omne perinde nomen tenet ſuum contrarium, quod exprimit negationem, vel oppoſitionem, ut *Calidum* & *frigidum*, *amor* & *odium*, *dies* & *nox*, *motus* & *quies*, *vita* & *mors* &c. Duobus ſignis ſtatutis, *negationem* uno exprimente, altero *oppoſitionem*, ſufficiet excogitare diſtinctos characteres per ſolas poſitivas ideas; nam negativæ & contrariæ ſatius exprimerentur ab iiſdem characteribus, additis conſtantibus ſignis negationis, vel oppoſitionis. Sic *frigus* cum *caloris* charactere exprimetur, negativo ſigno poſito; *odium* cum illo *amoris*, addito oppoſito ſigno. Adhuc multa, quæ inter ſe relationes *coeſiſtentiæ*, *cauſæ*, *effectus*, *dependentiæ* &c. habent uno eodemque charactere facile poſſent ſignari, addito ſigno conſtante, ut *Patris*, *filii*, *Domini*, *famuli* &c.

Ubi ſtudium requireretur, in determinando præciſum nominis ſenſum, ut & ideas præciſas in eo contentas. Omnis lingua eſt vagis terminis plena, qui adhibentur, vel nullam ideam determinatam eis annectendo, vel indiſtincte ad eandem ideam exprimendam in uſum veniunt. Ex lingua ergo characteriſtica 1. omnia vera ſinonima abſolute excludi debent; 2. omnes termini qui comuniter tanquam ſinonimi in linguis adhibentur, & quamquam eandem ideam exprimant rudim, diſtinguntur quoque per aliquam parvam differentiam, vel gradus; poſtquam tanta præciſione fuit ſenſus ſtatutus, deberent eodem peculiari charactere termini ipſi indicari; opportunis additis ſignis, quibus diſtinguerentur. Hoc modo præter quam quod iterum numerus characterum minueretur, daretur quoque linguæ ille præciſionis gradus, qua omnes magis, vel minus carent. Nec difficilius eſſet, ad hanc præciſam determinationem pervenire. In lingua jam efformata, quæ *ex. gr.* italica eſt, velle omnis nominis ſenſum præciſe figere, difficillimum eſſet; non eſt enim apud philoſophum, hunc potius, quam illum ſignificatum dare; convenit, ſequi uſum

Che norma è del parlar, arbitro, e giudice,

& qui eodem tempore varius, ac incertus eſt, & multoties contradictorius. Sed in novæ linguæ formatione, determinatio ſignorum omnis ab auctore pendet, nec aliud ille facere debet, quam

quam exactam idearum analyſim, ut examinentur quæ ſignum diſtinctum requirant, & contra, in quo meditationes celeberrimorum metaphyſicorum, & medioctis linguarum cultiorum maximo eſſent auxilio.

Statutis characteribus ſubſtantivorum, major labor eſſet completus; omnia adjectiva enim quæ ex ſubſtantivis proveniunt, ut *Celeſtis*, *terreſtris*, *marinus*, *lucidus*, *tenebroſus &c.* cum characteribus eorundem ſubſtantivorum ſignificarentur faciliter, tantum addito ſigno conſtante quod indicaret adjectivum. Verum eſt, quod contra plura ſubſtantiva ſunt, quæ ab adjectivis originem trahunt, ut *magnitudo*, *parvitas*, *moleſtia*, *lætitia &c.* Quo caſu videretur, quod ſimplex character adjectivum indicaviſſet, & quod ſignum coſtans ſubſtantivo ab eo derivato pro illo addere. Sed in lingua characteriſtica attendendum eſt magis ad naturam vocabuli, quam ad ſuam originem, quæ in variis linguis varia eſt, & a cerebroſitate primorum inſtiturorum, ac a caſu pendet potius, quam ab alio. Simplex character deberet itaque exprimere conſtanter ſubſtantivum; & adjectiva vel a ſubſtantivis orientur, vel ea producant, omnia ſignanda erunt, coſtante ſigno; taliter ut primo intuitu ſtarim poſſit percipi qualem characterem ſubſtantivum haberet, & qualem adjectivum.

Ut comparativa indicemus, nobis uſus viget, adverbia *plus* & *minus*, nominibus præmittere, & Galli præmittendo particulam *tres* exprimunt quoque ſuperlativa, non ſecus ac diminutiva, & augmentativa cum adjectivis *petit*, & *grande* indicant, quando decreſci, vel augeri debet ſubſtantivi valor, & cum adverbiis *peu* & *beaucop*, quando id cum adjectivo eſt faciendum. Ars ergo clariſſima eſt, cum qua eadem adhuc in lingua characteriſtica faciliter diſtingui poſſent. Pauca coſtantia ſigna pro hoc valebunt, quorum unum pro articulo deberet figi, cujus quantum interſit uſus ad nominum determinationes ſcimus perbelle.

Quoad nomina non eſt quærendum, quam diſtinctiones *generum*, *numerorumque*. Circa hæc, coſtans ſignum, quod *plurale* indicet, ſufficere poſſet: nam nomina omnia quæ non habebunt illud, videntur, *ſingularia* eſſe. Parva modificatio ejuſdem ſigni poſſet uti ad exprimendum *duale* Græcorum Ebræorumque: etſi cum illud ſit non uſitatius, commode omitti poſſet, quemadmodum revera deficiebat abſque defectu latinæ linguæ, & actualiter cultioribus inter recentiores linguas deficit. Quoad genera jam animadverterimus (*App. Cap.* 1.), quod non ſunt neceſſaria, præter in animalium nominibus, & circa hæc ſufficient duo coſtantia ſigna, quorum unum iudicet *maſculinum*, ſecundum *femininum*. Reliqua nomina ex neutro genere erunt, videlicet nullius, & conſequenter nullum ſignum debent habere; ex hoc ſequitur utilitas, quod nomina, ſignis genericis indicata, animale ſtatim ſignent.

gnent. In adjectivis inutile eſt advertere, quod ſicuti ipſa debent ſumere omnes ſubſtantivorum modificationes ad quas pertinent: ſic debebunt habere ſignum generis, vel numeri, quod ad ſuum ſubſtantivum pertinet, & eo deficere, quando hoc deeſt.

Pronomina in numerum adjectivorum intrant, ut alibi diximus (*App Cap* 1.), & tam parva ſunt, quod paucis ſignis poſſent faciliter eis ſupplere.

Verba quæ a nominibus veniunt adhuc plurima ſunt. Notum eſt, hæc poſſe quoque exprimi clare ſine novorum characterum inventione, ſe cum eiſdem nominum reſpondentium. Sola additio conſtantis ſigni ſufficiet, verbum indicare. Sed hæc ſigna inprimis tria diverſa eſſe debent; unum propter *intranſitiva*, alterum propter tranſitiva activa, & tertium propter tranſitiva paſſiva. Secundo character ſolus cum ſolo verbali ſigno non poſſet, præter infinitum ſegnare. Aliis ergo ſignis erit peropus ad perſonas diverſas indagandas, ut & diverſa tempora, ac diverſos verborum modos. Sed quoad perſonas ſufficiet, nominum perſonalium characteres præmittere; quoad tempora, illos temporis adverbiorum; & quoad modos, tum quatuor conſtantibus ſignis indicativum, imperativum, optativum, conjunctivum faciliter exprimentur.

Aliud conſtans ſignum adhuc ſufficiet pro *participiis*, quorum, vellem, unum pro quolibet tempore ſigeretur, ut Græci faciunt, ad quod non requireretur, quam temporis adverbia addere. *Gerundia* a noſtra italica lingua excludenda ſunt ex propria ſua natura; nam gerundia italica latinis, ac Græcis participiis æquivalent; ſic *amando*, & *amans* latinorum, *avendo amato* eſt [illegible] Græcorum; & latina gerundia non ſunt, quam infiniti caſus, quæque ideo propoſitionibus infinito præmiſſis optime exprimentur, ut *amandi, di amare, in amando, in amare, ad amandum, ad amare*.

Adverbia, vidimus (*App. Cap.* 1.), omnia æquivalere ex propria natura ad unum, vel plura nomina tum una propoſitione. Sic *ora*, hoc tempore exprimit, *qui*, hoc loco, *dolcemente* cum dulcedine, Sufficiet ergo pro iis eodem nominum charactere uti, addito conſtante ſigno, quod adverbium demonſtret.

Multæ ex vocibus, quæ inter *propoſitiones* per ſe ipſas ponuntur non ſunt, quam adverbia: *Sub*, *ſuper*, *intus*, *extra*, *ante*, *retro &c.* aperte ſignificant in loco inferiori, ſuperiori interno, externo, anteriori, poſteriori &c. Pro illis ſerviet ergo ipſorum adverbiorum ſigna, & ita reducentur ad pauca quæ debebunt habere peculiaria ſigna, ut *a*, *per*, *in*, *da*, *con*.

Ex *conjunctionibus* multæ trahuntur quoque ipſæ a nominibus, ut indigitavimus (*App. Cap.* 1.). propria ſigna non ſunt ita-

que

que inſtituenda, quam pro quibuſdam. ut *o*, *ſe*, *ma* &c.

Interpoſita demum, cum non ſint præter expreſſiones naturalis ſonus, & omnibus nationibus ideo communia, poſſent relinqui, ut ſunt, & ubi inſtitui vellent adhuc pro iis nova ſigna, ſunt ipſa in tam parvo numero, quod parum requirent laborem.

En ergo breviter tota lingua. Res phyſicæ quæ poſſunt exprimi cum figuris, non requirent inventionem unius ſigni, quia ex figuris eiſdem erunt clare indicatæ; & ſicuti nomina ejuſmodi rerum plus quam dimidiam partem unius linguæ amplectuntur, inventionis ſigna non neceſſaria erunt, quam per reliquam medietatem. Sed hujuſmodi pars major conflatur propriis nominibus, & nominibus *tecnicis*, ac ſcientificis, quæ, ſtatutis characteribus univerſalium claſſium ſcribi poſſent in extenſum poſt ipſa, abſque ſigni peculiaris inventione. Nomina interdum quæ poſcere poſſent hæc inventionis ſigna, ad minus, quam quartam partem, reducentur: hujus quartæ partis medietas retinebitur propter ſigna negationis, & oppoſitionis; & quam octava pars non remanebit. Et hujus octavæ partis plus, quam medietas auferetur, omnia vera ſynonima omittendo, & eodem charactere aliquantulum modificato, illa indicando quæ diverſos unius ejuſdem ideæ gradus exprimunt. Ex decimaſexta parte, cujus quaſi medietas remanebit, ſimbolicis characteribus jam introductis, imaginibus alluſivis, ſignis ſimilitudinis, cauſæ, effectus, dependentiæ, conſiſtentiæ &c. faciliter poſſent explicari. Et ita nos reducimus ad 32. partem nominum unius linguæ. Et hæc partim complectentur ideas ſimplices, & partim ideas compoſitas. Circa ultimas, explicari faciliter nonne poſſent, conjungendo ſimul eorum idearum ſimplicium characteres? immo hic nonne eſſet modus magis phyloſophicus? Signa ſimplicis inventionis non eſſent itaque amplius neceſſaria, niſi per ſolas ſimplices ideas, quæ cum nulla ex dictis artibus indicari poſſent, unuſquiſque videt, ad quam pauca reducerentur. Statutis ita ſubſtantivis cum paucis coſtantibus ſignis, ex his eiſdem eruerentur quaſi omnia adjectiva, adverbia, verbia, participia, & non inveniendi erunt quam pauci characteres, vel potius conſtantia ſigna pro quibuſdam præpoſitionibus, conjunctionibus, interjectionibus, quæ ex propria natura exprimunt non ideas, ſed modificationes, vel idearum qualificationes.

Per characteres pure arbitrarios ego uterer literis Alfabeti, cum ſim certus ultra neceſſitatem eas habere. Solus enim commune alfabetum mihi formaret 46 rotundas inter majuſculas, & totidem corſivas, quibus addendo multiplices literas *ex. gr.* *s ſ*, *i j*, *u v*, duplas ut *ſſ ff*, compoſitas ut *ſt*, *ß*, adbreviata ut *q.* *k.* *&c.*, & id tam in rotundis characteribus quam in corſivis,

ſivis, ultra centum numerarem. Hic numerus duplicaretur, vel triplicaretur characteribus diverſæ magnitudinis utendo, ut *Canoncino* a, Teſtino a & garamoncino a, qui difficiliter confundi poſſunt. Si non ſufficeret id, recurrerem demum ad Alfabeta, Græcum, Hebraicum, Germanum, Arabicum &c. Hæc literarum ejuſdem generis multiplicitas ſervire nimis poſſet in aliquibus nominibus ad eoſdem gradus, ejuſdem ideæ, vel notionis exprimendos: ſic ope variorum a indicari poſſent gradus diverſi *voluptatis*, & cum eiſdem, poſito ſigno oppoſitionis, vel negationis, diverſi gradus *doloris*. Quam ad conſtantia, ſigna Apoſtrofe, accenti varii, punctum, quo angli quantitates fluentes exprimunt, lineæ ſuper characteribus poſitæ, quibus indicantur prima ac ſecunda minuta, numeri ſuperius poſiti, quibus potentiæ in algebra ſignantur &c. ſatis nobis ea darent.

Vocabulario ſic efformato, conveniret ad grammaticam venire, circa quam non oporteret novam regulam excogitare. Cum reſpicerentur enim nomina, diſtinctio ſubſtantivi & adjectivi, & in ambobus illi generis, ac numeri: cum haberemus in verbis diſtinctionem perſonæ, numeri, temporis, modi; cum haberemus propoſitiones nominibus præmittendas, juxta relationes, quas habebunt vel inter ſe, vel cum verbis, lingua locupletabitur eo omne quo oportet, ut adhibeatur ea iiſdem regulis, quas Italici, Galli, Anglici, Hyſpani actualiter obſervant.

In characterum locatione non oporteret adhuc nova regula. Eo modo, quo omne verbum ſejunctum ſcribitur, deberet ſcribi quilibet character ei reſpondens. Non jungendi erunt, quam illi characteres, vel ſigna, quæ ad ſolam notionem formandam concurrunt, vel quod loquendo exprimerentur, vel unico verbo poſſent exprimi: Puncta, virgulæ, Parenteſes &c. adhuc cæ omnes ad modum ordinarium poni deberent.

Ex compendioſo tentamine argumentari facile poteſt, quam planum eſſet, linguam characteriſticam formari, & quam faciliter poſſet apprehendi, ſtatim ac eſſet conſtituta. Hic deficerentur infleſſiones nominum, verborumque, quæ in nonnullis linguis, ut in Græca, tyronibus potiſſimum, tam pænam afferunt: nec eſſet hic cumulus regularum ac exceptionum, quæ multoties regulas generales adæquant. Ex hoc præſcriberentur ſynonima, quæ vocabulorum numerum augendo, adaugent difficultatem ea diſcendi; nomina quæ exprimunt modificationes ejuſdem ideæ, viderentur characteribus ejuſdem generis indicata; nomina ideas compoſitas exprimentia, cum characteribus ſimplicium idearum, quæ ea componunt; quod ſerviret ad adæquatas rerum

ideas

by Google

ideas ſuppeditandas, & omnes definitiones omittendes. Adjectiva, adverbia, verba, participia ab eodem ſubſtantivo pendentia, eſſent expreſſa a charactere ejuſdem ſubſtantivi, itaque poſt hunc apprehenderentur, quoque reliqua. Characteres idearum poſitivarum cum diſtinctione parvi conſtantis ſigni, adhuc venirent per negativas & contrarias, & per eas quæ ſecum haberent relationes ſimilitudinis, cauſæ, effectus, dependentiæ, coeſiſtentiæ &c. quod infinite juvaret ad relationes ſtatuendas. Uſuſ regularis ſignorum conſtantium primo intuitu diſtinguere faceret ad qualem orationis partem quilibet character referatur, quod magnæ utilitatis eſſet ad eorum ſignificatus intelligere. Uſu faciliter characterum univerſalium, ſpecificis, ac individualibus nominibus præmiſſorum, ſtatim diſtingui poſſet, ad quam claſſem quodlibet nomen pertineat, quod ſæpius ſufficeret, ad internoſcendum objectum ab eo expreſſum. Ultra quam quod characteres imitativi oculo darent eadem objecta, adeo ut ea videre, ac comprehendere, unicus eſſet actus. In qua lingua inveniri poſſent tot utilitates, facilitateſque conjunctæ?

Hoc omni poſito, eſt ne ſperandum, ejuſmodi linguam poſſe unquam inſtitui? Vel ſi formaretur, quod generaliter introduceretur? Conveniret, quod unuſquiſque voluptatem, propriam ſcribendi linguam, relinquere: voluptas quæ augetur in diem in omnibus nationibus. Alioquin non efficeretur, quam ſuperfluam linguam introducere, ſaltem conveniret, omnia opera graviora ederentur in hac univerſali lingua, & in eam verti adhuc uſque edita. Sed quomodo poſſumus tam magnam revolutionem ſperare?

LIBER QUARTUS.

DE

COGNITIONE.

CAPUT I.

De cognitione in genere.

§. I.

Cognitio noſtra circa ideas verſatur.

QUandoquidem *mens*, in cogitationibus & ratiociniis ſuis omnibus, non aliud habet objectum proximum, præter ſuas ipſius *ideas* (75), quas ſolas poteſt, aut ſolet contemplari, perſpicuum eſt, cognitionem noſtram circa noſtras ideas tantum verſari.

(75) Lockius hic ait, objectum mentis in ſuis cogitationibus & ratiociniis eſſe ſuas ipſius ideas. Credit ille, ut alibi diſputavimus [2. *tom.* 2.] ideas in mente locari, & tanquam imagines in cera retineri. Nos noſtram ſententiam expoſuimus [92. *tom.* 1.] animam non habere quam ideas, ita dicam, potentiales, quatenus in ſeipſa conſideratur; actuales ideæ pendent enim a ſignaculis in cerebro, ejuſque fibrillis nerveis formatis. Que-

§. II.

Cognoſcere eſt idearum *duarum convenientiam, aut repugnantiam percipere.*

COgnoſcere, itaque mihi videtur, nihil eſſe aliud, *quam idearum quarumvis connexionem & convenientiam, ſive oppoſitionem & repugnantiam percipere.* Scientiæ hæc ſumma eſt. Ubicunque hæc perceptio, ibi eſt cognitio, ubi non eſt, ibi, etſi opinionibus fortaſſe, aut conjecturis ducamur, cognitio noſtra vacillat & claudicat. Quando enim ſcimus, *album non eſſe nigrum*, quid aliud tum, quam duas haſce *ideas*, haud inter ſe convenire, percipimus? Quando demonſtrationis iſtius, *tres*, nimirum, *Angulos trianguli æquales eſſe duobus rectis*, liquido nobis veritas explorata eſt, quid aliud percipimus, quam hoc, *τό* æquale eſſe duobus rectis, connexum eſſe neceſſario cum tribus angulis trianguli (76)?

§. III.

Quomodo intelligeretur alioquin defectus, vel alteratio idearum, quas mens nacta fuit, ex cerebri commotione, læſioneque? Si ideæ in mente inveniuntur, quid ad earum ordinem, ac naturam, & præciſionem conferunt undulatio, alteratio, commotio fibrillarum cerebri, ac ſpirituum? Credimus ergo, quod anima attendendo ad ſigna objectorum externorum in cerebro locata, characteres, ac relationes contemplando, internoſcit objecta, & a reliquis, ob differentiam ſpecificam, quam in characteribus adinvenit, ſejungit ac perpendit, quapropter eorum *cognitionem* acquirit; & per conſequens, quoad *materiale*, ita dicam, ex ideis, vel ſignis cerebro repoſitis; quoad *formale* ex vi noſtræ mentis ipſa ſigna percipiendi, cognitio noſtra, tota quanta eſt, dependet profecto.

[76] Dubito quin definitio *cognitionis* data ab Auctore noſtro ſit illa quæ eſſe debeat. Communi ſenſu nos aliquid *cognoſcere*, dicimus, quando rerum extra nos poſitarum nobis ſumus conſcii, per conſequens videtur, *cognitionem* eſſe, illam actionem, qua mens quid ſibi clare repræſentat; Si hæc definitio vera eſt, ruit illa Lockii, nam *percipere idearum convenientiam, oppoſitionem, & re-*

§. III.

Convenientia hæc quadruplex eſt.

Convenientia autem, aut repugnantia hæc in quonam ſit poſita, ut diſtinctius paulo intelligamus, ad quatuor hæc genera revocari poteſt:

1. *Identitatem* aut *diverſitatem*.
2. *Relationem*.
3. *Coexiſtentiam*, aut *connexionem neceſſariam*.
4. *Realem exiſtentiam*.

§. IV.

Primo, identitatis aut diverſitatis.

Primo, quod ad primum genus *convenientiæ*, aut *inconvenientiæ* attinet, nimirum ad *identitatem*, aut *diverſitatem* (77); Prima eſt & præcipua agitatio

men-

& *repugnantiam* eſt quid magis, quam ſimpliciter cognoſcere. Verum eſt, quod ad individuandum objectum, requiritur ſeparatio illius ab omnibus aliis, mente facta, ſed verum eſt adhuc, quod non requiritur præciſio ſuorum characterum, & ſpecifica differentia, quæ adeſt inter eos, ad cognitionem ipſius, ut videtur, Lockium aſſeruiſſe. Quando dicimus, *differentiam ſpecificam*, vel quod idem ſonat convenientiam, vel diſconvenientiam duarum idearum *cognoſcere*, quid a cognitione diverſum dicere putamus. Itaque quod hic Auctor ſumit pro cognitione *judicium* potius eſt, etſi quid a judicio diverſum videatur; Quando mens percipit idearum convenientiam, vel repugnantiam, & ſe in hac idea ſiſtit, judicat; quod eſt actus a cognitione diverſus. Quando poſtea conſcia eſt iſtius determinationis, & alio opportuno tempore, neglecta omnimoda comparatione, ſibi propoſitionem, vel objectum, repreſentat quod olim acquiſivit, vel enucleavit, tum *cognoſcere*, mea ſententia dicitur, & repræſentatio mente facta *cognitio* appellatur.

(77) Eſt diſceptandum, ut arbitror, an percipere *identitatem*, aut *diverſitatem* ſit ſimpliciter *cognoſcere*; communi ſenſu dicimus, *cognovi idem eſſe*, ergo quid aliud ſonat, quod actum diverſum indicat.

mentis, qua, quamprimum notionibus, aut *ideis* quibuſdam imbuitur, *ideas* ſuas diſpicere, & quatenus eas diſpicit; ſcire, quid unaquæque ſit, atque eo pacto diſcrimen illarum, atque alteram non alteram eſſe; percipere poteſt. Hoc adeo neceſſarium eſt, ut ſine eo mens neque cognoſcere (78), neque imaginari, neque ratiocinari, nec etiam ullos diſtinctos conceptus habere poſſet. Hinc eſt, quod mens clare & certo perſpiciat *ideas* ſingulas ſibimet ipſis convenire, atque illud eſſe, quod ſunt: Et e contrario diſtinctas omnes *ideas* non convenire, hoc eſt, alteram non eſſe alteram. Hoc facile, & nullo negotio facit, nec rem unam ab alia inferendo, verum primo intuitu, facultate ſua naturali res percipiendi, dijudicandi. Et licet, qui artibus, & ſcientiis operam dant, hoc ad generales iſtas regulas revocarint. *Quicquid eſt, eſt; atque impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ut, quoties opus fuerit, ad eas recurrant; certiſſimum tamen eſt, facultatem hanc, cum primum exercetur, circa particulares *ideas* verſari. Homini exploratiſſimum eſt, quamprimum iſtæ in mente agitantur, *ideas albas* quas vocat & *rotundas*; eas eſſe, quæ ſunt, & non alias iſtas, *rubras* quas vocat, aut *quadratas*. Nec ullum pronunciatum, aut axioma efficere poteſt, ut certius illud cognoſcat aut clarius, quam antea, ſine ulla iſtiuſmodi regula generali. Hæc itaque prima eſt convenientia, aut repugnantia, quam mens in ideis ſuis, idque primo ſemper intuitu, percipit: Et ſi quando dubitatio quædam accidit, deprehendemus quoque eam ſemper circa nomina eſſe, non circa *ideas* ipſas; illæ enim nec prius, nec dilucidius percipientur, quam identitas & diverſitas illarum; nec aliter quidem ſe res habere poteſt.

§. V.

(78) Hæc omnia ſunt potius complexus cognitionum, non ſimplex alicujus rei cognitio.

§. V.

Secundo relationis.

SEcundo. Proxima, quam mens in quibuſdam *ideis* ſuis percipit, convenientia aut repugnantia, *relativa* dicenda eſt, atque nihil eſt, niſi *relationis contemplatio inter duas quaſdam ideas*, ſive ſubſtantiæ ſint, ſive Modi, aut alterius generis cujuſvis. Quandoquidem enim, diſtinctas omnes *ideas* non eaſdem eſſe, ſemper extra dubium haberi, & proinde alteram conſtanter, atque univerſe de altera negari neceſſe eſt; nullus omnino reali, & poſitivæ ſcientiæ locus eſſet, ſi inter *ideas* noſtras relationem nullam, nec eam, quam inter ſe habent, prout a mente alio atque alio modo comparantur, convenientiam, aut repugnantiam cerneremus.

§. VI.

Tertio coexiſtentiæ.

TErtium genus convenientiæ, aut repugnantiæ inter *ideas* noſtras, circa quas mentis noſtræ operationes verſantur, *coexiſtentia* eſt, aut *non coexiſtentia* in eodem ſubjecto; & hæc ſubſtantiarum tantum propria eſt. Ita nimirum quando dicimus, *aurum* eſſe fixum, nihil aliud intelligimus, quam fixitatem, ſive potentiam, qua vim flammarum ſine ullo detrimento patitur, *ideam* eſſe, quæ ſemper conjuncta ſit cum peculiari iſta flavedine, pondere fuſilitate, & ſolubilitate in *Aq. Regia*, quæ conficiunt *ideam* complexam, *auri* nomine ſignatam.

§. VII.

Quarto, realis exiſtentiæ.

QUartum & ultimum genus eſt, *actualis exiſtentiæ* & *realis* cum idea quadam congruentis. Intra quatuor hæc genera convenientiæ, aut repugnantiæ, omnis, puto, noſtra cognitio continetur. De noſtra enim *idea* quavis, neſcio, quid aliud ſcire, aut affirmare poſſumus, quam hæc: eam eſſe, aut non eſſe eandem cum alia aliqua; eam cohærere ſemper, aut non cohærere cum alia *idea* in eodem ſubjecto; eam hoc, aut illo modo ad *ideam* aliam referri; aut extra mentem realem habere exiſtentiam. Ita nempe *cæruleum non eſt flavum*, eſt *identitatis*. *Duo triangula, quæ inter lineas parallelas baſes habent æquales, ſunt æqualia*, eſt *relationis*. *Ferrum magnetis impreſſiones ſuſcipit*, eſt coexiſtentiæ. *Deus eſt*, realis exiſtentiæ eſt (79). Etſi identitas, & coexiſtentia nihil revera ſunt aliud, quam relationes, *idearum* tamen noſtrarum convenientiæ, aut repugnantiæ peculiarem adeo rationem continent, ut ſeorſim, non ſub relatione in genere, mihi collocanda videantur; affirmationis enim & negationis fundamenta plane adeo diverſa ſunt, ut illud facile perſpicuum omnibus eſſe poſſit, qui ea diligenter attenderint, quæ in variis Tractatus hujuſce locis ſæpius dicta ſunt. Cognitionis noſtræ hic varios gradus proxime inveſtigarem, niſi neceſſarium prius eſſet, explanare, voci *Cognitionis* quam diverſi ſenſus ſint ſubjecti.

§. VIII.

[79] Menti potius obverſatur [92. *tom.* 1.].

§. VIII.

Cognitio actualis, vel habitualis.

MOdi ſunt diverſi, quibus mens verum exquirit, quorum unuſquiſque *Cognitio* vocatur.

I. *Actualis* eſt *Cognitio*, quando mens quarundam *idearum* ſuarum convenientiam, aut repugnantiam, aut relationem, quam inter ſe habent, coram intuetur.

II. Propoſitionem aliquam cognoſcere quis dicitur, qui, quamprimum menti objecta erat, *idearum*, e quibus conflata eſt, convenientiam, aut repugnantiam clare ſtatim perſenſit; atque ita memoriæ eam affixit, ut quamprimum propoſitio iſta mentem (80) denuo ſubit, id, quod verum eſt, ſtatim aſſequatur, atque iſti, tanquam rei notæ, & exploratiſſimæ, aſſentiatur. Hæc puto, dici poteſt *cognitio habitualis* (81). Atque hoc modo dici quis poteſt omnes iſtas veritates cognoſcere, quæ perfecte prius & plane adeo perceptæ, ut, contemplanti eas rurſus animo, id extra dubium ſit, in memoria reconduntur (82). Quoniam enim intellectus noſter, cujus vis, & facultas finita eſt, non niſi rem unicam uno in-

[80] Habitus eſt „ facultas qua actus tam internos, quam externos anima expeditius edit [*t. tom.* 1.] ergo cognitio *habitualis* ex dictis eſt„ facilis ac expedita animæ actio, qua quid ſibi repræſentat.

[81] Quando prius fuere perceptæ, ſi ſupponatur magna celeritate, ac promtitudine perceptæ fuiſſent, actus quo percipiebantur, erit ne cognitio habitualis? Habitus non requirit eoſdem actus identicos ſed reſpective eoſdem; quando anima adipiſcitur, propter attentionem præſtitam, quæ eſt ſibi habitualiter comparata, facultatem rapide objecta percipiendi, dicitur tum, minori tempore, minorique labore illam actum perceptionis conficere, ergo tum cognitio habitualis eſt, etſi novi objecti reputetur? Quid ego refert, quod ſit propoſitio nec ne in memoria repoſita?

[82] Hac de re *V. adn.* §. 77. ſſ. 11. *tom.* 1.

intuitu clare & diſtinctæ contemplari poteſt (83) in ſumma nos rerum ignoratione verſaremur, ſi præter illud quod cogitatione actu complectimur, nihil omnino amplius ſciremus; atque is, cujus cognitio latiſſime pateret, unam tantum veritatem ſciret, cum non plura ſimul mente contrectare poſſet.

§. IX.

Cognitio habitualis duplex.

COgnitionis habitualis, prout vulgo ſpectantur, gradus & genera duo ſunt:

Primo. Altera eſt *veritatum in memoria ita reconditarum, ut, animo quandocunque objiciuntur, is relationem inter ideas iſtas actu percipiat*. Hæc in omnibus iſtis veritatibus occurit, quarum habemus *cognitionem intuitivam*, ubi nimirum *ideæ* ipſæ eam; quam inter ſe convenientiam habent, aut repugnantiam, animo eas intuentibus ſtatim palam faciunt.

Secundo. Altera eſt *veritatum, de quibus cum ſemel fuerit convictus, illud in memoriam remanet, etſi quæ fidem fecere, argumenta forſitan exciderint*. Ita nimirum qui certo reminiſcitur, dilucide ſibi ſemel olim demonſtratum fuiſſe, *tres angulos trianguli æquales eſſe duobus rectis*, illud ſe ſcire certiſſime credit: quoniam de veritate iſtius dubitare nequit. Quoniam vero demonſtratio animo excidit, verius dicitur, fidem habere memoriæ ſuæ, quam rem cognoſcere; potius dicendum eſt, perſuaſionem iſtam medium tenere inter opinionem & cognitionem, fide nempe iſta majorem, quæ aliorum teſtimonio nititur, perfecta autem cognitione minorem. Quoniam enim

(83) Repetimus quod diximus [76.] & in adn. a. r. 1. tom. 1.

enim *cognitio* conſiſtit in clara perceptione relationis duarum quarundam *idearum*, vel immediata *juxta poſitione*, ut in *cognitione intuitiva*: vel *idearum* aliarum interventu, quæ relationem, quam ad ſe invicem habent, immediate patefaciant, ut in *demonſtratione* (84), mens proprie dici non poteſt, vel habituali cognitione imbuta eſſet, ubi argumentorum habitualem intuitum non habet; ubi demonſtrationis non ita recordatur, ut, quando demonſtratio iſta in memoriam iterum revocata fuerit, poſſit *idearum* iſtarum connexionem percipere, interventu aliarum *idearum*, quarum immediata connexio, aut relatio ad ſe invicem, extremorum relationem oſtendit (85). Interim tamen, ſi dicendum quod res eſt, profiteor, me, hac re bene in animo volutata meo, non amplius dubitare, quin hæc cognitio, de qua jam agimus, perfectam certitudinem in ſe contineat, & ita reipſa ſit vera cognitio. Id autem, quod principio nobis fucum facere in illa re poteſt, in eo conſiſtit, quoniam in hoc caſu non eodem modo Idearum convenientiam aut repugnantiam percipimus, quo quidem id factum erat primo loco, ſcilicet per actualem omnium Idearum intermediatarum viſionem, quarum beneficio convenientia, aut repugnantia Idearum, quæ in Propoſitione continentur, tunc cognoſcebatur; ſed per alias mediatas ideas, quæ nobis convenientiam, aut repugantiam Idearum, in Propoſitione occurrentium, exhibent, cujus certa veritas nobis per reminiſcentiam eſt cognita, & perſpe-

[84] Hoc ſenſu idiotæ habituali cognitione carent, nec inveniri poteſt, quam apud homines ſcientiis imbutos. Ulterius inter ſcientiam & cognitionem alicujus rei, qualis eſſet differentia? Arbitror, quod cognitio majoris gradus indicet ſcientiam.

[85] Modificat ſuam propoſitionem, & ad noſtram ſententiam accedit.

ſpecta. Exemplo ſit hæc Propoſitio: *tres anguli trianguli æquales ſunt duobus rectis;* quicunque vidit & clariſſime cognovit hujus veritatis demonſtrationem, cognoſcet, eam propoſitionem etiam tunc veriſſimam eſſe, cum demonſtratio animo ipſius effluxerit adeo, ut neque eam amplius intueri, neque etiam fortaſſe revocare in memoriam ullo modo poſſit; ſed alia, quam antea, ratione illud cognoſcit. Duarum idearum, quæ in hac propoſitione conjunguntur, convenientiam ſentit, ſed hoc fit aliarum Idearum interventu, & non earum, quæ primo loco hanc perceptionem produxerunt. Reminiſcitur, hoc eſt, cognoſcit; (nam reminiſci nihil aliud eſt, quam rei cujuſdam præteritæ renovatio) quod olim fuerit confirmatus in hujus propoſitionis veritate, *tres angulos trianguli æquales eſſe duobus rectis* (86). Immu-

[86] *Identitatis* vocabulum barbarum eſt, ſed communi uſu receptum. denotat illam affectionem, qua entia ſunt eadem. Dicimus duo eſſe eadem, quando ſibi mutuo poſſint ſubſtitui, & facta ſubſtitutione nulla oritur mutatio. *Ex. gr.* ſit *A* & *B*; ſi continet *A* omne id quod continet *B*, vel reperitur in *A* quod reperitur in *B*, hæc duo dicuntur eadem, ſed *abſolute eadem*; ſi poſtea *A* continet tantummodo aliquid, quod eſt in *B*, tum *A* & *B* dicuntur eadem, ſed *reſpective eadem.* $a \cdot a = a^2$ ſunt abſolute eadem, ut & abſolute eadem ſunt *bis duo*, & *quatuor*. *Brutum*, & *homo* ſunt *reſpective eadem*, quatenus vivunt, & ſentiunt, per conſequens quid quod eſt in homine, eſt in bruto.

Adeſt quoque *identitas ſpecifica*, quæ eſt convenientia plurium individuorum conceptu ſpecifico, ut *ex. gr. Petrus*, *Cajus*, *Mevius*, omnes conveniunt in conceptu *hominis*. Si poſtea plures ſpecies conveniunt inter ſe in conceptu, oritur identitas generica, quæ eſt convenientia plurium ſpecierum in conceptu generico. Ut *anima*, *Angeli*, *Deus* habent *identitatem genericam*, quatenus conveniunt in notione *ſpiritus*.

In rebus Divinis ſolet diſtingui *identitas eſſentialis* ab *identitate*

mutabilitas earumdem inter eaſdem immutabiles res relationum eſt in præſenti hæc idea, quæ illum certiſſimum reddit, quod, ſi tres anguli trianguli ſemel fuerint duobus rectis æquales, fieri non poſſit, ut duobus rectis æquales eſſe unquam deſinant. Exinde neceſſario relinquitur, ut, quod ſemel fuit verum, ſemper in eodem caſu ſit verum, &, quæ ſemel inter ſe convenerunt, ideæ ſemper conveniant; atque, quod inde ſequitur, ut mens, quod ſemel agnovit verum, illud omni tempore tanquam verum recognoſcat, quamdiu, illud ſe olim eo modo cognoviſſe, reminiſci poterit, atque ex hoc fundamento in Mathematicis demonſtrationes ſingulares ſuppeditant cognitiones generales. Et certe, niſi hac perceptione tam firme niteretur cognitio, quod nimirum eædem ideæ omni tempore eaſdem relationes habeant neceſſe ſit, nulla daretur in Mathematicis propoſitionum generalium ſcientia; omnis enim Mathematica demonſtratio ſingularis tantum futura eſſet; & ſi quando quis propoſitionem quandam, ad triangulum vel circulum ſpectantem, demonſtraſſet, ipſius cognitio ultra hanc figuram particularem non extenderetur. Si vero vellet hanc latius extendere, neceſſe haberet, ut demonſtrationem ſuam in alio exemplo redintegraret, priuſquam certus eſſe poſſet, quod etiam in ſimili alio triangulo iſta ſic ſe haberet, & ſic porro in reliquis; hac ratione nunquam ad ullius generalis propoſitionis cognitionem pervenire poſſemus. Neque puto, quenquam inficiari poſſe, quod *Newtonus* certiſſime cognoſcat, omnem propoſitionem, quam in præ-

tate perſonali, *ex. gr.* Pater, & Filius ſunt idem *eſſentialiter*, ſed Filius Dei, Dei verbum, & Chriſtus ſunt idem perſonaliter (114. *tom.* 3.) *Diverſitas* opponitur notioni identitatis, ut facile concipitur.

præſenti in ſuo Libro legit, quocunque demum tempore id fiat, eſſe veram, licet actu ob oculos non habeat admirandam illam mediatarum Idearum ſeriem, quarum beneficio primum illius veritatem detexit. Audacter & ſecure affirmari poteſt, talem memoriam, quæ ejuſmodi catenam veritatum particularium retinere poſſet, omnes humanas tranſcendere vires atque facultates; quoniam experti videmus, quod detectio, perceptio & compages hujus mirandæ Idearum connexionis, quæ in excellentiſſimo illo Opere occurrit, maxima ex parte Lectorum comprehenſionem ſuperet. Satis itaque perſpicuum eſt, quod ipſe Autor cognoſcat, hanc vel illam propoſitionem in ſuo Libro eſſe veram, eo ipſo momento, quo in mentem ipſi venit, ſe olim harum Idearum connexionem æque certo vidiſſe, ac ſcit, quendam hominem alterum vulneraſſe, quia, ſe videre ipſius gladium alterius transfigentem corpus, meminit. At vero cum ſimplex recordatio non ſemper tam clara ſit, quam quidem ipſa, quæ actu ſit, perceptio, & temporis ſucceſſu plus aut minus in plurimis hominibus eidem decedat, hæc inter alias cauſa eſt, quæ oſtendit & declarat, *Cognitionem demonſtrativam* multo imperfectiorem eſſe *Cognitione intuitiva*, aut ſimplici viſione, prout in ſequenti Capite videbimus.

CAP.

CAP. II.

De Cognitionis noſtræ gradibus.

§. I.

Intuitiva.

CUm omnis noſtra cognitio, ut dixi, poſita ſit in iſta mentis agitatione, qua *ideas* ſuas contemplatur, quo non majus lumen, aut certitudinem mejorem mens noſtra in hoc naturæ & cognitionis ſtatu, capit, operæ pretium erit, evidentiæ iſtius gradus paululum expendere. Differentia vero iſta, quæ in noſtræ cognitionis claritate deprenditur, in diverſa ratione, qua mens noſtra ſuarum idearum convenientiam, aut diſcrepantiam percipit, conſiſtere mihi videtur. Si enim ad modos noſtros cogitandi attendemus, videbimus, mentem *idearum* duarum convenientiam, aut repugnantiam immediate per ſe, ſine alterius cujuſdam interventu, percipere: atque hæc, puto, *cognitio intuitiva* dicenda eſt. In hac enim, mens nullo probandi, aut examinandi aciem negotio occupata eſt, ſed veritatem haud ſecus perſentit, ac oculos lucem nempe ſuam verſus eam dirigendo. Ita, verbi gratia, mens percipit, *album* non eſſe *nigrum circulum* non eſſe *triangulum*, *numerum ternarium* minorem eſſe *binario*, æqualem verbo *binario* ſimul cum *unitatè*. Hujuſmodi veritates mens ſtatim, *ideis* ſimul perſpectis, nudo *intuitu*, ſine ullius interventu, percipit (87). Huic cognitioni, quæ omnium clariſſima

(87) Quando mens percipit, *album non eſſe nigrum* &c., non eſt

§. II.

Demoſtrativa.

PRoximus cognitionis gradus eſt, ubi mens *idearum* quarundam convenientiam, aut repugnantiam percipit, verum non immediate. Etſi ubicunque mens quaſdam *ideas* ſuas ſibi invicem convenire animadvertit, ibi certa fit cognitio: non ſemper tamen animus eam, ubi perſpici poteſt, convenientiam, aut repugnantiam perſpicit. & exploratam habet; quare, in eo caſu, ignoratione adhuc tenetur aut, ad ſummum, non ultra probabilem conjecturam progreditur. Ratio, cur mens duarum *idearum* convenientiam, aut repugnantiam haud ſtatim aſſequatur, ea eſt, quod nempe *ideæ*, de quarum convenientia, aut repugnantia quæritur, haud ita inter ſe jungi, copularique poſſint, ut ea perſpicua reddatur. In hoc caſu quando mens *ideas* ſuas ſimul ita conjungere nequit, ut ex illarum comparatione ſtatim, & quaſi juxta poſitione, aut de ſe mutua applicatione, convenientia aut repugnantia earum haud innoteſcat, neceſſe habet *idearum* aliarum interventu (unius nempe aut plurium, prout contigerat) eam, quam quærit, convenientiam aut repugnantiam patefacere; & hoc vocamus *ratiocinari* (90). Hoc modo mens, ſcire cupiens,

(90) Dicitur ergo *ratiocinari* „ quando ex duobus judiciis ha- „ bentibus notionem communem, tertia elicitur „ *ex. gr.* comparando animam cum ente indeſtructibili, & ſimplici, poſſe jungi, intelligis, illa duo, & tertiam elicere, per conſequens ita ratiocinium conficiur.

O ens ſimplex eſt ens indeſtructibile
Anima eſt ens ſimplex
Ergo anima eſt ens indeſtructibile.

Cap-

piens, quomodo trianguli anguli tres, cum duobus rectis, quantitate conveniant, aut ab iis diſcrepent primo ſtatim aſpectu, aut comparatione illorum, id præſtare nequit: Hic itaque mens haud immediata aliquam, aut intuitivam cognitionem habet; quoniam trianguli tres anguli ſimul juxta collocari, & cum uno quodam, aut duobus aliis angulis comparari nequeunt. In eo caſu mens alios aliquos angulos neceſſario exquiri; quibus trianguli tres anguli ſunt æquales, & ex illarum æqualitate cum duobus rectis, horum etiam cum duobus rectis æqualitatem colligit.

§. III.

Conſequentia, *anima eſt ens indeſtructibile* ex duobus judiciis derivat, nimirum *ens ſimplex eſt ens indeſtructibile : anima eſt ens ſimplex*. Hæc duo judicia habent notionem communem, ſcilicet *entis ſimplicis*.

Hinc vides I. Ad ratiocinium non plura requiri judicia. II. De quo ratiocinamur, ad genus vel ſpecies debere referri, & quidquid de ſpecie, vel genere ad quid objectum retulimus affirmatur, vel negatur, de ipſo quoque objecto affirmari, vel negari: III. Notas & characteres qui conſtituunt definitionem, cum percipimus. in quodam objecto, ipſi convenire definitum, judicamus; ſi poſtea abeſſe videmus, tunc non convenire dicimus. Pro Tyronibus exemplum addam.

Amor ad *affectus* reducitur, quid quid ergo de affectibus, generatim conſideratis, tu ſentis, ad amorem applica, & conficis ratiocinium hoc modo

O. affectus turbat attentionem.
O. Amor eſt affectus.
E. Oc Amor turbat attentionem.

II. Obſerves Cajum eſſe tranquillum in rebus adverſis. Scies tranquillum eſſe in rebus adverſis hominis patientis eſſe characterem, per conſequens hoc ratiocinaris,

O. Homo qui tranquillus eſt in rebus adverſis eſt patiens
Atqui Cajus eſt tranquillus in rebus adverſis
E. Cajus eſt patiens.

de reliquis vide meditationem noſtram de demonſtratione &c.

§. III.

Argumentis nititur:

MEdiæ ſive intervenientes iſtæ *ideæ*, quibus duarum aliarum convenientia oſtenditur, *Argumenta* vocantur; atque ubi hoc pacto, convenientia, aut repugnantia clare & manifeſte percipitur, *Demonſtratio* dicitur, ex eo nimirum, quod rem ita ſe habere, menti plane *demoſtretur*. Prompta & parata animi celeritas ad intermedias haſce *ideas* inveniendas, (quæ aliarum quarundam convenientiam, aut repugnantiam patefacturæ ſunt), atque accomodate uſurpandas, ea, arbitror, eſt, quam *Sagacitatem* dicimus.

§. IV.

Non facilis adeo eſt.

COgnitio *hæc per argumenta intermedia*, etiam ſi certa ſit, non tamen claræ adeo ac manifeſtæ eſt evidentiæ, nec aſſenſum tam promte elicit, ac in cognitione *intuitiva*. Etſi enim in *demonſtratione* animus *idearum*, quas contemplatur, convenientiam aut repugnantiam tandem aſſequitur; ad hanc tamen inveniendam, ſtudium & attentio, & plus quam ſubitaneus unus intuitus requiritur. Suſcipienda enim eſt certa quædam idearum progreſſio, ſenſim, & gradatim facta, priuſquam mens hac via ad certitudinem pervenire poſſit, & animadvertere convenientiam, aut oppoſitionem, quæ eſt inter duas ideas, id quod non poteſt cognoſcere, niſi per argumenta, mutuo nexu inter ſe cohærentia, & per rationis uſum.

§. V.

Dubitatio ſemper antecedit.

A*Liud diſcrimen inter intuitivam & demonſtrativam cognitionem* eſt, quod licet in poſteriori dubitatio prorſus tollatur, quando *idearum* intermediarum interventu convenientia, aut repugnantia cernitur; ante demonſtrationem tamen dubitatio erat, quæ in cognitione intuitiva menti æque minus contingere poteſt, in qua facultas ſentiendi diſtinctas ideas percipit, ac oculus, qui album a nigro optime internoſcere poteſt, in dubio eſt, utrum atramentum & charta hæc ejuſdem ſint coloris. Oculi, ſi quem omnino viſum habent, chartam hanc quamprimum intuebuntur, quomodo a literis, in ea notatis, colore differat, ſtatim percipient: Similiter animus, diſtincte percipiendi facultate præditus, *ideas* quamprimum intuebitur, quæ pariunt cognitionem intuitivam, convenientiam aut repugnantiam illarum perſpectam habebit. Si oculi videndi, aut animi percipiendi potentiam amiſerint, in illis viſum acutum, in hiſce claram (*) perceptionem fruſtra quærémus.

§. VI.

Non clara adeo eſt.

FAteor equidem, cognitionem iſtam, quam *Demonſtratio* parit, valde perſpicuam eſſe; ſed ſæ-

(*) Vocabulum hoc *Perceptio* ſumitur pro facultate, ut quoque ſupra in eodem ſenſu multis locis uſus fuit hac voce Autor noſter, nempe Lib. II. Cap. IX. quod Caput etiam inſcribitur: *de Perceptione*.

ſæpius tamen obſcurior eſt illuſtri iſta evidentia & perſuaſione penitiſſima, quæ iſtius, quam voco cognitionem *intuitivam*, ſemper comes & ſocia eſt; qua in re prior cognitio poteſt comparari faciei, cujus imaginem plura ſpecula ex altero ad alterum repercutiunt, quamdiu objecti ſpeciem & ſimilitudinem retinet, cognitionem parit; in omni autem ſucceſſivo repercuſſu claritas & diſtinctio primæ imaginis paulatim imminuitur, donec tandem, poſt crebras mutationes multum obſcuratur, nec primo intuitu, ab iis præſertim, quorum oculi hebetiores ſunt, ſciri poteſt. Haud ſecus ſe res habet in iſta cognitione, quæ per longam argumentorum ſeriem producitur.

§. VII.

Quilibet gradus progreſſionis per ſe & per cognitionem intuitivam percipi debet.

CEterum in omni gradu, quo ad demonſtrativam ſcientiam ratio progreditur, neceſſe eſt, ut intuitiva cognitione convenientiam, aut repugnantiam cujuſvis ideæ, quæ inter ſe conjungit ideas, cognoſcat, inter quas hæc intercedit, ut monſtret duarum extremo loco poſitarum idearum convenientiam aut repugnantiam. Hoc ſi non fieret, adhuc eſſet opus argumentis, quibus convenientia aut repugnantia, quam quælibet idea intermedia cum iis, inter quas eſt collocata, habet, oſtenderetur: quandoquidem niſi ejuſmodi convenientia aut repugnantia fuerit percepta, nulla ibi cognitio naſcitur. Si ex ſe liquet, intuitiva eſt cognitio: ſi non per ſe liquet, intermedia aliqua *idea* opus eſt, quæ, communis tanquam menſura, convenientiam, aut repugnantiam oſtendat. Hinc patet, ſingulos progreſſus in ratiociniis, unde cognitio fluit, parere certitudinem intui-

tivam; quæ quamprimum menti perſpecta eſt, nihil, præter reminiſcentiam, requiritur, ut *idearum*, de quibus quæritur, convenientia, aut repugnantia clara & certa reddatur. Quare ut res aliqua *demonſtretur*, ſciendum eſt neceſſario, quomodo *ideæ* intermediæ inter ſe proxime conveniant, quibus duarum *idearum*, quæ in diſceptatione verſantur, (quarum altera primum locum, altera poſtremum ſemper obtinet convenientia aut repugnantia innititur. Perceptio hæc intuitiva convenientiæ, aut repugnantiæ, *idearum* intermediarum in ſingulis demonſtrationis gradibus, tam firme in memoria conſervanda eſt, ut certi ſimus, partem nullam prætermiſſam eſſe. Quoniam vero in longa illationum & argumentorum ſerie hoc a memoria accurate adeo præſtari nequit: hinc fit, ut cognitio hæc demonſtrativa longe ſit imperfectior cognitione intuitiva, atque homines ſæpe, quæ falſa ſunt, loco demonſtrationum amplectantur (91).

§. VIII.

Hinc error iſte, omne ratiocinium eſſe ex præcognitis, & præconceſſis.

Ex eo, quod cognitio hæc intuitiva in ſingulis demonſtrationis gradibus, aut progreſſibus neceſſaria eſt, natum, puto, eſt *falſum* illud *axioma*, *omne* nem-

(91) Patet ergo, quod ad cognitionem noſtram conſtituendam neceſſe non eſt, differentiam ſpecificam internoſcere, vel ſimul ideas comparare. Sentis *roſæ* odorem: certum eſt, quod nullam characteriſticam, qua dici poſſit, eſſe odorem hunc a *lilii* odore differentem, tum internoſcis; tantum mutatio quædam in organo ſenſorio adorta; tibi enunciat evidentiam odoris, & omni comparatione neglecta, de odore ipſo eſt mens ſibi conſcia, & eum *cognoſcere* dicitur, adeo ut poſito odore hoc, exiſtentiam ejus agnoſcis..

nempe *ratiocinium eſſe ex præcognitis & præconceſſis*, quemadmodum in Scholis loquuntur. Huic opinioni errorem ſubeſſe, fuſius mox oſtendam, cum de propoſitionibus, iis præſertim, quæ axiomata appellantur, dicendum erit; ubi palam etiam fiet, eos errare, qui omnis ratiocinii & cognitionis noſtræ fundamenta in hiſce ponenda eſſe, ſtatuunt.

§. IX.

Demonſtratio non ad Quantitatem tantam reſtringitur.

EX communi hominum opinione vulgo dicitur, res in Mathematicis tantum certo demonſtrari. Quoniam vero, eam habere convenientiam aut repugnantiam, quæ intuitive percipi poteſt, *numeri*, *extenſionis*, & *figuræ ideis* non peculiare eſſe videtur, ex idoneæ fortaſſe Methodi, & applicationis animi in nobis, non evidentiæ defectu in rebus ipſis, accidit, ut, præter Mathematicos, pauci admodum, *demonſtrationem* ad ſe pertinere, crediderint: Ubicunque enim *ideas* habemus, in quibus mens convenientiam, aut repugnantiam proximam intuetur, ibi cognitionem intuitivam recipit; atque ubi duarum quarundam *idearum* convenientiam aut repugnantiam percipere poteſt, eam, quam cum intermediis quibuſdam *ideis* convenientiam habet, aut repugnantiam intuitive percipiendo, ibi mens demonſtrationis capax eſt; & ſic ea non ad *ideas* extenſionis, figuræ, numeri, & modorum eorum tantum reſtringitur.

§. X.

Unde hæc opinio.

RAtio, cur in Mathematicis tantum Demonſtrationes vulgo quærantur, non ex ſcientiarum iſtarum ſumma utilitate ſolum petenda eſt: verum quia æqualitatis aut exceſſus numerorum comparatio quoties inſtituitur, in eorum modis minutiſſimum quodque diſcrimen maxime perſpicuum eſt & manifeſtum. Et licet in extenſione minutiſſimus quilibet exceſſus non clare adeo cernatur; a mente tamen rationes ſunt inventæ, quibus angulorum duorum, extenſionum aut figurarum æqualitas demonſtratur, atque ambo hæc, numeri nempe & figuræ, per certas ſtabileſque notas deſignari poſſunt.

§. XI. In aliis vero *ideis* ſimplicibus, quarum modi & diſcrimina fiunt, & menſurantur per gradus, non per quantitatem, quomodo inter ſe diſcrepent, non adeo exacte & accurate cernimus, ut æqualitatem & diſcrimen illarum minutatim & gradatim menſurare poſſimus; cum enim iſtæ *ideæ* ſimplices, ſpecies ſint aut ſenſationes, in nobis excitatæ per molem, figuram, numerum & motum corpuſculorum ſubtilium, quæ ſeorſim cerni nequeunt, diverſi etiam gradus illarum e cauſarum omnium, aut ex his quarundam ſaltem, variatione pendent; quæ, quoniam in materiæ particulis, quarum ſingulæ ſubtiles adeo ſunt, ut ſenſum fugiant, a nobis cerni nequit; fieri non poteſt, ut ſimplicium *idearum* iſtarum gradus diverſos adamuſſim menſurare poſſimus. Si demus enim, Senſationem aut *ideam*, quam vocamus *Albedinem*, excitari in nobis per certum quendam numerum globulorum, qui cum circa centra ſua volvantur, oculi *retinam* feriunt, tam in circumrotationis, quam celeritatis progreſſivæ gradu certo; hinc facile ſequetur, quo magis corporis cujuſdam

par-

partes extimæ diſponuntur, ait, ut globulos luminis majori numero repercutiant, atque iis impertiant gyrationem iſtam, quæ apta eſt ad *albi* ſenſationem in nobis excitandam, eo *albius* corpus illud viſum iri, quod ab æquali intervallo, eodem genere motus, ejuſmodi corpuſculorum numerum majorem ad *retinam* mittit. Non dico, *luminis* in globulis minutiſſimis, aut *albedinis* naturam, in ejuſmodi partium contextu, qui certam quandam rotationem globulis iſtis impertit, quando repercutiuntur, eſſe poſitam, hic enim haud noſtri inſtituti eſt, lumen, aut colores phyſice pertractare: Hoc tamen dicere auſim, me concipere non poſſe, (atque utinam alius quis oſtenderet!) qua ratione corpora, quæ extra non ſunt, ſenſus noſtros permovere poſſint, niſi per ſenſibilium corporum ipſorum immediatum contactum, ut in guſtu & tactu; aut per impulſum inſenſibilium quarundam particularum ab iis fluentium, ut in viſu, auditu, & odoratu, quarum particularum varii impulſus, ex illarum diverſa longe mole, figura, & motu orti, ſenſationum ingentem varietatem in nobis producunt.

§. XII. Sive igitur globuli ſint, nec ne; aut ea, quæ nos *idea* albedinis afficiunt, circa centra ſua volvantur; hoc exploratiſſimum eſt, quo plures luminis particulæ e corpore repercutiuntur, quod aptum eſt ad peculiarem iſtum motum iis tribuendum, qui in nobis *albedinis* ſenſum efficit; & fortaſſe, quo celerior iſte eſt motus, eo corpus illud albius videri, e quo plures particulæ reflectuntur: quod palam erit ex una eademque charta ſi in ſolis radiis, in umbra, atque in caverna tenebricoſa collocetur; in diverſis enim locis iſtis albedinis *ideam* diverſo modo in nobis excitabit (92).

(92) *V. adn. 75. tom. 2.*

§. XIII: Quare cum neſciamus, quis particularum numerus, aut quinam motus illarum ſatis accommodatus ſit ad certum quendam *albedinis* gradum producendum, idcirco duorum quorundam graduum *albedinis* certam æqualitatem demonſtrare nequimus, neque enim exemplar certum, quo menſuram illorum inire, aut ratio aliqua ſuppetit, qua minutum quodque diſcrimen diſcernere licet, ſoli ſenſus, quibus in hoc caſu haud fides habenda eſt, nobis adjumento ſunt. Ubi vero diſcrimen inſigne adeo eſt, ut diverſas plane *ideas* in mente producat, quarum gradus diverſi perfecte in memoria retinentur, ibi colorum *ideæ* iſtæ, prout in diverſis generibus, *rubro* nempe & *cæruleo* patet, demonſtrationem perinde capiunt, ac numeri & extenſionis *ideæ*. Quod hic de *albedine* & coloribus dixi, de qualitatibus omnibus ſecundis & Modis illorum, puto, dici poteſt.

§. XIV.

Cognitio ſenſitiva particularis exiſtentiæ.

DUo hæc, *Intuitio* nimirum & *Demonſtratio*, gradus ſunt cognitionis noſtræ; quicquid ab horum alterutro non proficiſcitur, utcunque etiam de veritate iſtius hominibus perſuaſum ſit, *fides* tantummodo eſt, ſive *opinio*, non *ſcientia*, ſaltem in veritatibus omnibus univerſalibus. Eſt, quidem, alia mentis *perceptio*, quæ circa *finitorum entium* externorum *exiſtentiam particularem* verſatur; quæ cum major ſit probabilitate, duobus vero iſtis certitudinis gradibus minor, cognitionis vulgo nomen obtinet. De nulla re certiores eſſe poſſumus, quam de eo, quod *idea* iſta, quam de objecto ſenſibili recipimus, in mente ſit; hæc intuitiva eſt cognitio. Utrum vero aliquid amplius revera ſit, præter nudam *ideam* iſtam in animo noſtro, & utrum exinde probare cer-

certo poſſimus, aliquid extra nos, ideæ iſti reſpondens, exiſtere, nonnulli dubitandum propterea putant, quod, iſtiuſmodi re nulla exiſtente, & objecto nullo, quod ideis iſtis reſponderet, ſenſus feriente, tales *ideæ* in mente eſſe poſſint (*). Puto tamen, argumentum contrarium nobis hic ſuppetere, quod dubitationem omnem tollat. Rogare enim velim, annon quis extra dubium habet, ſe diverſam plane perceptionem habere, cum ſolem interdiu intuetur, & quando de eo nocturno tempore cogitat (**); cum abſinthium actu deguſtat, vel roſam olfacit, & cum ſaporem, vel odorem iſtum mente tantum agitat? *Ideæ* cujuſdam, per memoriam in mente reſuſcitatæ, ab ea, quæ per ſenſus actu in mentem incurrit, non minus clare, quam duarum quarundam *idearum* diſtinctarum, diſcrimen percipitur: Si regerat quis, idem etiam per ſomnium effici, atque omnes haſce *ideas*, ſine objectis quibuſdam externis in

(*) Centaurorum, Chimericarum, Sfingium, aliorumque monſtruorum ideæ ſunt quas afferunt nonnulli demonſtrandi gratia, a nobis poſſe multa concipi nulla impreſſione nobis in ſenſibus efformata. Verum facilius eſt errorem corrigere, ſi attendatur, quod nemo vidit Centauros, Chimeras, Sfinges, & monſtra ejuſmodi nunquam exiſtentiam habuere; ſed ideæ complexæ, quas nos de eiſdem habemus, omnes quot quot ſunt ex ideis ſimplicibus conflantur, quæ fuere a ſenſibus paulatim confectæ, & a nobis ipſis conjunctæ, ut hæ cerebroſæ imagines efformentur: nulla ſimplex idea menti adeſt quæ non ſit per ſenſus acquiſita. *SOAVE*.

(**) Idealiſtæ, vel qui corporum exiſtentiam negavere, cerebroſitatis cauſa effecere potius, quam per intimam animi perſuaſionem: ego adhuc non excludo ipſum *Berkeley*, qui opinionem hanc voluit defendere: ſi enim revera eſſet perſuaſus, nullum exiſtere corpus, ſcribendi, vel loquendi tædium non ſumſiſſet profecto, quoniam credidiſſet, chartam in qua ſcribebat, nec vocis organum, quo loquebatur nunquam exiſtere potuiſſe, quando voluiſſet, ſibi metipſi conſentaneum eſſe. *SOAVE*.

in nobis ſuſcitari poſſe; ſomniet ille, ſi velit, me hoc illi reſponſum reddere: I. Haud multum referre, num ex animo ipſius hunc ſcrupulum evellam, nec ne: ubi enim de meris ſomniis agitur, ratiocinia, & argumenta nullius ſunt uſus, veritas & cognitio plane nihil eſt. II. Me in ea opinione eſſe, ipſum facile illud mihi daturum, quod aliud ſit, ſomniare, ſe in igne eſſe, aliud, actu ineſſe. Sin vero ille vehemens adeo opinator & ſcepticus eſſe perſeveraverit, ut contendat, quod a me, actu in igne eſſe, dicitur, nihil eſſe niſi ſomnium; nec poſſe nos inde certo ſcire, illud, quod ignem dicimus, extra nos exiſtere; reſpondeo, cum manifeſto comperiamus, ex objectorum quorundam præſentia, quorum exiſtentia ſenſuum ope percipimus, aut nos percipere, ſaltem ſomniamus, voluptatem aut dolorem ſequi (93); hanc

(93) Non eſt qui ignoret, quod nonnulli effrænati philoſophi circa corporum exiſtentiam dixerunt, per conſequens quæ contra intuitivam ipſam cognitionem verba & argumenta impendere. Extat opus *Berkley* cui titulus *Dialoghi fra Hilar e Filonous*. Hoc ultimum nomen *amicum ſpiritus* ſignificat. In hoc opere legi poſſunt argumenta contra corporum exiſtentiam allata. Quando ego conſidero, inquit Pyrrhonicus, quæ mearum ſenſationum ſint objecta, millenas contradictiones invenio. Spiritus, & materia ſubſtantiæ ſunt longe diverſæ, ac ſejunctæ ex ingenti intervallo, quantum eſt illud quod ſubſtantia, & natura ipſorum figit; quomodo ergo ad invicem una in alteram agere poteſt, quod eſt neceſſe, ut una alterius ideam adipiſcatur? quæ eſt materia, cujus ideam ſenſus noſtri tam diſtinctam ſuppeditant? Quæ elementa, vel primæ corporum particulæ? Non ſunt corpora, alioquin non eſſent elementa; non ſunt immaterialia, ſecus non formarent extenſionem, vel illud eſſe quod materia dicitur. Eſſet corpus partibus, vel infinitis corporibus conflatum? Si ſunt elementa prima, cur inveniri nequeunt? Dicetur fortaſſe, hæc per unionem exiſtentiam nanciſci? Quomodo ergo aliis entibus exiſtentiam ipſam tribuunt? Nonne melius eſt itaque dicere, materiam eſſe phænomenon, ac ſimplicem no-

hanc certitudinem tantam eſſe, quanta eſt beatitudo, aut miſeria noſtra; ultra quam nihil ad cognitionem, aut

---

noſtrorum ſenſuum illuſionem, quam in tot, complicataſque contradictiones incidere? Omnia ſunt ergo erronea quæ nobis repreſentamus, nec extra nos aliquid exret, quod quandam habeat ſimilitudinem cum eo quod nobis nos ipſi repreſentamus. In Univerſo præter unam ſubſtantiæ ſpeciem non internoſco. Præter Deum, & entia aliud cogitantia non video, & fortaſſe quoque præter Deum, & meipſum. Quid valet reſpondere, ſi id eveniſſe, nimirum, ſi præter phantaſticas ideas noſtri non ſuppeditarent ſenſus, Deum eſſe noſtri erroris originem, & miſeria noſtra, atque ignorantia gaudere? Poteſt ne excogitari argumentum magis futile, ac incongruens? Demonſtrari hoc modo, creditur, veritatem primitivam, ac directam cum veritate ſecundaria, ac reflexiva. Deum internoſcimus ratione corporum exiſtentiæ, in allato argumento internoſcuntur corpora per Dei exiſtentiam. Ulterius: declamatur Dei illuſio; & nonne eſt injuriam ei afferre, quando ei errores noſtri tribuuntur? Ut ſuos ne nos conſideremus errores, eum nimis potentem, ad excitandas nobis ſenſationes, deficiente omni externo, cogitemus. Noſtræ ſenſationes non fallunt nos ſæpius? cur ergo nos non continuo fallunt? Hæc vivacitas, hæc reſpondentia, hi gradus, hæ affectiones involontariæ, quæ tam leviter nos determinant ad progrediendum, a ſenſationis realitate ad illam objecti, nonne experti ſitis tempore ſomnii? Qua ergo ratione nequitet vita continuus ſomnus, ac profundior eſſe? hactenus Pyrrhonicus.

Melius nequit hic reſponderi quam reſponſione *Dioginis Zenoni* data. Oportet, ſuis viſionibus relinqui. Verum hoc modo poteſt contra argui. *Ex eiſdem cauſis iidem oriuntur effectus.* Poſita unico inſtante corporum exiſtentia, ſenſationes ab iiſdem corporibus ſibi ſimiles, conſtanterque excitantur. Ergo patet, quod cum effectus nobis iidem ſint, cauſæ eoſdem excitantes debent pariter eædem & conſtantes eſſe. Quis non videt, quod nobis eruitur ſenſatio ex poſitione corporum, per conſequens ex eorum exiſtentia? Me non latet, quod argumento noſtro reſponderi poteſt, fallacia, cui obnoxii ſumus, eſſe poteſt, quæ mentiatur ſenſationes, & objectum. At in noſtro ſyſtemate fuit reſponſum hoc: Nam ſi ponatur animam noſtram non habere actum perceptionis per ſe, e in ſe relictam, ſed tantum potentiam percipiendi (108. Tom. 2.) ſequitur neceſſe, requiri notas, impreſſiones, excitationes

aut exiſtentiam noſtram revera pertinet. Quare fas eſſe puto, ut ad *cognitionis* duo iſta genera ſuperiora,

---

nes fibrillarum nervoſarum ad perceptiones ipſas conficiendas. Idealiſtas ergo in anguſtias ponamus. Locum aſſerendi non habent, animam ſibi ideas creare, ſi qualiſcunque perceptio debet partem trahere ex mutatione in organo ſenſorio noſtro excitata, quæ mutatio eſſe nequit ſine objecto mutante.

Scio, equidem ſcio nonnullos inter Philoſophos extare, qui ſcepticiſmum, acertime patrocinantes argumentum noſtrum impugnant, vel ſic impugnari poſſe arbitror. Fallacia ſenſuum uberrime, & in omnibus patet, quis eſt qui ignoret, nos objecta cum alteratione quadam ſemper, vel pene ſemper percipere? Si ponitur alteratio, etiamſi minima nobis ſit, non objecto apprime reſpondens, ſequi debet, complexum alterationum eadem ratione, qua minima ſit alteratio, nobis accidere poſſe: Ergo poteſt videri objectum extra nos, quod revera non exiſtit, ex eo quia alteratio adeſt. Quantitas non mutat naturam alicujus rei, per conſequens cum ſit corpus complexum proprietatum, & nobis eſſe poſſit alicujus proprietatis alteratio, ita ut non ſit revera extra nos, quod in nobis ſentimus, poteſt pariter quantitates alterationum augeri, & per gradus progredientes omnes proprietates deſtruere, per conſeguens & ipſummet objectum. Quapropter poteſt hic recte concludi, nos objecta, ut in ſe ſint, non percipere; cum adſint, eorum exiſtentiam non videre; & cum non ſint; eam immaginare; & per falſas mutationes nobis exortas objecta, quæ revera deficiunt ſupponere.

Quæſo interim ab iſtis effrenatis hominibus ex quo mutatio nobis oritur, quæ alterationem in ſe continet? non ex mente porro: Nam, ut diximus, potentiam ſibi excitandi ideas mens noſtra tantum, non actum ipſius excitationis habet: Actus hic pendet ex repræſentatione impreſſionum, quæ ſunt in cerebro locatæ, vel ab objecto externo commotæ, vel factæ; quando ſupponitur ergo omni objecto extèrno deſtructo, ſupponi neceſſe eſt deſtructas & ipſas alterationes, mutationes, ſenſationes, nec non ideas ipſas; quas nobis continuo experimur. Quidquid eſt, vel fit, eſt, vel ſit ratione ſufficiente, adeſt nobis alteratio? Supponit ergo rationem ſufficientem alterationis ipſius. Alteratio mutatio eſt; ergo vim ſupponit. Vis hæc non in mente adeſt ex dictis, non in cerebro, nam, ut materia, iners eſt, nec habet vim ſeipſum mutandi, per conſequens luculenter vi-

ra, hoc etiam adjiciamus, exiſtentiæ nempe ſingularium objectorum externorum, ex eo, quod perſentimus, & conſcii ſumus, *ideas* actu ab iis in nos intromitti, atque ita ſtatuamus, *tres hoſce gradus eſſe cognitionis*, *intuitivæ* nimirum, *demonſtrativæ* & *ſenſitivæ*: quarum in ſingulis, evidentiæ & certitudinis gradus & modi ſunt diverſi (94).

§. XV.

Cognitio haud ſemper clara eſt, prout ideæ ſunt.

Quandoquidem vero cognitio noſtra in *ideis* fundatur, & circa illas tantum verſatur, annon exinde ſequetur, eam cum iis congruere; atque ubi *ideæ* noſtræ claræ ſunt & diſtinctæ, aut obſcuræ ſive confuſæ, cognitionem ſimiliter fore? Reſpondeo, minime. Cum enim cognitio noſtra poſita ſit in perceptione convenientiæ, aut repugnantiæ duarum quarundam *idearum*, claritas, aut obſcuritas iſtius

videtis, vim hanc extra nos extare debere; vis ſupponit ſubjectum; ſubjectum ergo extra nos exiſtit.

Plura hac ſuper re pro Scepticorum fautoribus, & contra Scepticos ipſos hic addere poſſem, verum cum in libris a præſtantioribus Auctoribus exaratis poſſint omnia legi, libenter omitto. Tantum ſcripſi quod uno ſub pede, mens mihi ſuggeſſit, nec ulterius quæſivi.

(94) Melius dici poſſe credo, omnem cognitionem reduci poſſe ad *experimentalem*, ſive *a poſteriori*, & ad *demonſtrativam*: Judicium poſtea in *intuitivum* & *diſcurſivum*, vel *dianoeticum*. Wolfius definit judicium intuitivum „ per ejuſmodi in quo enti cui„ dam tribuimus, quæ intuemur comprehenſa in ipſius notione„; Si video *ignem*, ſum mihi conſcius ſuæ exiſtentiæ, & ignem me cognoſcere dico, neglecta omni comparationis idea; ſi poſtea mens mea ad notas peculiares, & ad mutationes hoc, non illo modo excitatas adhæret, & acquieſcit in determinatione *ignem eſſe calidum*, tum judicium intuitivum efformat,

iſtius, in perceptionis perſpicuitate aut obſcuritate, non in *idearum* ipſarum perſpicuitate aut obſcuritate conſiſtit: *v. g.* fieri poteſt, ut, qui non minus claras habet *ideas* angulorum trianguli, & æqualitatis duobus rectis, quam præſtantiſſimus quivis Mathematicus convenientiæ tamen illarum non niſi obſcuram admodum perceptionem, & proinde non niſi confuſam cognitionem habeat. Obſcuræ autem & confuſæ *ideæ* claram aut diſtinctam cognitionem parere nequeunt; quoniam ubi *ideæ* quædam confuſæ ſunt, aut obſcuræ, id haud cernere poteſt mens, utrum ſibi invicem conveniant, aut repugnent; vel ad exprimendam eandem rem eo modo, quo iſta perverſæ interpretationi minus reddatur obnoxia, quicunque verbis, quibus utitur, determinatas non adjunxerit ideas, nulla ratione exinde formare poterit propoſitiones, de quarum veritate certiſſimus eſſe poſſit.

RE-

REFLEXIONES

A DOMINO COSTE

Gallicæ verſionis Cap. III. §. V. hujus libri appoſitæ.

DOct. *Stillingfleet*, ſapiens prælatus Anglicanæ Eccleſiæ cum plures Lockii opiniones in hoc opere diffuſas ad confutandas pertentaverit, ſtedit ptiſſimum ea ex parte ad quam Lockius hic adhærer, inquiens nos neſciremus invenire, *an Deus dederit cuidam materiæ unioni, ut ſibi videatur melius diſpoſitæ, vim percipiendi, ac cogitandi*. Subtilis quæſtio; & Lockius cum curaverit in ultimo opere ab ipſomet exarato ad propugnandum quod ſibi Doct. *Stillingfleet* oppoſuit, ſua cogitata hoc de articulo pandere, enodare, ac ex omni latere probare rationibus, ut ſibi videatur: cenſeo hic neceſſarium eſſe, extractum dare de eo quod ad ſuum conceptum ſtatuendum enunciavit.

Cognitio a nobis habita, ait Doct. *Stillingfleet*, *cum poſita ſit juxta Lockium in noſtris ideis; & idea, quam habemus de materia generatim ſumpta, cum ſit ſubſtantia ſolida, & illa corporis ſubſtantia extenſa, ſolida, figurata, aſſerere materiam poſſe cogitare, eſt confundere ideam materiæ cum idea ſpiritus*. Reſpondit Lockius. Non ego ideam materiæ cum idea æqui confundo, quando dico, materiam generatim ſumtam eſſe ſubſtantiam ſolidam, extenſam, & equum animal, vel ſubſtantiam ſolidam extenſam cum ſenſu, & motibus ſpontaneis: idea materiæ eſt ſubſtantia extenſa, & ſolida: ubi hujuſmodi ſubſtantia eſt, adinvenitur materia, ejuſque eſſentia, aliæque qualitates in hac eſſentia non contentæ, quas Deo placuit ei ſuperaddere. *ex. gr.* Deus creat ſubſtantiam extenſam ac ſolidam, non addendo aliud, & hoc modo nos eam in quiete poſſumus conſiderare. Ille motum addit alicui harum partium quæ conſervant continuo materiæ eſſentiam. Ille ex aliis partibus format plantas, & eis *vegetationis* proprietates tribuit, vim, ac pulchritudinem, quæ adinvenitur in roſeto, vel pomario ſupra eſſentiam materiæ, generatim conſideratæ, non eſt enim quam materia in pomario, ac roſeto. Et reliquis partibus adjunxit ſenſum, & motum ſpontaneum, cæteraſque proprietates quæ in elephante ſunt. Inficiari nequit, Dei potentiam uſque illuc pervenire, nec pro-

prie-

proprietates roſeti, pomarii, vel elephantis materiæ additæ ipſius materiæ proprietates mutent. Internoſcitur hic materiam ſemper adhuc materiam eſſe. Sed ſi ulterius progredimur, dicendo, Deum materiæ addere poſſe cogitationem, rationem, volitionem, ut & ſenſum, ac ſpontaneitatem, adinvenitur ſtatim gens prompta ad ſupremi Artificis potentiam circumſcribendam, & nobis afferere, hanc rem eſſe ultra Dei potentiam, nam hoc eſſentiam materiæ deſtruit, vel eſſentiales proprietates ipſius mutat, & cauſa probandi ſuam propoſitionem, ſic loquatur, cogitationem, ac rationem, non eſſe in materiæ eſſentia poſitam. Non eſſe poſitas, ait Lockius, concedo, ſed proprietas, quæ cum non ſit in materia contenta, materiæ additur, non deſtruit eſſentiam, ſi adhuc remaneat ſolida, ac extenſa ſubſtantia: Ubi hæc ſubſtantia adinvenitur, materiæ eſſentia eſt. Sin aliquid, quod majorem perfectionem habeat, addatur huic ſubſtantiæ, materiæ eſſentia deſtruitur? quid evadit materiæ eſſentia in planta, in animali quorum proprietates ſunt tam longe ſupra ſubſtantiam ſolidam & extenſam?

Sed additur, deficit porro medium, quo concipi poſſit quomodo materia ſit cogitationis capax. Ego, reſpondit Lockius, pariter dico, ſed ex hoc inferre, Deum non poſſe materiæ facultatem cogitandi largiri, idem eſt ac dicere, omnipotentiam Dei eſſe arctioribus limitibus circumſcriptam non alia ratione quam ea, qua hominum intellectus ſit valde circumſcriptus. Si Deus nequit potentiam aliquam ulli materiæ portioni largiri præter illam, quam homines ex materiæ eſſentia poſſunt generaliter deſtruere; ſi eſſentia, vel proprietates materiæ deſtruuntur a qualitatibus omnibus quæ ſupra materiam videntur, & quas concipere nequimus, ut conſequentias ipſius eſſentiæ, clarum eſt, quod materiæ eſſentia majori in parte noſtri ſenſibilis ſyſtematis, in plantibus, atque animalibus eſſet deſtructa. Comprehendi nequit, quo materia cogitaret; Deus igitur nequit ei dare cogitandi potentiam? Si hæc ratio vera eſt, in omnibus loci locum habere debet. Vos internoſcere nequitis, quo materiam materiam attrahere poſſit ad quamcunque diſtantiam, eo minus ad milliaria ad duo milliaria, ergo Deus nequit talem potentiam dare; comprehendere neſcitis, materiam poſſe ſentire vel moveri, vel enti immateriali aſſimilari: ergo Deus nequit ejuſmodi potentiam illi donare: quod revera eſt idem ac gravitatem & planetarum revolutionem circa ſolem negare: bruta in puras machinas convertere abſque ſenſu, & motu ſpontaneo, & tollere homini ſenſum, ac voluntarium motum.

Has regulas ulterius protendimus. Vos neſcitis comprendere, quomodo ſolida ac extenſa ſubſtantia poſſit cogitare; Deus ergo facere neſciret, quod illa cogitaret. At vos comprehendere poſ-

poſitis quomodo anima veſtra, vel quævis ſubſtantia cogitet? veritatem habetis, *vos cogitare*: pariter eam ego habeo, ſed vellem, aliquem mihi enodare, quomodo fiat cogitationis actus; nam video, hanc rem eſſe ultra meum captum, interdum exiſtentiam ejus inficiari nequirem, etſi nequeam modum internoſcere. Adinvenio, Deum mihi largitum eſſe facultatem hanc, & quamquam internoſcam clare hanc potentiam, veruntamen neſcirem modum internoſcere, quo ea exerceatur. Nonne eſſet impudens abſurdum, eam potentiam in ſimilibus caſibus negare hac ſola ratione, quia neſcirem concipere modum, quo poſſit illa exerceri?

Deus, pergit Lockius, ſubſtantiam creavit, quæ ſit *ex. gr.* ſubſtantia ſolida ac extenſa, eſt ne ille alligatus, ultra *eſſe*, adhuc potentiam agendi eidem ſubſtantiæ donare? quod nemo dicere audebit, ut ego arbitror. Ergo Deus poteſt eam in perfecta inactione relinquere & interim ſubſtantiam eſſe. Pariter Deus creat, vel de novo facit exiſtere immaterialem ſubſtantiam, quæ abſque dubio, non omittet unquam ſubſtantiæ eſſentiam, etſi Deus non ei communicet, quam hanc ſimplicem exiſtentiam abſque activitate aliqua. Nunc peto, qualem potentiam poteſt Deus largiri alterutri harum ſubſtantiarum, quam nequeat alteri dare (*a*)? In inactivitatis ſtatu clare intelligitur, nullam ex illis cogitare, nam cum cogitatio ſit actio, inficiari nequit, Deum poſſe actionem omnium ſubſtantiarum creatarum abſque ſubſtantiæ annihilatione ſuſpendere, ſi ita ſe res habeat, poteſt ille creare, vel exiſtentiam largiri alicui ſubſtantiæ abſque actione. Eadem ratione evidens eſt, aliquam ex his ſubſtantiis nequire ex ſe ipſa moveri. Ego nunc poſco, qua ratione Deus alterutri harum ſubſtantiarum, quæ ſunt pariter in perfectæ inactivitatis ſtatu, eandem movendi potentiam nequeat donare, quam alteri poteſt largiri, ut *ex. gr.* potentiam ſpontanei motus, quæ ſupponitur, Deum poſſe ſubſtantiæ non ſolidæ, ſed negatur ſubſtantiæ ſolidæ, tribuere (*b*)?

 Si

(a) Ex noſtra meditatione in Lockium de ſubſtantia *tom.* 3. luculenter eruitur, materiali ſubſtantiæ, nec etiam ſua abſoluta potentia, vim cogitandi poſſe Deum largiri, quæ videri poteſt.

(b) Ratio eſt principium contradictionis: eſſet alioquin materia abſque materiæ eſſentia: ſpiritus abſque ſpiritus proprietatibus, & quod idem ſonat, ſpiritus & non ſpiritus: materia, & non materia, quod luculenter repugnat (*V. med. in Lock. tom. III.*)

Si expoſcitur qua ratione, quoad unam potius, quam ad alteram ſubſtantiam circumſcribitur Dei potentia, reducitur ad hanc, quod concipi nequit quomodo ſolida ſubſtantia poſſit a ſe ipſa moveri, cui ego reſpondeo, quod hic non intelligitur melius, quomodo ſubſtantia creata non ſolida moveri poſſit (*c*). Sed ineſſe poſſunt immateriali ſubſtantiæ nonnulla, quæ ſint vobis ignota. Ego convenio. Et idem evenire poteſt in ſubſtantia materiali, *ex. gr.* gravitatio materiæ erga materiam, juxta quaſdam poſitiones, quam oculo videmus, & ut ita dicam, quæ oſtendit, adeſſe aliquid materiæ, quod non intelligitur ſane, vel ſaltem, quod nos nequimus in materia percipere facultatem ſe ipſam movendi, vel attractionem involutam, ac incognitam, quæ extenditur ad ingentes diſtantias, & quaſi incomprehenſibiles. Per conſequens dici debet, ſubſtantiis tam ſolidis, quam non ſolidis ineſſe quid quod nobis occultatur (*d*). Quod nobis conſtat, illud porro eſt, quamlibet harum ſubſtantiarum poſſe diſtinctam exiſtentiam habere, abſque comunicatione alicujus activitatis ei facta, vel ſaltem Deum poſſe enti tollere agendi potentiam, quod ſi negetur, eſſet proculdubio permagna impudentia: Hoc ponderato, vos revera invenietis, quod pariter difficile eſt, potentiam a ſe movendi, immaginari, tam immateriali, quam materiali enti ineſſe: & per conſequens nulla reperitur ratio, qua negetur, apud ingenium ſupremi Conditoris extare, quando ei placet, potentiam ſe movendi tam materiali, quam immateriali ſubſtantiæ largiri, etſi neutra ex illis poteſt naturaliter illam habere, & nos concipere nequimus, quomodo tam uni, quam alteri poſſit ineſſe.

Quod Deus nequeat facere, ſubſtantiam ſolidam ac non ſolidam una ſimul, eodemq. tempore eſſe, eſt quod, ut arbitror, dici poteſt, abſque læſione reſpectus ipſi Deo debiti. Sed quod una ſubſtantia nequeat qualitates habere, nec non perfectiones, ac potentiam, quæ legamen nullum naturaliter, vel viſibiliter cum ſoliditate, & extenſione habeat, eſt nobis temeritas, ſi conſtanter id impugnamus: nos quos omnia latent (*e*). Si Deus ne

---

[c] Intelligitur porro ex obſtaculo cum ſoliditate remoto, & ex idea ſpiritus a nobis nacta.

(d) Ergo ſolidis ſubſtantiis ineſſe cogitationem, eſt id quod recte negatur [*V. tom. III. in Lotk. med. t.*]

[e] Idem eſſet ac dicere; Deum facere poſſe hominem eodemque inſtante indiviſibili eſſe hominem & marmoris ſimulacrum. Habere ſc. hominis ſenſibilitatem, & inſenſibilitatem marmoris.

Quis

nequeat conjungere ea, quæ nequimus nos concipere connexa, debemus conſiſtentiam, ac ipſius materiæ exiſtentiam negare; nos enim non concipimus quomodo quædam materiæ pars cum alia connecteretur: & per conſequens omnes difficultates, quæ contra potentiam cogitandi materiæ appoſitam, ex noſtra ignorantia erutæ, non tangunt ullo modo Dei potentiam, ſi placuerit illi, dare materiæ vim cogitandi [*f*], & difficultates hæ non probant, quod ille quibuſdam materiæ partibus, ut ipſi videntur, apte diſpoſitæ, non eam communicaviſſet revera, uſque dum non demonſtretur, contradictionem gignere hanc ſuppoſitionem [*g*].

Quamquam in hoc opere Lockius ſenſationem ſub cogitationis idea generatim concepit, veruntamen in reſponſu Doct. Stillingfleet facto loquitur de ſenſu brutorum, ut quid a cogitatione diſtinctum; quoniam ipſe Doct. ibi ſenſationem in brutis ſtatuit. Qua ſuper re Lockius obſervat, quod ſi Doct. hic tribuit ſenſationem brutis, debet fateri, vel quod Deus dare poteſt, & actu det, vim percipiendi, & cogitandi quibúſdam peculiaribus materiæ particulis, vel quod bruta anima immateriali gaudeant, & per conſeguens juxta Stillingfleet, immortali, & non ſecus ac anima hominum, illa ſit; ſed, pergit Lokius, dicere, muſcas, & culices, non ſecus ac homines, animas habere immortales, arbitror, id eum dixiſſe cauſa dicendi, & id tanquam hypotheſim excogitaviſſe (*h*):

Doct. Stillingfleet cum a Lokio petiiſſet *quid materiæ ineſt, quod poſſit reſpondere ſenſui interno, quem nos de noſtris actionibus habemus*? Nihil, Lokius reſpondit, de eo ineſt materiæ, quatenus ſimpliciter conſideratur. Sed non ideo probabitur unquam Deum

R 2 dare

Quis non videt abſurdum? Nos ex ideis præhabitis argumentamur, quarum ope internoſcimus, vires æquales in oppoſita directione, eodemque tempore agentes, ſe mutuo deſtruere; pariter ergo effectus oppoſiti voluntatis ipſius ſupremi entis deſtruuntur; nec exſurgeret amplius materia, vel in materia ſpiritus qualitas. Hac ſuper re. *Vid. Med. in Lockium tom. III.*

(*f*) Comparatio non eſt exacta: conſiſtentia, ac exiſtentia materiæ non opponitur perfecte ipſius materiæ naturæ, ut opponitur cogitatio, de quo in l. c.

(g) Atqui parit contradictionem, ergo *&c.* Quod pariat contradictionem fuit a nobis demonſtratum, ut videri poteſt meditatio noſtra in Lock. *t. III.*

(h) Vera argumentatio. Ergo ſit potius dicendum, Deum materiæ largiri vim cogitandi, quam brutis animam immaterialem, eſt quod nos impugnamus (*V. Med. de anima brut. tom. II.*)

dare non poſſe quibuſdam materiæ partibus potentiam cogitandi, cum expoſceretur, quo modo poſſit concipi, ſimplex corpus poſſe comprehendere, ſe concipere. Ego hac ſuper re, de noſtræ mentis brevitate convenio, & video, nos non poſſe concipere quomodo ſolida ſubuſtantia, non ſecus ac non ſolida, quæ eſt creata, cogitet; verum hæc noſtra perceptionis debilitas ullo modo minuit ſupremi Artificis potentiam.

Stillingfleet dixit, *ſe numquam circumſcripſiſſe Dei potentiam, quæ poteſt corpus in ſubſtantiam immaterialem convertere*. Quod eſt idem ac dicere, reſpondit Lockius, Deum poſſe corpori ſoliditatem tollere, & cogitandi facultatem illi dare, qua carebat antea, & per conſequens *eandem ſuperſtitem ſubſtantiam* in ſpiritum convertere. Si enim non remanet eadem ſubſtantia, corpus in ſubſtantiam immaterialem nunquam fuit converſum, ſed ſolida ſubſtantia deſtruitur una cum omnibus ſuis qualitatibus, & pro ea immaterialis ſubſtantia creetur, quod non eſt tum una in alteram rem convertere, ſed deſtruere unam, & alteram de novo producere (*i*).

Hoc poſito, en Lokii argumenta 1. Deus, ut arbitratis, ex ſolida ſubſtantia poteſt tollere ſoliditatem, quæ proprietas ſubſtantiam ſolidam; vel corpus reddit, & poteſt ſubſtantiam immaterialem facere, vel quod idem eſt, ſubſtantiam abſque ſoliditate. Sed hæc privatio unius qualitatis non dat aliam qualitatem, & ſimplex ablatio minoris qualitatis aliam excellentiorem non communicat perfecto, vel ſaltem dici nequit, cogitandi potentiam ex eadem ſubſtantiæ natura emergere, quo caſu oporteret dici, facultatem cogitandi ubique ſubſtantiæ adeſſe. En igitur, addit Lokius, immaterialis ſubſtantia abſque cogitandi potentia juxta Doct. Stillingfleet principia [*k*].

2. Vos non inficiemini utique, Deum poſſe ſubſtantiæ, ſic ſoli-

---

(i) Reſponſio in promptu eſt, quoad ſubſtantiam non mutetur; nam remanet; ut antea, entis qualitas. Ejus exiſtendi principium idem eſt; etſi qualitates mutentur. [*V. Med. in Lock. tom. III.*]

[k] Anceps profecto eſt, an ablata corpori ſoliditate, poſſit ſubſtantia acquirere ex ſe ipſa vim cogitandi. Soliditas eſt obſtaculum ad motum, ut ex phyſicis diſcimus, quis ergo ſcit, quod non evadat actionis capax, & per ſe vim percipiendi tum non habeat? Sed hoc poſthabito, quando ſupponatur ablata ſoliditate, nihil facultatis percipiendi ſubſtantiæ accedere, non ſequitur, Deum ipſi ſubſtantiæ non poſſe vim cogitandi communicare,

ſoliditate orbatæ, facultatem cogitandi tribuere, poſtquam ſuppoſuit, ipſam ſubſtantiam immaterialem factam illius facultatis eſſe capacem; ex quo ſequitur, eandem numericam ſubſtantiam poſſe eſſe, quodam tempore, non cogitantem, quodam alio perfecte cogitantem, vel potentia cogitandi præditam.

5. Vos pariter non inficiemini, poſſe Deum hanc ſubſtantiam ſolidam reddere. Quo poſito, veniam mihi datis, ſi expoſco, qua ratione, cum Deus huic ſubſtantiæ tribuerit facultatem cogitandi, ablata primum ſoliditate, non poſſit denuo ei ſoliditatem largiri abſque cogitandi facultatis remotione [l]? Poſtquam hoc fuit ſtatutum, vos probaretis, Deo impoſſibile eſſe, omni ſua potentia, ſolidæ ſubſtantiæ facultatem cogitandi ſuppeditare, ſed ante hoc, negare, Deum id poſſe facere, idem eſt ac negare apud Deum eſſe, facere quod eſt poſſibile [m], per conſequens potentiam Dei circumſcribere.

Lockius tandem palam facit, quod ſi periculoſum eſt, immaterialitatem animæ, ut innegabilem veritatem, non admittere, Antagoniſta deberet id ſtatuere ſuper indubitatis demonſtrationibus, ad quod facere magis eſſet alligatus, ex eo quia, juxta ſe, *nihil melius Religionem ac moralem conſervat, quam argumenta pro animæ immaterialitate, ſuper natura ſua, ſuiſque proprietatibus præſtructa; Nam etſi ille non dubitet, Deum poſſe materiali ſubſtantiæ immortalitatem largiri*, veruntamen expreſſe inquit, *immortalitatis evidentiam valde diminuere, cum, eandem dependere, faciamus, ex eo, quod Deus animæ donat id, quo ſua natura ſit revera incapax*. Lockius impugnat, hoc dicere idem eſſe, ac fidem Dei non eſſe validam, ac ſufficientem abſque demonſtrationis ope ad aliquid nobis pro veritate ſtatuendum, quod eſt idem ac dicere, Deo non debere in ſuo verbo credi, vel ſaltem id quod ille revelat, non ſit ita credibile, ut de eo poſſit perſuaderi abſque revelatione. *Si hic eſt credendi modus*, inquit Lockius, *& Religionem Chriſtianam ſtatuere, me non penitet, ſi hac methodo non uſus fui in meis operibus; nam credo id me a ſcepticiſmo non liberaret alioquin. Sed ſum adeo a tali errore alienus, quod immo contra perſuaſus ſum, quando nequeat demonſtrari animæ immaterialitas, non ideo ſuæ immortalitatis evidentia diminuitur; Fides Dei eſt enim demonſtratio veritatis* R 3 *illius*

[l] In promptu eſt reſponſio: deſtrueret ſimplicitatem, qua eget ſubſtantia, ut ſit cogitationis capax. [*V. Med. in Lock. tom. III.*]

[m] Immo impoſſibile, ut fuit dictum [b].

illius quod eſt revelatum, & unius demonſtrationis defectus non reddit anceps demonſtrata propoſitio (n).

Circa reliqua, Lockius cum probaviſſet, uſum ab ipſo factum novum non eſſe, allatis Virgilii, ac Ciceronis teſtibus, ſi per ſubſtantiam cogitantem, etſi materialem, *ſpiritum* ſumeret. Doct. Stillingfleet impugnat, inquiens hi Auctores expreſſe ſpiritum à corpore diſtingunt. Cui reſpondit Lockius, ipſum ſciviſſe, hos Auctores hæc duo diſtinxiſſe, nimirum per corpus partes rudiores ac viſibiles hominis, per ſpiritum materiam ſubtilem, ut eſt ventus, ignis, ether, ſumſere: quare evidens eſt, eos non intellexiſſe, ſpiritum omni materialitatis ſpecie mundari. Sic Virgilius deſcribens ſpiritum, vel Anchiſis animam filium amplectentem, inquiens

Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno [*]

& Cicero ſupponit [*lib.* 1. *Tuſcul.*], eam eſſe aera, vel ignem: *anima ſit animus* [**] ait, *igniſve neſcio*, vel aer inflammatus. *Inflammata anima* (***), vel quinta eſſentia ab Ariſtotele excogitata: *quinta quædam natura ab Ariſtotele introducta* (****) (o). Tan-

[n] Omnia concedi poſſunt, immo addi poteſt, nihil ad nihilum accedere, & omnia, etſi corpora, ſola Dei potentia poſſint deſtrui, quapropter quid obſtat, quod Deus dum omnia deſtruit animas humanas induratione relinquat? Quid ergo? eſt anima humana immaterialis? Aperte negamus (*V. Med. in Lock. tom. III.*)

(*) *V. Æneid. lib. VI. v.* 700.

[**] *Cap.* 25.

[***] *Cap.* 18.

[****] *Cap.* 26.

(o) Virgilius, allata ſimilitudine, intelligit intangibilitatem deſcribere, non jam animam comparare, immo alibi dixit eam . . . . . *partem divinæ mentis* . . . (*Georg. IV.*)
ut & quoque Cicero, cum dixit, *Si tanta celeritas eſt animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque providentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inventa, quis aperte non videat non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat, eſſe mortalem; & cum ſimplex animi natura ſit, neque habeat in ſe, quidquam admixtum, diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum dividi, quod ſi non*

Tandem Lockius concludit, falſum eſſe dicere contradictionem invenire, quando dicitur, *Deus cum velit cuidam materiæ cumulo, ſuo nutu diſpoſitæ, percipiendi, cogitandique facultatem largiri*, ſi nemo adhuc eam invenire excogitavit ante Carteſium, qui ut illam adinveniat, bruta omni ſenſu carentia ſupponit, contra evidentem experientiam. Chriſtianæ Eccleſiæ Patres nunquam ad demonſtrandum ſumſere, materiam eſſe incapacem ab Artificis manu accipere facultatem ſentiendi, percipiendi, ac cogitandi (*p*),

non poſſit, non poſſe interire. (*V. de Seneƈt.*). Democritus, Zeno, Leucippus, Epicurus putavere, *ignitum* quiddam ex levibus rotundiſque corpuſculis animam eſſe. Stoici fervidum ſpiritum appellavere, etſi alii cum Platone credidere, eſſe ipſum Deum per ſingulas univerſi partes diffuſum. Heraclitus, vaporem mobilem: Diogenes & Anaxagoras aerem: Empedocles, & Dicæarchus ex ſingulis elementis compoſitam dixere. Thales animam cenſuit naturam irrequietam eſſe, Pythagoras numerum ſe moventem, Ariſtoxenus Muſicus harmoniam, Alcmæo quiddam mobile & immortale, cæleſtibus mobilibus & immortalibus ſimile.

[p] Tertullianus [*V. de anima cap. 7. 9.*] Iræneus [*V. lib. II. c. 34.*] Tatianus [*V. Orat. ad Grec.*] Origenes [*V. Periarch. præm.*], Ambroſius [*V. De Abrah. II. c. 8.*] Hilarius (*V: in Math.*], Caſſianus [*V. Collat. VII. c. 13.*), aliique complures, ſi corpoream eſſe animam rationalem, dixere; vel ei negarunt ſpiritualem perfectionem, quæ Deo, ac angelis convenit, vel dicere volebant, eam eſſe creatam, ſumendo corporis ſimilitudinem, nam cum nihil creatum ſimul & incorporeum facile poſſit concipi, corpoream eam appellarunt; vel demum ut ideam alicujus entis cum anima excitarent, ideis ſenſibilibus uſi fuere, & corpoream dixerunt, ut nimirum concipiatur plus eſſe quam nihil; ſi poſtea hæc omnia non ſatisdent, tum dici debet, hac in parte hi omnes in errorem fuere abrepti.

REFLEXIONES

Super modum, quò Lockius opinionem ſuam pandit circa ſenſus cauſam in brutis obſervati.

STatim ſunt Carteſiani excludendi, qui Elephanti neque ſen-
ſum, neque motus ſpontaneos tribuunt. Lockius non con-
venit, nam ille illudit, in pluribus ſui libri locis, illud, quod circa
mechanicam Carteſiani ſunt immaginati, ut ipſi brutis ſen-
ſum omnem tollant, *quoiqu' elles en donnent toutes les démoſtra-*
tions imaginables (ſuis veris terminis utor) *excepté qu' elles ne*
nous le diſent pas elles-mémes. Carteſiani, quos ratione parvi
numeri Lockius contempſit, reſpondere poſſent, quod ſi Deus
quibuſdam materiæ partibus ſenſum & motum ſpontaneum con-
junxit, ut in Elephante obſervamus, quod pro Lockio extra du-
bium eſt, materiam eſſe non ſolum cogitandi capacem, ſed actu
revera cogitantem; Per conſequens, ipſi ei dicerent, reſoluta
eſt quæſtio, ſed quod nobis hic pro vero detur, non eſt, quam
petitio principii, uſque dum evidentibus, phyſiciſque rationibus
in comperto non habetur.

Reliqui homines, profeſſione ſapientes, & ſimplices ex popu-
lo, agnoſcunt cum Lockio, Elephantem ſenſum habere, ince-
dere, ac regredi ad libitum. Sed cum iidem negent Elephanti
cogitationem, memoriam, ac rationem, ego non comprehendo
cur, poſtquam dixerit Lockius, *quibuſdam materiæ particulis*
Deum largiri ſenſum, ac motum ſpontaneum, & reliquas Elephan-
tis proprietates; nec inficiari perparum. Dei potentiam poſſe uſ-
que illuc progredi, addit ille, *quod ſi audet ſua cogitata extendere,*
dicendo, Deum poſſe materiæ addere cogitationem, rationem, ac voli-
tionem, non ſecus ac ſenſum, ſpontaneumque motum, adinveniantur
gentes tam faciles ad Dei potentiam circumſcribendam? Hic Lo-
ckius duo confundit quæ ſunt diſtinguenda, factum quod ei con-
ceditur, & cauſam, quam nemo ante eum decrevit, Epicureis
exceptis, qui audacter eam ſtatuerunt abſque probatione aliqua. Ve-
rum eſt, omnes perinde homines tribuunt Elephanti, cani, ſen-
ſum, ac motum ſpontaneum, ſed nunquam queſivere cauſam
ipſius ſenſus, ac motus ſpontanei, quam Lockius rapide hic ſup-
ponit, ut ab omnibus cognitam. *Deus*, inquit, *addit ſenſum, ac*
motum ſpontaneum partibus materiæ, quibus componitur Elephans.
Quam ob rem audacter, vel inconſideratè, ut certam, ac ab
omnibus in orbe cognitam, ponit cauſam ipſius ſenſus. Sed

ex

ex centenis millibus qui ſenſum Elephantibus tribuunt, nec etiam decem cogitavere ad illius cauſam.

Decipit ſe quoque Lockius, cum credat, ſibi negari, Deum poſſe materiæ addere cogitationem, rationem, volitionemque; poſtquam conceditur, Deum tribuere ſenſum materiæ, ex qua componitur Elephans in brutis ſenſus cauſa eſt tam explicatu difficilis, ut cogitatio, ac ratio. Hoc articulum ſi clare, ac præciſe enodetur, alterum eſſet facillime enodatum, ſaltem ut videtur: ſed *hoc opus, hic labor eſt*. Non ſunt, ut dicam modo, quam Epicurei qui audacter ſtatuere, Elephantem, cui tribuunt ſenſum, motum ſpontaneum, cogitationem, memoriam, rationemque, non eſſe quam materiam, non ſecus ac roſetum, vel pomiferum. Cum illi non internoſcant præter atomos, corpuſcula ſubtiliſſima, ex propria natura mobiliſſima, ac incredibili velocitate prædita, maxima duritie indiviſibilia, ratione ac intelligentia deſtituta, abſolute inſenſibilia, quidquid exiſtit, vel exiſtere poſſit ex horum atomorum concurſu oriri faciebant: bruta, aſtra, Planetæ, homines, eorumque cogitationes, reflexiones, ratiocinia profundiora, ac recta, ſenſus in brutis, memoria, ratio. En magnum principium, ac omnium rerum ſundamentum pro iis ſuper rerum natura. Palam hæc ipſi fecere in omnibus ſenſibus modificata, & centies atque centies in operibus ſuis repetita. Sed probavere? Minime, ut celebris Gaſſendi diſcipulus *Bernier* agnovit, unus ex philoſophis ingenuis, qui floruere in XVI, XVII. ſeculo, quanquam, ut ait, in *Schola atomorum nutritus* hoc rejecit principium, & confudavit in opere nuncupato *Lettre écrite de Chiras en Perſe a ſon Amis Chapelle* (*) qui erat diſcipulus alter Gaſſendi. Ego omitto hic quod inquit ille contra hoc dogma Epicureorum, cujus incongruitatem Lockius oſtendit in capite *de exiſtentia Dei*. Sed non poſſum relinquere locum, qui huic notæ confert, intendi volo, de ſenſus cauſa, quam brutis *Bernier* non ſecus, ac Lockius tribuit. En in propriis verbis. *Eh Dieu, mon cher*, inquit Amico Chapelle (**), *ne ſommes-nous pas, cent & cent fois, tombés d'accord enſemble vous, & moi, que quelque force que nous puiſſions fair ſur notre eſprit, nous ne ſaurions jamais concevoir comme quoi de corpuſcules* INSENSIBLES *il en puiſſe jamais reſulter rien de* SENSIBLE, *ſans qu'il intervienne rien que d'inſenſible; & qu'avec tous leur atôms, quelque petits, quelque mobiles qu'ils les faſſent, quel-*

(*) 10 *Jun.* 1668 *à Mr. Chapelle pag.* 38.
(**) *Ib. pag.* 65. 66.

quelques mouvements , & quelques ſigures qu' ils leur donnent, & en quelqu' ordre, melage, & diſpoſition qu' ils nous les puiſſent ſair venir; & meme quelqu' induſtrieuſe main qui les pût conduir, ils ne ſauroient jamais (demeurant dans leur ſuppoſition, que ces Corpuſcules n' ayent point d' autres proprietés , ou perfection que celles que J' ai dit) nous ſair imaginer comme quoi il en puiſſe reſulter un Composé, je ne dis point qui ſoit raiſonnant comme l' homme; mais qui ſoit ſimplement SENSITIF *comme pourroit etre le plus imparſait vermiſſeu de terre qui ſe trouve.*

Evidens eſt ex dictis concluſio, quod *Bernier* eſt longe a cogitando, Elephantem., quem ſenſu preditum agnovit, tantum eſſe materialem, quod Lockius, ut ſactum generaliter cognitum habet, cum dicat de *quo non dubitetur*. Ad ſciendum interim qualem uſum de hoc facto efficiat, quod ut evidens ſtatuit, ſed à Carteſianis impugnatum, cujus caſa a multitudine hominem abſolute ignoratur, & quam enodare neſciunt optima ingenia; ſcite ego dico, qualem influentiam poteſt hoc factum habere in ratiociniis quæ Lockius cumulat in diſſertatione; cauſa demonſtrandi, materiam poſſe cogitare, ego doctrina ac penetratione careo, quapropter nequeo Lockium in hoc complicato, atque confuſo argumento ſequi. Ego hanc quæſtionem conſidero, ut & majorem metaphiſiſicarum cavillationum, ut uvas quas vulpes in culmine concamerationis videbant, & pulchras, ac rubicundas exiſtimabant. Ego neſcio ſi tam optima ſint, ut nobis dentur. Nimis brevis eſt meus intellectus, ut poſſim ſtatuere, An ſint; ergo plus, quam vulpes, ingenue dicam, *je ne ſais aucun effort pour y atteindre*, nam incapax ſum, me tam in altum extollere [q].

CAP.

(q) Circa brutorum animas, eorumque operationes videri poteſt meditatio noſtra de anima brutorum *tom. II.*

Digitized by Google

C A P. III.

De Termino humanæ Cognitionis.

§. I.

QUoniam, ut dixi, cognitio in *idearum* noſtrarum convenientiæ, aut repugnantiæ perceptione poſita eſt (95), hinc ſequitur,

Primo; non ultra ideas noſtras pertingit.

Primo, Nos nullam rerum cognitionem habere poſſe, ubi nullam habemus ideam.

§. II.

Secundo, nihil ulterius, quam convenientiam aut repugnantiam illarum percipere poſſumus.

SEcundo, Nos *cognitionem* non ulterius attingere poſſe, quam convenientiæ, aut repugnantiæ iſtius perceptione imbuimur: Et cum perceptio iſta fiat, I. vel per *Intuitionem*, ſive duarum *idearum* immediatam inter ſe collationem; vel II. per *rationem* quæ aliarum inventu, duarum *idearum* convenientiam, aut repugnantiam perſcrutatur. Aut III. per *ſenſationem*, entium ſingularium exiſtentia quando percipitur. Hinc etiam ſequitur.

§. III.

(95) *V. adn.* 76.

§. III.

Tertio, cognitio intuiuiva non ad omnes idearum noſtrarum Relationes pertingit.

TErtio, *Cognitionem noſtram intuitivam pertinere non poſſe* ad omnes *ideas* noſtras, atque illud omne, quod de iis ſcire volumus; quoniam illarum omnes ad ſe invicem reſpectus, ac relationes, per *juxta poſitionem*, aut immediatam ad ſe invicem comparationem examinare non poſſumus. Ita nimirum ſi ideas habeo acutanguli, & obutuſanguli trianguli, quorum omnes ſuper baſes ſunt æquales, & inter lineas parallelas, cognitionis ope intuitivæ, alterum non eſſe alterum plane perſpicio, eadem tamen opera ſcire nequeo, utrum æqualia ſint, nec ne: quod æqualitas, aut inæqualitas illorum haud per immediatam comparationem percipi poteſt. Figurarum diverſitas obſtat, quo minus partes, juxta poſitæ, accurate inter ſe compararentur; quare opus eſt, ut per intermedias aliquas qualitates menſurentur, quod *demonſtrationem*, ſive *ratiocinium* dicimus.

§. IV.

Quarto, neque cognitio Demonſtrativa.

QUarto. Ex ſupra dictis etiam ſequitur, *cognitionem* noſtram *rationalem* non ad univerſas *ideas* noſtras pertingere. Quoniam inter diverſas duas *ideas*, quæ in diſceptatione verſantur, *intermedias ideas* non ſemper invenimus, quas per omnem continuationem & ſeriem diſſertationis iſtius, cognitione intuitiva ad ſe invicem connectere poſſemus; ubi-

ubicunque vero illud deficit, ibi demonſtrationem & cognitionem fruſtra quærimus (96).

§. V.

Quinto, cognitio ſenſitiva utravis anguſtior eſt.

Quinto, ſequitur, *Cognitionem ſenſitivam*, ad rerum tantum exiſtentiam pertingentem, quæ ſenſibus actu obverſantur, duabus præcedentibus longe anguſtiorem eſſe.

§. VI.

Sexto, cognitio noſtra ideis noſtris idcirco anguſtior eſt.

Ex dictis patet, *Cognitionem noſtram* non ſolum ipſarum hujus univerſi rerum, verum noſtrarum etiam *idearum* ambitu, & amplitudine minorem eſſe (97). Etſi noſtra cognitio intra *ideas* noſtras terminetur, neque ambitu, aut perfectione ipſas exuperare poſſit; etſi etiam termini iſti ſunt anguſtiſſimi, ſi entium toties univerſi amplitudinem ſpectemur, & quidem arctiores longe iſta cognitione, quam probabile eſt, aliis creatis quibuſdam mentibus ineſſe, quæ non paucis iſtis, iiſque obtuſis, nec adeo acutis, percipiendi adminiculis, ſenſuum nempe miniſterio, utuntur ad rerum cognitionem conſequendam; attamen nobis maximo futurum eſſet emolumento, ſi co-

(96) Quando mihi repreſento quoddam objectum habeo ne objecti cognitionem? Si habeo, qnibus ideis intermediis utor? Si nullis; nam objectum ſingulare conſideratur, cur dicitur, cognitionem eſſe convenientiam, vel diſconvenientiam? (76)

(97) Propter ideas non enucleatas, vel inter ſe confuſas,

ſi cognitio noſtras eas ſaltem, quibus imbuti ſumus, *ideas* adæquaret, & ita de *ideis*, quas habemus, non tam multæ eſſent controverſiæ, quas nec dijudicare poſſumus, nec quiſquam alius in hac vita unquam, quantum quidem ego exiſtimaverim, dirimere poterit. Nihilominus, haud dubito, quin humana cognitio, in hac, qua nati ſumus, conditione, ulterius longe, quam hactenus, ferri poſſit, ſi homines ſincere agentes, & rationis ductum libere ſectantes; ad veritatis inveniendæ rationem inveſtigandam cogitationes tantum intenderent, quantum illi, qui emolumenta ſua, qui dogmata, in Syſtemate quodam propoſita, & ſectam aliquorum ſequuntur, falſitati rationem obtendere, conniti ſolent. Præterea quoque exiſtimo, mihi, in naturæ humanæ perfectionem non injurioſo, confidenter dicere, non poſſe notitiam noſtram ad ea omnia pertingere, quæ de *ideis*, quas habemus, ſcire deſideramus, nec etiam omnes difficultates tollere, & omnes quæſtiones, quæ circa alteram, atque alteram harum idearum exoriri poſſunt, dijudicare. Sic enim in nobis *ideæ* ſunt *quadrati*, *circuli* & *æqualitatis*; circulum tamen, quem quadrato æqualem eſſe certo ſciremus, nunquam fortaſſe inveniemus. *Ideis* afficimus *materiæ* & *cogitationis*, at fortaſſe haud manifeſto comperiemus unquam, utrum ens aliquod pure materiale cogitet, nec ne; nobis enim impoſſibile eſt, noſtras tantum *ideas* intuentibus, ſine revelationis adminiculo, diſpicere, annon Deus omnipotens quibuſdam materiæ portionibus, ita uti ipſi ad hoc propoſitum viſum eſt, diſpoſitis, percipiendi & cogitandi facultatem tribuerit, aut materiæ, ita diſpoſitæ, cogitantem ſubſtantiam immaterialem adjunxerit. (*) Noſtris enim notionibus haud mul-

(*) Mirandum ſane eſt, Philoſophos quoſdam extitiſſe, qui cum animæ immortalitatem ex fide, & religione ſibi explora-

multo magis difficile, & alienum videtur, concipere, Deum, ſi modo voluerit , *ideæ* noſtræ materiæ cogi-

---

ratam oſtenraro affectarent , tamen ejuſdem immaterialitatem in dubium revocarunt : immaterialitatem , inquam, quæ ipſius immortalitatis fundamentum eſt, & cujus demonſtrationem , inanem veluti , atque incertam inveſtigationem, tanquam de re indifferenti agatur , & ad quam neque pervenire poſſit noſtra contemplatio , ſuadere conati ſunt. Primarius hujuſce ſententiæ auctor recenſendus eſt Lockius , cujus auctoritas tanri fuit ponderis , ut permulti libenter eam amplecterentur: neque mirum , cum faveat tum corruptelis , tum narurali deſidiæ humani ſpiritus , qui plerumque in difficilioribus , atque abſtruſioribus inveſtigationibus ſpecioſos ſtudet prætextus inquirere , ut in hæſirationis ſtatu moretur , & negligat eam dare operam , illoſque impendere labores , per quos & illuſtraretur, & convincerentur . Hand noſtri inſtituti eſt omnes contra hanc impiam propoſitionem demonſtrationes certiſſimas producere, ut veritas conſtantiſſima de animæ immaterialirate eluceſcat: ſiquidem & ipſis Locki temporibus Stillingflectus exacuit calamum, & permulti impoſterum toţ , adeoque perſpicuis rationibus eam vindicarunt , ut ſupervacaneum jam redigatur eas repetere contra noſtri inſtituti metam, quippe quæ in ipſis fontibus jam legi queant. At quia de maximo momento agitur , lectoribus ſatisfacturi , quæ ſatis nobis viſa ſunt referemus. *Genuenſis* t. II. Elemenr. Metaphyſ. inter cæteras demonſtrationes, in capire I. *de natura mentis humanæ*, ſic ratiocinarur: *Nec reponant, Deum id efficere poſſe , ut nimirum eadem ſubſtantia viribus diverſorum generum ſit compoſita : reſpondemus enim non poſſe Deum efficere, ut eadem eſſentia conſtetur proprietatibus, quarum altera alteram deſtruat ; quandoquidem id eſt impoſſibile intrinſecum , ad quod Dei potentia non pertingit . Quum autem earum duarum virium altera alteram deſtruat , quod inferius demonſtrabitur aperte, fieri nequit , ut eadem ſubſtantia ambabus ſit prædita . Quod ſi fingere velint creatam a Deo* fluidam quandam ſubſtantiam *naturæ diverſæ ab iis corporibus , quæ cognoſcimus , eique ſubſtantiæ per totum corpus noſtrum diffuſæ eam vim , qua cogitamus , tribuant; iſti aut hanc fluidam ſubſtantiam facient reliquis corporis viribus præditam ,* ſoliditate , gravitate , diviſibilitate *&c. aut non: ſi poſterius , ea incorporea erit ; ſi prius itidem conſtabitur ex iis , quæ ſe mutuo deſtruunt: nempe, ut diximus, & inferius ſumus demonſtraturi , cogitationem ſtare non poſſe in eadem ſubſtantia cum corporis notis proprietatibus .* Præterea propoſitione XII.

gitandi facultatem ſuperaddere poſſe, quam, ut aliam illi ſubſtantiam conjungeret, una cum potentia cogitan-

XII. qua probat, mentem humanam eſſe incorpoream, hæc habet; *Quum cogitationes ſint actiones, eſſe debet earum vis aliqua, ſeu potentia, ſubjectum ſive ſubſtantia. Jam ſi id ſubjectum corpus eſt, idearum repræſentatio & perceptio, tum judicium & ratiocinatio non aliter fieri poſſunt, quam conflictu partium corporis: quod cum eſſe nequeat; cogitationes erunt ſubjecti alicujus incorporei: ſubjectum vero cogitationum noſtrarum mens eſt humana: mens ergo humana incorporea eſt. Præterea ſi non eſt incorporea, erit aut habitus & temperatio corporis, aut ejus attributum aliquod ſubſtantiale. Primum eſſe nequit: nec ſecundum. Nam cum mens pugnet cum præcipuis corporis attributis eſſentialibus, diviſibilitate, ſoliditate &c. eadem ſubſtantia corporea conſtaret ex iis, quæ ſe mutuo deſtruunt, quod fieri nequit. Nec regeratur, ignorare nos eſſentiam corporis, ac propterea affirmare non poſſe, cogitationem non eſſe illius attributum eſſentiale; nam ut demonſtrem pugnare, ex. gr. ut triangulum ſit quævis alia figura, non eſt neceſſe, ut utriuſque omnes proprietates noſcam: ſat eſt ſcire, eſſe in illa figura v. g. X, proprietatem Z, quæ deſtruat hanc Trianguli, tres ejus angulos æquales eſſe duobus rectis*. Hinc infert ſequens Corollarium: *Attributa eſſentialia mentis omnino ſunt diverſa ab eſſentialibus Corporis attributis. Nempe ſubſtantiæ diverſæ iiſdem attributis conſtare nequeunt*. Ex noſtris itidem adnotationibus paſſim appoſitis facile quiſque poterit alias elicere demonſtrationes, quibus magis, atque magis certus fiet de hujuſce rei veritate, circa quam profecto nullam hæſitationem experiuntur, qui humiles corde fidei præceptis, ac revelationis oraculis ſe ſubjiciunt. Dogmata ſiquidem incorporalitatis, & immortalitatis animarum ſunt Chriſtianæ religionis dogmata a Deo revelata divinis ſcripturis & traditionibus: etenim cum Deus corpus humanum ex argilla molliori conformaſſet, inſpiravit in faciem ejus *ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Servator Noſter aperte dicit, Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam enim occidere non poſſunt: ſed timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet mittendi animam in gehennam ignis*. Paulus in Epiſt. ad Philipp. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Similiter in Eccleſiaſte v. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum*: cujus verſ. quidem pars prior referenda eſt priori alterius verſ. Moſis *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo*

tandi; cum nos prorſus lateat, in quonam cogitatio conſiſtat, & cui ſubſtantiarum generi, viſum ſit Deo, potentiam iſtam impertire, qua, niſi ex ſummi creatoris voluntate & benignitate, nullum ens creatum præditum eſſet. Haud repugnare enim puto, primum illud æternum ens cogitans, ſive ſpiritus omnipotens, ſi modo id viſum ipſi fuiſſet, materiæ creatæ, ſenſus prorſus experti, ad lubitum ipſius diſpoſitæ, quoſdam ſenſus, perceptionis, & cogitationis gradus im-

limo terræ; & poſterior, parti itidem poſteriori ejuſdem verſ. Moſis. *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Divus Gregorius in Orat. 2. de Paſch hæc habet de creatione hominis; *Animal unum ex utroque hoc eſt, ex viſibili & inviſibili fabricatur, atque a materia, quæ prius jam creata erat, accepto corpore: a ſe autem ſpiraculum inferens, quod quidem intellectualem animam, & imaginem Dei ſcriptura vocat.* Origenes quæſtionem hanc de immaterialitate Dei, & animæ rationalis dilucidavit; & Divus Baſilius quoque Dei immaterialitatem ex animæ immaterialitate probat. Hom. 32. *fin. Porro in ſumma exacta tui ipſius conſideratio ſufficientem tibi exhibebit manuductionem etiam ad notionem Dei. Si enim attenderis tibi ipſi, nihil opus habebis ex univerſorum ſtructura ipſum Opificem inveſtigare; ſed in te ipſo, veluti parvo quodammundo magnam Conditoris ſapientiam videbis. Incorporeum cogita eſſe Deum ex anima incorporea in te exiſtente, & qui non circumſcribitur loco, quandoquidem mens tua neque primariam habet in loco moram, & converſationem, ſed per conjunctionem ad corpus in loco eſt. Inviſibilem eſſe Deum crede, tuæ ipſius animæ conſideratione facta, quandoquidem etiam ipſa corporalibus oculis incomprehenſibilis eſt: neque enim colorata eſt, neque figura prædita, neque aliquo corporali charactere comprehenſa, ſed ex actionibus ſolum cognoſcitur. Quare nec in Deo quæſieris cognitionem per occulos, ſed menti fidem committe, & intellectualem de ipſo comprehenſionem habe. Admirare Artificem, quomodo Animæ tuæ vim ad corpus colligavit.* Pudeat & Chriſtianum, & philoſophum dubitare de conſtantiſſima hac veritate, in qua veluti fundamento omnium actionum humanarum moderatio, & futurorum expectatio tota ſita eſt (*). THIELE

(*) Melius efficeret, philoſophicis argumentis, quam ſcripturis, Patruumque ſententiis utramque paginam explere. Qui animæ ſpiritualitatem impugnant, vel ſcripturas reſpuunt, vel in proprium ſenſum eas vertunt, philoſophicis rationibus utentes.

pertire : Etſi, ſi recte memini, alio loco oſtendi, (*Lib. IV. Cap. X.*) eos pugnantia inter ſe loqui, qui dicunt, materiam (quæ etiam ex natura ſua ſenſu, & cogitatione prorſus caret) eſſe æternum illud primum ens cogitans. Quomodo enim quis certo ſciat, quaſdam perceptiones, cujuſmodi nempe ſunt voluptas & dolor, ipſis quibuſdam corporibus, certa quadam conſtitutione, & motu præditis, non æque congruere, ac ſubſtantiæ immateriali ad partium corporis motum? Corpus enim, quantum quidem nos concipere poſſumus, a corpore tantummodo feritur & afficitur; atque motus, prout diſcimus, ſi ad noſtras tantum *ideas* attendamus, nil niſi motum producere poteſt; quare cum concedimus, corpus & motum voluptatem parere aut dolorem, ſive coloris, aut ſoni *idem*, neceſſario cogimur rationi nuncium remittere, ultra *ideas* noſtras vagari, atque hac productionem divinæ tantum voluntati, cui ita eſt viſum, illud adſcribere. Cum enim fatendum ſit, Deum effectus motui largitum eſſe, quos a motu provenire nunquam concipere poſſumus, quo, quæſo, argumento inducti, nos pro certo affirmare volumus, ipſum non æque conſtituere potuiſſe, ut in ſubjecto hi producerentur effectus, quorum nobis plane non videtur eſſe capax; ac in ſubjecto, in quod materiæ motum ullo modo operari poſſe, nos neutiquam concipimus? Non hæc perinde loquor, ac ſi animæ *immaterialitati* fidem ullo modo demturus eſſem. Non hic de probabilitate, verum de certa & evidenti cognitione loquor; atque puto, non ſolum conſentaneum eſſe modeſtiæ iſti, quæ in Philoſophorum ſcriptis debet elucere, ut nimirum nihil dogmatice imperioſi pronunciemus, ubi deeſt nobis evidentia, quæ ſola cognitionem parit; verum inſuper uſui nobis eſſe, ſcire, quo uſque cognitio noſtra pertingere poſſit; cum enim iſte, quo impræſentiarum utimur, haud ſta-

ſtatus ſit viſionis, quemadmodum loquuntur Theologi, neceſſe eſt, ut in multis fidem tantum, & probabilitatem ſequamur; atque haud mirum videri debet, ſi in hac quæſtione, de *animæ immaterialitate*, facultates animi haud demonſtrativam certitudinem aſſequantur. Morum honeſtati, atque rei religionis ſatis proſpectum erit, ſine Philoſophorum argumentis, qui animam immaterialem eſſe docent, quoniam manifeſtum eſt eum, qui nobis ſenſu & ratione præditis, hic exiſtendi initium primo tribuerit, effeceritque, ut per aliquot annos in eodem ſtatu maneremus, non poſſe tantummodo, verum etiam velle eundem in nobis ſenſum in alia vita reſuſcitare, ipſumque tunc hominibus ea retributurum, quæ in hac vita fecerint. Quocirca neceſſitas non adeo magna urget, ut quis vel ad defendendam, vel ad impugnandam animæ immaterialitatem animum obfirmet, uti quidem homines nonnulli, ſuarum ſententiarum ſtudioſiſſimi, illud perhibuerunt; quorum alii, mentem habentes nimis immerſam, ut ita dicam, materiæ, nullam concedere poſſunt exiſtentiam rei cujuſdam, quæ non ſit materialis; alii non deprehendentes, quod *cogitatio* in naturalibus materiæ facultatibus contineatur, licet eam in omni ſenſu, facta omni applicatione, quoad ejus fieri potuit, examinaverint, magna confidentia exinde concludunt; ne Deum quidem ipſum ſolidæ cuidam ſubſtantiæ vitam & perceptionem largiri poſſe. (*) At vero qui-

 cun-

(*) Quæſtio eſt, an Deus poſſit materiæ, ſenſum, & perceptionem dare, ita tamen, ut illa adhuc retineat priores materiæ qualitates, extenſionem, ſoliditatem inertiam &c. non autem hæc, an efficere poſſit, ut id ſubjectum, quod prius erat extenſum, ſolidum, iners, grave &c. evadat cogitans, amiſſa extenſione, ſoliditate &c. Ad ſecundam quæſtionem quod attinet, nihil de ea dicemus, cum ad rem noſtram haud ſpectet; at quoad primam negamus, id a Deo fieri poſſe. Neque enim Deus poteſt efficere, ut idem conſtet iis, quæ ſe mutuo deſtruunt: ex.

cunque ſecum perpenderit, quum difficile nobis ſit, materiæ extenſæ ſenſationem adjungere, & exſiſtentiam cum re, prorſus non extenſa, conjungere, fatebitur, ſe multum abeſſe a certa; quid anima ſua ſit cognitio. Hæc eſt, inquam, res, quæ noſtram plane cognitionem tranſcendere mihi videtur.

Et

---

ex. gr. efficere nequit circulum quadratum, quia altera alteram figuram deſtruit, eſtque voluntas Dei, qua vult, æqualis voluntati, qua non vult, ex qua idcirco ſic contraria voluntare æquilibrata nulla ſequitur operatio. Perceptio tum inertiam, tum ſoliditatem deſtruit, nec poteſt convenire materiæ, quemadmodum eidem inertia, ſoliditas &c. conveniunt: unde corpora hujuſmodi, qualia ſenſuum tactu cognoſcimus, cogitationis capacia eſſe nequeunt. Præterea ſi a Deo materiæ tribui cogitandi facultas potuiſſet, alterutro ex his modis id effectum eſſet: aut, nimirum, tribuendo ſolidis cujuſdam maſſæ materiæ partibus eam magnitudinem, figuram, motum, &c. ex quibus facultas primum cogitandi, deinde cogitatio ipſa efficeretur; aut addendo eidem maſſæ materiæ facultatem a partibus ipſius ſolidis prorſus diſtinctam. Primum impoſſibile eſt juxta Lockium ejuſdem principia, quia tribueretur cogitatio, ratio, & cognitio ſimplici juxta poſitioni, ac relationi locali partium materiæ; quo nil abſurdius; quum ab ea relatione nihil ſupperaddatur, cap. 10. §. 16. *fin. huj. lib.*, utcunque materiæ particulæ diſponantur, jungantur &c. & contrarium eſſet iis etiam quæ cap. eod. §. 10 aſſeruit. Secundum quoque impoſſibile eſt, quia, fatente eodem Lockio, quum facultas omnis materiæ pendeat a magnitudine, figura, motu, hærentia partium &c. quas ipſe primarias vocat, ſequitur, quod eadem nil aliud ſit, quam modus, ac primarum materiæ qualitatum determinatio, unde cogitatio ens eſſet quoddam accidentale inhærens materiæ; quæ omnia ſic contra Lockii fautores argumentandi præberent aditum. I. Omnis materiæ facultas, juxta Lockium, eſſentialiter pendet a magnitudine, figura, motu, & inhærentia partium materiæ ſolidarum: At facultas cogitandi, juxta Lockium ipſum, ex nulla quacunque partium materiæ diſpoſitione unquam effici, aut produci poteſt. Ergo, juxta Lockium, cogitandi facultas eſſe nequit materiæ facultas. II. Facultas omnis, quæ ſupponitur realitas eſſe a ſubjecti realitate diſtincta, accidens eſt peripateticum: At cogitandi facultas, quum non poſſit, juxta eundem Lockium, produci a magnitudine, figura, motu, & in-

Et qui hoc in ſe ſuſcipere negotium voluerit, ut libere conſideret, atque examinet harum hypotheſium duarum impedimenta & obſcuritates, quæ penetrari prorſus nequeunt, nulla inveniet argumenta, quibus alterutram ſententiam confirmare & ſtabilire poſſit; quoniam, quacunque etiam ratione animam conſideraverit, vel ut ſubſtantiam non extenſam, vel ut materiam extenſam cogitantem; difficultas, qua in horum utroque rite comprehendendo conflictabitur, ſeu in contrariam ipſum abducet ſententiam, quoties alteram tantum ex his duabus animum applicuerit: Methodus hæc eſt rationi prurſus inimica, quam tamen certi homines ſectantur, qui, probe gnari,

 res

& inhærentia partium materiæ ſolidarum, dicenda eſt realitas diſtincta a realitate materiæ: Ergo conſideranda eſt tanquam accidens peripateticum: At, juxta Lockium, formæ ſubſtantiales, & accidentia peripatetica commentitia ſunt, atque chimerica figmenta, l. 2. cap. 31. Ergo, ſecundum Lockium, cogitandi facultas ſuppoſita in materia, conſideranda eſt tanquam commentitium, atque chimericum figmentum. Sic ipſis Lockii principiis Lockius idem convincitur: unde cum a materia, nec a partium ejuſdem diſpoſitione produci poſſit, Ens cogitationis, fateamur, oportet a Deo per creationem veram produci. Productio etenim rei, quæ a ſubjecto præexiſtenti nec extrahitur, nec partibus, quæ prius exiſterent, conflatur, vera dicenda eſt creatio, lib. 2. cap. 26 His poſitis, facile probatur, quod realitas, quam Lockius ſupponit facultatem cogitandi in materia, ſubſtantia ſit & quidem immaterialis. Ens enim omne, quod non producitur a partium materiæ diſpoſitione, ſed proprie a creatione, habere debet exiſtentiam, & realitatem propriam prorſus diſtinctam ab exiſtentia, atque realitate materiæ, & cujuslibet alius Entis. At Ens omne, quod exiſtentiam, atque realitatem habet diſtinctam ab exiſtentia, atque realitate materiæ, & cujuslibet alius Entis, ſubſtantia eſt, minime vero materiæ modus: Ergo, ſi Ens cogitationis productum eſt per veram creationem, non per partium materiæ diſpoſitionem exiſtentiam habet, atque realitatem propriam ab exiſtentia, ac realitate materiæ prorſus diſtinctam; ergo ſubſtantia eſt prorſus diſtincta a materia; ergo eſt immaterialis (**). THIELE

(**) Hic attentione perlegite, & ſolida argumenta pro animæ ſpiritualitate invenietis.

quelques mouvements, & quelques ſigures qu' ils leur donnent, & en quelqu' ordre, melage, & diſpoſition qu' ils nous les puiſſent fair venir; & meme quelqu' induſtrieuſe main qui les pût conduir, ils ne ſauroient jamais (demeurant dans leur ſuppoſition, que ces Corpuſcules n' ayent point d' autres proprietés, ou perfection que celles que J' ai dit) nous fair imaginer comme quoi il en puiſſe reſulter un Composé, je ne dis point qui ſoit raiſonnant comme l' homme; mais qui ſoit ſimplement SENSITIF *comme pourroit etre le plus imparfait vermiſſeu de terre qui ſe trouve.*

Evidens eſt ex dictis concluſio, quod *Bernier* eſt longe a cogitando, Elephantem, quem ſenſu preditum agnovit, tantum eſſe materialem, quod Lockius, ut factum generaliter cognitum habet, cum dicat de *quo non dubitetur*. Ad ſciendum interim qualem uſum de hoc facto efficiat, quod ut evidens ſtatuit, ſed a Carteſianis impugnatum, cujus caſa a multitudine hominem abſolute ignoratur, & quam enodare neſciunt optima ingenia; ſcite ego dico, qualem influentiam poteſt hoc factum habere in ratiociniis quæ Lockius cumulat in diſſertatione; cauſa demonſtrandi, materiam poſſe cogitare, ego doctrina ac penetratione careo, quapropter nequeo Lockium in hoc complicato, atque confuſo argumento ſequi. Ego hanc quæſtionem conſidero, ut & majorem metaphiſiſicarum cavillationum, ut uvas quas vulpes in culmine concamerationis videbant, & pulchras, ac rubicundas exiſtimabant. Ego neſcio ſi tam optima ſint, ut nobis dentur. Nimis brevis eſt meus intellectus, ut poſſim ſtatuere, An ſint; ergo plus, quam vulpes, ingenue dicam, *je ne fais aucun effort pour y atteindre*, nam incapax ſum, me tam in altum extollere (q).

CAP.

(q) Circa brutorum animas, eorumque operationes videri poteſt meditatio noſtra de anima brutorum *tom. II.*

C A P. III.

De Termino humanæ Cognitionis.

§. I.

QUoniam, ut dixi, cognitio in *idearum* noſtrarum convenientiæ, aut repugnantiæ perceptione poſita eſt (95), hinc ſequitur,

Primo, *non ultra ideas noſtras pertingit*.

Primo, Nos nullam rerum cognitionem habere poſſe, ubi nullam habemus ideam.

§. II.

Secundo, *nihil ulterius*, *quam convenientiam aut repugnantium illarum percipere poſſumus*.

SEcundo, Nos *cognitionem* non ulterius attingere poſſe, quam convenientiæ, aut repugnantiæ iſtius perceptione imbuimur: Et cum perceptio iſta fiat, I. vel per *Intuitionem*, ſive duarum *idearum* immediatam inter ſe collationem; vel II. per *rationem* quæ aliarum inventu, duarum *idearum* convenientiam, aut repugnantiam perſcrutatur. Aut III. per *ſenſationem*, entium ſingularium exiſtentia quando percipitur. Hinc etiam ſequitur.

(95) *V. adn.* 76.

§. III.

Tertio, cognitio intuiuiva non ad omnes idearum noſtrarum Relationes pertingit.

T*Ertio*, *Cognitionem noſtram intuitivam pertinere non poſſe* ad omnes *ideas* noſtras, atque illud omne, quod de iis ſcire volumus; quoniam illarum omnes ad ſe invicem reſpectus, ac relationes, per *juxta poſitionem*, aut immediatam ad ſe invicem comparationem examinare non poſſumus. Ita nimirum ſi ideas habeo acutanguli, & obutuſanguli trianguli, quorum omnes ſuper baſes ſunt æquales, & inter lineas parallelas, cognitionis ope intuitivæ, alterum non eſſe alterum plane perſpicio, eadem tamen opera ſcire nequeo, utrum æqualia ſint, nec ne: quod æqualitas, aut inæqualitas illorum haud per immediatam comparationem percipi poteſt. Figurarum diverſitas obſtat, quo minus partes, juxta poſitæ, accurate inter ſe comparentur; quare opus eſt, ut per intermedias aliquas qualitates menſurentur, quod *demonſtrationem*, ſive *ratiocinium* dicimus.

§. IV.

Quarto, neque cognitio Demonſtrativa.

Q*Uarto*. Ex ſupra dictis etiam ſequitur, *cognitionem* noſtram *rationalem* non ad univerſas *ideas* noſtras pertingere. Quoniam inter diverſas duas *ideas*, quæ in diſceptatione verſantur, *intermedias ideas* non ſemper invenimus, quas per omnem continuationem & ſeriem diſſertationis iſtius, cognitione intuitiva ad ſe invicem connectere poſſemus; ubi-

ubicunque vero illud deficit, ibi demonſtrationem & cognitionem fruſtra quærimus (96).

§. V.

Quinto, cognitio ſenſitiva utravis anguſtior eſt.

Quinto, ſequitur, *Cognitionem ſenſitivam*, ad rerum tantum exiſtentiam pertingentem, quæ ſenſibus actu obverſantur, duabus præcedentibus longe anguſtiorem eſſe.

§. VI.

Sexto, cognitio noſtra ideis noſtris idcirco anguſtior eſt.

Ex dictis patet, *Cognitionem noſtram* non ſolum ipſarum hujus univerſi rerum, verum noſtrarum etiam *idearum* ambitu, & amplitudine minorem eſſe (97). Etſi noſtra cognitio intra *ideas* noſtras terminetur, neque ambitu, aut perfectione ipſas exuperare poſſit; etſi etiam termini iſti ſunt anguſtiſſimi, ſi entium toties univerſi amplitudinem ſpectemur, & quidem arctiores longe iſta cognitione, quam probabile eſt, aliis creatis quibuſdam mentibus ineſſe, quæ non paucis iſtis, iiſque obtuſis, nec adeo acutis, percipiendi adminiculis, ſenſuum nempe miniſterio, utuntur ad rerum cognitionem conſequendam; attamen nobis maximo futurum eſſet emolumento, ſi co-

(96) Quando mihi repreſento quoddam objectum habeo ne objecti cognitionem? Si habeo, qnibus ideis intermediis utor? Si nullis; nam objectum ſingulare conſideratur, cur dicitur, cognitionem eſſe convenientiam, vel diſconvenientiam? (76)

(97) Propter ideas non enucleatas, vel inter ſe confuſas,

ſi cognitio noſtras eas ſaltem, quibus imbuti ſumus, *ideas* adæquaret, & ita de *ideis*, quas habemus, non tam multæ eſſent controverſiæ, quas nec dijudicare poſſumus, nec quiſquam alius in hac vita unquam, quantum quidem ego exiſtimaverim, dirimere poterit. Nihilominus, haud dubito, quin humana cognitio, in hac, qua nati ſumus, conditione, ulterius longe, quam hactenus, ferri poſſit, ſi homines ſincere agentes, & rationis ductum libere ſectantes, ad veritatis inveniendæ rationem inveſtigandam cogitationes tantum intenderent, quantum illi, qui emolumenta ſua, qui dogmata, in Syſtemate quodam propoſita, & ſectam aliquorum ſequuntur, falſitati rationem obtendere, conniti ſolent. Præterea quoque exiſtimo, mihi, in naturæ humanæ perfectionem non injurioſo, confidenter dicere, non poſſe notitiam noſtram ad ea omnia pertingere, quæ de *ideis*, quas habemus, ſcire deſideramus, nec etiam omnes difficultates tollere, & omnes quæſtiones, quæ circa alteram, atque alteram harum idearum exoriri poſſunt, dijudicare. Sic enim in nobis *ideæ* ſunt *quadrati*, *circuli* & *æqualitatis*; circulum tamen, quem quadrato æqualem eſſe certo ſciremus, nunquam fortaſſe inveniemus. *Ideis* afficimus *materiæ* & *cogitationis*, at fortaſſe haud manifeſto comperiemus unquam, utrum ens aliquod pure materiale cogitet, nec ne; nobis enim impoſſibile eſt, noſtras tantum *ideas* intuentibus, ſine revelationis adminiculo, diſpicere, annon Deus omnipotens quibuſdam materiæ portionibus, ita uti ipſi ad hoc propoſitum viſum eſt, diſpoſitis, percipiendi & cogitandi facultatem tribuerit, aut materiæ, ita diſpoſitæ, cogitantem ſubſtantiam immaterialem adjunxerit. (*) Noſtris enim notionibus haud mul-

(*) Mirandum ſane eſt, Philoſophos quoſdam extitiſſe, qui cum animæ immortalitatem ex fide, & religione ſibi explora-

multo magis difficile, & alienum videtur, concipere, Deum, ſi modo voluerit, *ideæ* noſtræ materiæ cogi-

ratam oſtentare affectarent, tamen ejuſdem immaterialitatem in dubium revocarunt: immaterialitatem, inquam, quæ ipſius immortalitatis fundamentum eſt, & cujus demonſtrationem, inanem veluti, atque incertam inveſtigationem, tanquam de re indifferenti agatur, & ad quam neque pervenire poſſit noſtra contemplatio, ſuadere conati ſunt. Primarius hujuſce ſententiæ auctor recenſendus eſt Lockius, cujus auctoritas tanti fuit ponderis, ut permulti libenter eam amplecterentur: neque mirum, cum faveat tum corruptelis, tum naturali deſidiæ humani ſpiritus, qui plerumque in difficilioribus, atque abſtruſioribus inveſtigationibus ſpecioſos ſtudet prætextus inquirere, ut in hæſitationis ſtatu moretur, & negligat eam dare operam, illoſque impendere labores, per quos & illuſtraretur, & convincerentur. Haud noſtri inſtituti eſt omnes contra hanc impiam propoſitionem demonſtrationes certiſſimas producere, ut veritas conſtantiſſima de animæ immaterialitate eluceſcat: ſiquidem & ipſis Locki temporibus Stillingflectus exacuit calamum, & permulti impoſterum tot, adeoque perſpicuis rationibus eam vindicarunt, ut ſupervacaneum jam redigatur eas repetere contra noſtri inſtituti metam, quippe quæ in ipſis fontibus jam legi queant. At quia de maximo momento agitur, lectoribus ſatisfacturi, quæ ſatis nobis viſa ſunt referemus. *Genuenſis* t. II. Element. Metaphyſ. inter cæteras demonſtrationes, in capite I. *de natura mentis humanæ*, ſic ratiocinatur: *Nec reponant, Deum id efficere poſſe, ut nimirum eadem ſubſtantia viribus diverſorum generum ſit compoſita: reſpondemus enim non poſſe Deum efficere, ut eadem eſſentia conſtetur proprietatibus, quarum altera alteram deſtruat; quandoquidem id eſt impoſſibile intrinſecum, ad quod Dei potentia non pertingit. Quum autem earum duarum virium altera alteram deſtruat, quod inferius demonſtrabitur aperte, fieri nequit, ut eadem ſubſtantia ambabus ſit prædita. Quod ſi fingere velint creatam a Deo* fluidam quandam ſubſtantiam *naturæ diverſæ ab iis corporibus, quæ cognoſcimus, eique ſubſtantiæ per totum corpus noſtrum diffuſæ eam vim, qua cogitamus, tribuant; iſti aut hanc fluidam ſubſtantiam facient reliquis corporis viribus præditam*, ſoliditate, gravitate, diviſibilitate *&c. aut non: ſi poſterius, ea incorporea erit; ſi prius itidem conſtabitur ex iis, quæ ſe mutuo deſtruunt: nempe, ut diximus, & inferius ſumus demonſtraturi, cogitationem ſtare non poſſe in eadem ſubſtantia cum corporis notis proprietatibus*. Præterea propoſitione XII.

gitandi facultatem ſuperaddere poſſe, quam, ut aliam iſti ſubſtantiam conjungeret, una cum potentia cogitan-

---

XII. qua probat, mentem humanam eſſe incorpoream, hæc habet; *Quum cogitationes ſint actiones, eſſe debot earum vis aliqua, ſeu potentia, ſubjectum ſive ſubſtantia. Jam ſi id ſubjectum corpus eſt, idearum repræſentatio & perceptio, tum judicium & ratiocinatio non aliter fieri poſſunt, quam conflictu partium corporis: quod cum eſſe nequeat; cogitationes erunt ſubjecti alicujus incorporei: ſubjectum vero cogitationum noſtrarum mens eſt humana: mens ergo humana incorporea eſt. Præterea ſi non eſt incorporea, erit aut habitus & temperatio corporis, aut ejus attributum aliquod ſubſtantiale. Primum eſſe nequit: nec ſecundum. Nam cum mens pugnet cum præcipuis corporis attributis eſſentialibus, diviſibilitate, ſoliditate &c. eadem ſubſtantia corporea conſtaret ex iis, quæ ſe mutuo deſtruunt, quod fieri nequit. Nec regeratur, ignorare nos eſſentiam corporis, ac propterea affirmare non poſſe, cogitationem non eſſe illius attributum eſſentiale; nam ut demonſtrem pugnare, ex. gr. ut triangulum ſit quævis alia figura, non eſt neceſſe, ut utriuſque omnes proprietates noſcam: ſat eſt ſcire, eſſe in illa figura v. g. X, proprietatem Z, quæ deſtruat hanc Trianguli, tres ejus angulos æquales eſſe duobus rectis.* Hinc infert ſequens Corollarium: *Attributa eſſentialia mentis omnino ſunt diverſa ab eſſentialibus Corporis attributis. Nempe ſubſtantiæ diverſæ iiſdem attributis conſtare nequeunt.* Ex noſtris itidem adnotationibus paſſim appoſitis facile quiſque poterit alias elicere demonſtrationes, quibus magis, atque magis certus fiet de hujuſce rei veritate, circa quam profecto nullam hæſitationem experiuntur, qui humiles corde fidei præceptis, ac revelationis oraculis ſe ſubjiciunt. Dogmata ſiquidem incorporalitatis, & immortalitatis animarum ſunt Chriſtianæ religionis dogmata a Deo revelata divinis ſcripturis & traditionibus: etenim cum Deus corpus humanum ex argilla molliori conformaſſet, inſpiravit in faciem ejus *ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Servator Noſter aperte dicit, Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam enim occidere non poſſunt: ſed timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet mittendi animam in gehennam ignis.* Paulus in Epiſt. ad Philipp. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Similiter in Eccleſiaſte v. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum:* cujus verſ. quidem pars prior referenda eſt priori alterius verſ. Moſis *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo*

tandi; cum nos prorſus lateat, in quonam cogitatio conſiſtat, & cui ſubſtantiarum generi, viſum ſit Deo, potentiam iſtam impertire, qua, niſi ex ſummi creatoris voluntate & benignitate, nullum ens creatum præditum eſſet. Haud repugnare enim puto, primum illud æternum ens cogitans, ſive ſpiritus omnipotens, ſi modo id viſum ipſi fuiſſet, materiæ creatæ, ſenſus prorſus experti, ad lubitum ipſius diſpoſitæ, quoſdam ſenſus, perceptionis, & cogitationis gradus im-

limo terræ; & poſterior, parti itidem poſteriori ejuſdem verſ. Moſis: *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Divus Gregorius in Orat. 2. de Paſch hæc habet de creatione hominis; *Animal unum ex utroque hoc eſt, ex viſibili & inviſibili fabricatur, atque a materia, quæ prius jam creata erat, accepto corpore: a ſe autem ſpiraculum inferens, quod quidem intellectualem animam, & imaginem Dei ſcriptura vocat*. Origenes quæſtionem banc de immaterialitate Dei, & animæ rationalis dilucidavit; & Divus Baſilius quoque Dei immaterialitatem ex animæ immaterialitate probat. Hom. 32. *fin. Porro in ſumma exacta tui ipſius conſideratio ſufficientem tibi exhibebit manuductionem etiam ad notionem Dei. Si enim attenderis tibi ipſi, nihil opus habebis ex univerſorum ſtructura ipſum Opificem inveſtigare, ſed in te ipſo, veluti parvo quodammundo magnam Conditoris ſapientiam videbis. Incorporeum cogita eſſe Deum ex anima incorporea in te exiſtente, & qui non circumſcribitur loco, quandoquidem mens tua neque primariam habet in loco moram, & converſationem, ſed per conjunctionem ad corpus in loco eſt. Inviſibilem eſſe Deum crede, tuæ ipſius animæ conſideratione facta, quandoquidem etiam ipſa corporalibus oculis incomprehenſibilis eſt: neque enim colorata eſt, neque figura prædita, neque aliquo corporali charactere comprehenſa, ſed ex actionibus ſolum cognoſcitur. Quare nec in Deo quæſieris cognitionem per occulos, ſed menti fidem committe, & intellectualem de ipſo comprehenſionem habe. Admirare Artificem, quomodo Animæ tuæ vim ad corpus colligavit*. Pudeat & Chriſtianum, & philoſophum dubitare de conſtantiſſima hac veritate, in qua veluti fundamento omnium actionum humanarum moderatio, & futurorum expectatio tota ſita eſt (*) THIELE

(*) Melius efficeret, philoſophicis argumentis, quam ſcriptutis, Patruumque ſententiis utramque paginam explere. Qui animæ ſpiritualitatem impugnant, vel ſcripturas reſpuunt, vel in proprium ſenſum eas vertunt, philoſophicis rationibus utentes.

pertire : Etſi , ſi recte memini , alio loco oſtendi , (*Lib. IV. Cap. X.*) eos pugnantia inter ſe loqui , qui dicunt, materiam (quæ etiam ex natura ſua ſenſu, & cogitatione prorſus caret) eſſe æternum illud primum ens cogitans . Quomodo enim quis certo ſciat , quaſdam perceptiones , cujuſmodi nempe ſunt voluptas & dolor , ipſis quibuſdam corporibus, certa quadam conſtitutione , & motu præditis , non æque congruere , ac ſubſtantiæ immateriali ad partium corporis motum ? Corpus enim , quantum quidem nos concipere poſſumus , a corpore tantummodo feritur & afficitur ; atque motus, prout diſcimus, ſi ad noſtras tantum *ideas* attendamus , nil niſi motum producere poteſt ; quare cum concedimus , corpus & motum voluptatem parere aut dolorem , ſive coloris, aut ſoni *idem* , neceſſario cogimur rationi nuncium remittere, ultra *ideas* noſtras vagari, atque hac productionem divinæ tantum voluntati , cui ita eſt viſum , illud adſcribere. Cum enim fatendum ſit, Deum effectus motui largitum eſſe , quos a motu provenire nunquam concipere poſſumus, quo, quæſo , argumento inducti , nos pro certo affirmare volumus , ipſum non æque conſtituere potuiſſe , ut in ſubjecto hi producerentur effectus , quorum nobis plane non videtur eſſe capax ; ac in ſubjecto , in quod materiæ motum ullo modo operari poſſe, nos neutiquam concipimus ? Non hæc perinde loquor, ac ſi animæ *immaterialitati* fidem ullo modo demturus eſſem . Non hic de probabilitate, verum de certa & evidenti cognitione loquor; atque puto , non ſolum conſentaneum eſſe modeſtiæ iſti, quæ in Philoſophorum ſcriptis debet elucere , ut nimirum nihil dogmatice imperioſi pronunciemus , ubi deeſt nobis evidentia , quæ ſola cognitionem parit ; verum inſuper uſui nobis eſſe , ſcire , quo uſque cognitio noſtra pertingere poſſit ; cum enim iſte , quo impræſentiarum utimur , haud

ſtatus ſit viſionis, quemadmodum loquuntur Theologi, neceſſe eſt, ut in multis fidem tantum, & probabilitatem ſequamur; atque haud mirum videri debet, ſi in hac quæſtione, de *animæ immaterialitate*, facultates animi haud demonſtrativam certitudinem aſſequantur. Morum honeſtati, atque rei religionis ſatis proſpectum erit, ſine Philoſophorum argumentis, qui animam immaterialem eſſe docent, quoniam manifeſtum eſt eum, qui nobis ſenſu & ratione præditis, hic exiſtendi initium primo tribuerit, effeceritque, ut per aliquot annos in eodem ſtatu maneremus, non poſſe tantummodo, verum etiam velle eundem in nobis ſenſum in alia vita reſuſcitare, ipſumque tunc hominibus ea retributurum, quæ in hac vita fecerint. Quocirca neceſſitas non adeo magna urget, ut quis vel ad defendendam, vel ad impugnandam animæ immaterialitatem animum obfirmet, uti quidem homines nonnulli, ſuarum ſententiarum ſtudioſiſſimi, illud perhibuerunt; quorum alii, mentem habentes nimis immerſam, ut ita dicam, materiæ, nullam concedere poſſunt exiſtentiam rei cujuſdam, quæ non ſit materialis; alii non deprehendentes, quod *cogitatio* in naturalibus materiæ facultatibus contineatur, licet eam in omni ſenſu, facta omni applicatione, quoad ejus fieri potuit, examinaverint, magna confidentia exinde concludunt, ne Deum quidem ipſum ſolidæ cuidam ſubſtantiæ vitam & perceptionem largiri poſſe. (*) At vero qui-

cun-

(*) Quæſtio eſt, an Deus poſſit materiæ, ſenſum, & perceptionem dare, ita tamen, ut illa adhuc retineat priores materiæ qualitates, extenſionem, ſoliditatem inertiam &c. non autem hæc, an efficere poſſit, ut id ſubjectum, quod prius erat extenſum, ſolidum, iners, grave &c. evadat cogitans, amiſſa extenſione, ſoliditate &c. Ad ſecundam quæſtionem quod attinet, nihil de ea dicemus, cum ad rem noſtram haud ſpectet; at quoad primam negamus, id a Deo fieri poſſe. Neque enim Deus poteſt efficere, ut idem conſtet iis, quæ ſe mutuo deſtruunt;

ex.

cunque ſecum perpenderit, quum difficile nobis ſit, materiæ extenſæ ſenſationem adjungere, & exſiſtentiam cum re, prorſus non extenſa, conjungere, fatebitur, ſe multum abeſſe a certa; quid anima ſua ſit cognitio. Hæc eſt, inquam, res, quæ noſtram plane cognitionem tranſcendere mihi videtur.

Et

---

ex. gr. efficere nequit circulum quadratum, quia altera alteram figuram deſtruit, eſtque voluntas Dei, qua vult, æqualis voluntati, qua non vult, ex qua idcirco ſic contraria voluntate æquilibrata nulla ſequitur operatio. Perceptio tum inertiam, tum ſoliditatem deſtruit, nec poteſt convenire materiæ, quemadmodum eidem inertia, ſoliditas &c. conveniunt: unde corpora hujuſmodi, qualia ſenſuum tactu cognoſcimus, cogitationis capacia eſſe nequeunt. Præterea ſi a Deo materiæ tribui cogitandi facultas potuiſſet, alterutro ex his modis id effectum eſſet: aut, nimirum, tribuendo ſolidis cujuſdam maſſæ materiæ partibus eam magnitudinem, figuram, motum. &c. ex quibus facultas primum cogitandi, deinde cogitatio ipſa efficeretur; aut addendo eidem maſſæ materiæ facultatem a partibus ipſius ſolidis prorſus diſtinctam. Primum impoſſibile eſt juxta Lockium ejuſdem principia, quia tribueretur cogitatio, ratio, & cognitio ſimplici juxta poſitioni, ac relationi locali partium materiæ; quo nil abſurdius; quum ab ea relatione nihil ſupperaddatur, cap. 10. §. 16. *fin. huj. lib*, utcunque materiæ particulæ diſponantur, jungantur &c & contrarium eſſet iis etiam quæ cap. eod. §. 10 aſſeruit. Secundum quoque impoſſibile eſt, quia, fatente eodem Lockio, quum facultas omnis materiæ pendeat a magnitudine, figura, motu, hærentia partium &c. quas ipſe primarias vocat, ſequitur, quod eadem nil aliud ſit, quam modus, ac primarum materiæ qualitatum determinatio, unde cogitatio ens eſſet quoddam accidentale inhærens materiæ; quæ omnia ſic contra Lockii fautores argumentandi præberent aditum. I. Omnis materiæ facultas, juxta Lockium, eſſentialiter pendet a magnitudine, figura motu, & inhærentia partium materiæ ſolidarum.: At facultas cogitandi, juxta Lockhium, ipſum, ex nulla quacunque partium materiæ diſpoſitione unquam effici, aut produci poteſt Ergo, juxta Lockium, cogitandi facultas eſſe nequit materiæ facultas. II. Facultas omnis, quæ ſupponitur realitas eſſe a ſubjecti realitate diſtincta, accidens eſt peripateticum: At cogitandi facultas, quum non poſſit, juxta eundem Lockium, produci a magnitudine, figura, motu, & in-

Et qui hoc in ſe ſuſcipere negotium voluerit, ut libere conſideret, atque examinet harum hypotheſium duarum impedimenta & obſcuritates, quæ penetrari prorſus nequeunt, nulla inveniet argumenta, quibus alterutram ſententiam confirmare & ſtabilire poſſit; quoniam, quacunque etiam ratione animam conſideraverit, vel ut ſubſtantiam non extenſam, vel ut materiam extenſam cogitantem, difficultas, qua in horum utroque rite comprehendendo conflictabitur, ſeu in contrariam ipſum abducet ſententiam, quoties alteram tantum ex his duabus animum applicuerit: Methodus hæc eſt rationi prurſus inimica, quam tamen certi homines ſectantur, qui, probe gnari,

S 3 res

& inhærentia partium materiæ ſolidarum, dicenda eſt realitas diſtincta a realitate materiæ: Ergo conſideranda eſt tanquam accidens peripateticum: At, juxta Lockium, formæ ſubſtantiales, & accidentia peripatetica commentitia ſunt, atque chimerica figmenta, l. 2. cap. 31. Ergo, ſecundum Lockium, cogitandi facultas ſuppoſita in materia, conſideranda eſt tanquam commentitium, atque chimericum figmentum. Sic ipſis Lockii principiis Lockius idem convincitur: unde cum a materia, nec a partium ejuſdem diſpoſitione produci poſſit, Ens cogitationis, fateamur, oportet a Deo per creationem veram produci. Productio etenim rei, quæ a ſubjecto præexiſtenti nec extrahitur, nec partibus, quæ prius exiſterent, conflatur, vera dicenda eſt creatio, lib. 2. cap. 26 His poſitis, facile probatur, quod realitas, quam Lockius ſupponit facultatem cogitandi in materia, ſubſtantia ſit & quidem immaterialis. Ens enim omne, quod non producitur a partium materiæ diſpoſitione, ſed proprie a creatione, habere debet exiſtentiam, & realitatem propriam prorſus diſtinctam ab exiſtentia, atque realitate materiæ, & cujuslibet alius Entis. At Ens omne, quod exiſtentiam, atque realitatem habet diſtinctam ab exiſtentia, atque realitate materiæ, & cujuslibet alius Entis, ſubſtantia eſt, minime vero materiæ modus: Ergo, ſi Ens cogitationis productum eſt per veram creationem, non per partium materiæ diſpoſitionem exiſtentiam habet, atque realitatem propriam ab exiſtentia, ac realitate materiæ prorſus diſtinctam; ergo ſubſtantia eſt prorſus diſtincta a materia; ergo eſt immaterialis (**). Thiele

(**) Hic attentione perlegite, & ſolida argumenta pro animæ ſpiritualitate invenientis,

res quaſdam, altera ex parte conſideratas, animo non poſſe comprehendi, in alteram partem oppoſitam cæco curſu ruunt, licet illa æque intelligi nequeat ab iis, qui ſine præjudiciis eam examinent. Hoc non tantum eum præſtat uſum, ut exinde noſtræ cognitionis imbecillitatem & imperfectionem, ſed ut etiam vanam illam victoriam perſpicere poſſimus, quam ejuſmodi argumentis reportari poſſe credunt, quæ, noſtris meditationibus nixa, poſſunt revera nos convincere, quod nulla certitudo in altera quæſtionis parte reperire queamus, ſed tamen hac re nos nullo modo ad veritatem propiores accedimus, ſi opinionem contrariam amplexamur, quæ pariter magnis difficultatibus circumſepta eſſe, apparebit, cum eam ſtudioſe & ſerio examinaverimus. Nam qua ſecuritate, qua utilitate quis omnia cujuſdam opinionis incommoda evitari poterit, ſi hac de cauſa contrariam ſententiam eligit, licet etiam rebus explicatu difficillimis nitatur, nec ab ipſo melius comprehendi queat; Negari non poteſt, eſſe in nobis aliquid, quod cogitat; ipſa hæc dubitatio, quam nos de ipſius natura inſtituimus, certiſſimum eſt argumentum, quod revera exiſtat, ſed quilibet fateatur neceſſe eſt, ſe ignorare, ad quodnam Entium genus illud pertineat. Ceterum ſupervacaneum eſſet, ſi ideo de ipſius exiſtentia dubitare vellemus, uti etiam aliis in rebus abſurdum eſt, rei cujuſdam exiſtentiam prorſus negare, quoniam ejus naturam aſſequi non poſſumus. Nam pervelim ſcire, utrum ſubſtantia quædam, actu exiſtens, inveniri poſſit, quæ in ſe non multa habeat, quæ manifeſte mentis humanæ intelligentiam fugiat. Si dantur alii Spiritus, qui naturam & internam rerum conſtitutionem perſpiciunt, ac cognoſcunt, qua de re nemo facile dubitabit, quanto major & excellentior eorum cognitio erit noſtra? Et ſi nos huic rei ampliſſimam adjungeremus intelligentiam, qua poſſent uno intuitu idea-

Idearum quantitatis connexionem & convenientiam percipere, & quæ ipſis repente argumenta ſuppeditaret intermedia, quæ nos gradatim, ſenſimque magno labore nanciſcimur, poſtquam diu in tenebris ambulavimus, verentes prætetea, ne prioris antea obliviſcamur argumenti, quam poſterius inveſtigamus, facile conjectura informare poſſumus, quæ hæc ſit ſpirituum primi ordinis pars felicitatis, qui longe perſpicaciorem, & acriorem intelligentiam, & multo patentiorem cognitionis campum, quam nos, ſunt ſortiti. Ut vero ad inſtitutum argumentum redeamus, *cognitio* noſtra, inquam, non ſolum intra paucas iſtas, quas habemus, & circa quas verſatur, *ideas* terminatur, atque eidem imperfectioni eſt obnoxia, verum iis etiam anguſtior eſt. Quouſque vero pertineat, quærendum ſupereſt (*a*).

S 4 §. VII.

(*a*) „ Neſcio, *Condillac* inquit (*V. Saggio ſull' origine delle umane cognizioni Par.* 1. *ſez.* 1. *c.* 1.) quomodo Lockius dicere audeat, impoſſibile ſemper eſſe, internoſcere an Deus cujuſdam materiæ cumulo quodam peculiari modo diſpoſito cogitandi potentiam dederit? Non eſt credendum pro hujus quæſtionis ſolutione, ſit neceſſe, eſſentiam, ac materiæ naturam internoſcere. Debilia ſunt argumenta quæ ſuper hac ignorantia extolluntur. Satis eſt obſervare, quod ſubjectum cogitationis (Ens cogitans) unum eſſe debeat, & materiæ cumulus non unum, ſed multitudo eſt „

„ Ex *Materialitati* faventibus, quid per *corpus* intelligant, expoſco. Si præciſo modo reſpondere volunt, non dicent ſane, unicam ſubſtantiam eſſe; ſed ut aggregatum, ſubſtantiarumque collectionem concipient. Si ergo ad corpus pertinet cogitatio, id evenit, vel quatenus corpus eſt *aggregatum*, *collectio*, vel quatenus *cogitatio* proprietas cujuſcunque ſubſtantiæ eſt, quibus corpus conflatur. Sed verba *aggregatum*, *collectio* non indicant, quam extrinſecam relationem inter multa, & modum exiſtendi viciſſim dependentium. In unione nos eas conſideramus, ut totum, quanquam revera non id efficiant melius conjunctæ, quam ſeparatæ. Quapropter non ſunt hi, quam abſtracti termini, qui extra non ſupponunt unicam ſubſtantiam, ſed ſubſtantiarum multitudinem; per conſequens corpus quatenus *aggregatum*, *collectio eſt*, cogitationis ſubjectum eſſe nequit „

„ Di

§. VII.

Cognitio noſtra quouſque extendatur.

DE *ideis*, quas habemus, quicquid affirmamus, aut negamus, ad quatuor hæc genera, ut ſuperius innui, revocari poteſt, nimirum *identitatem*, *coexiſtentiam*, *relationem*, & *rerum exiſtentiam*. In ſingulis hiſce quouſque cognitio noſtra pergat, hic inquiram.

§. VIII.

Primo, Identitatis & Diverſitatis cognitio noſtra, tam late, quam ideæ noſtræ, patet.

PRimo. *Quod ad Identitatem & Diverſitatem attinet*, unde hæc *idearum* noſtrarum convenientia, aut repugnantia proficiſcitur, *cognitio noſtra intuitiva non latius extenditur, quam noſtræ ideæ* ipſæ: Nec fieri poteſt, ut ullam mens *ideam* habeat, quam non ſtatim per cognitionem intuitivam, eam eſſe, quæ revera eſt, & ab omni alia diverſam eſſe, perſentiat (98).

§. IX.

„ Dividemus cogitationem per omnes ſubſtantias quibus cor„ pus conflatur? Imprimis non erit poſſibile quando agetur de „ una, indiviſibilique perceptione. Secundo hæc ſuppoſitio rej„ cienda eſt adhuc, quando cogitatio formetur ex quodam per„ ceptionum numero. Sint *A*, *B*, *C* ſubſtantiæ tres compoſi„ tionem corporis ingredientes, & inter ſe tres perceptiones di„ verſæ dividentur. Expoſco quo conferantur inter ſe? Non in „ *A* profecto, non poteſt enim habentem perceptionem cum non „ habente conferre, & eadem ratione neque in *B* neque in *C* „ eſſet. Convenit ergo unionis punctum admittere, unam ſub„ ſtantiam, quæ ſit una ſimul ſubjectum ſimplex, ac harum „ perceptionum indiviſibile, ſubſtantia per conſequens a corpo„ re diſtincta, & ideo anima. *SOAVE*.

(96) Suppoſitis omnibus ideis deſtructis, dum percipimus *ex. gr.* objectum *A*, habemus ne ejuſdem objecti cognitionem intuitivam? Percipimus eſſe aliquid exiſtens, tum ergo, illius ac ſuæ exiſtentiæ cognitionem nanciſcimur: internoſcere qualitates per-

tinet

§. IX.

Secundo, cognitio noſtra coexiſtentiæ per anguſta eſt.

SEcundo. Quod ad ſecundum genus attinet, *idearum* nempe noſtrarum *convenientiam*, aut *repugnantiam* ſecundum *coexiſtentiam*, in hoc cognitio noſtra peranguſta eſt, etiamſi ſubſtantiarum notitia ab hoc maxime dependeat. Noſtræ enim generum ſubſtantiarum *ideæ* nihil, ut dixi, ſunt, niſi collectiones quædam *idearum* ſimplicium in uno aliquo ſubjecto, atque ita ſimul coexiſtentium: v. gr. *idea* noſtra *flammæ*, eſt corpus calidum, luminoſum, & ſurſum movens; *Auri*, eſt corpus certo quodam modo ponderoſum, flavum, ductile, & fuſile: pro hiſce, aut hujuſmodi *ideis* complexis in animis hominum, diverſa iſta duo nomina ſubſtantiarum, *flamma* & *Aurum*, ſubſtituuntur. De hiſce, aut alio quodam genere ſubſtantiarum, quando ulterius aliquid ſcire cupimus, nihil aliud quærimus, quam quibus aliis qualitatibus, aut potentiis ſubſtantiæ iſtæ ſint, aut non ſint præditæ; quod nihil eſt, niſi ſcire, quæ aliæ *ideæ* ſimplices cum iis coexiſtant, aut non

---

tinet ad modos cognitionis, qui formant cognitionum ſpecies, ut cognitio præciſa, diſtincta hujus, illiuſve qualitatis, non vero ad genus cognitionis; dum certi ſumus, aliquid nos percipere, cognitionem habemus, & ope ſenſuum, ſi id internoſcimus, *intuitiva* dicitur. Ergo vides, Lockius hic loqui de cognitione *identitatis* ac *diverſitatis*, ut inquit, vel de quadam cognitionis ſpecie, in qua requiritur comparatio cum ideis præhabitis; quæ haberi nequit abſque antecedentibus, cum quibus comparentur objecta, ut affirmetur, eſſe eadem, vel diverſa. Quam ob rem recte Auctor, *cognitio noſtra intuitiva non latius extenditur, quam noſtræ ideæ ipſæ*, cognitio nimirum identitatis vel diverſitatis, ut modo enucleavimus.

non coexiſtant, quæ complexam iſtam *ideam* conficiunt.

§. X.

Quoniam idearum ſimplicium connexio utplurimum incognita eſt.

HÆc, utcunque humanæ cognitionis haud modica pars haberi poſſit, perangusta tamen, & propemodum nulla eſt. Ratio eſt, quod *ideæ* ſimplices, e quibus *complicatæ* noſtræ ſubſtantiarum *ideæ* coagmentantur, maxima ex parte, ejuſmodi ſint, quæ nullam in ſe plane connexionem neceſſariam, aut repugnantiam includant cum aliis quibuſdam *ideis* ſimplicibus, quarum cum idea, quam jam habemus, complexa, coexiſtentiam perſcrutamur.

§. XI.

Præſertim qualitatum ſecundariarum.

IDeæ, e quibus complexæ noſtræ ſubſtantiarum ſunt conflatæ, & circa quas cognitio noſtra, prout ſubſtantias reſpicit, maxime verſatur, præcipuæ ſunt *qualitatum ſecundariarum*; quæ omnes (ut (*) monſtratum eſt) cum a *primis qualitatibus* pendeat partium minutarum & inſenſibilium; aut ſi non ab iis, ab aliquo ſaltem a comprehenſione noſtra remotiori, fieri non poteſt, ut ſciremus, quænam conjungantur neceſſario, quænam ſibi invicem repu-

(*) V. ſupra lib. II. Cap. III.

repugnent : (99) Cum neſciamus enim , unde oriantur, aut quæ ſit iſta moles, figura, & partium textura , e quibus pendent , & qualitates iſtæ fluunt , quæ complexam noſtram *auri ideam* conficiunt, fieri nequit, ut ſciremus , quænam aliæ qualitates ab eadem conſtitutione partium auri inſenſibilium manent; & , quod inde ſequitur, quas ſemper connexas eſſe , aut cum eo *pugnare* oporteat.

§. XII.

Quoniam nullius ſecundæ qualitatis cum primariis connexio percipi poteſt.

PRæter ignorantiam hanc primarum qualitatum partium inſenſibilium corporum , e quibus ſecundariæ omnes qualitates pendent, alia eſt, & cui mederi difficilius eſt, ignorantia , quæ a certa cognitione *coexiſtentiæ* , aut *non-coexiſtentiæ idearum* diverſarum in eodem ſubjecto, nos longius removet; quod nimirum haud conſtat, ullam eſſe connexionem inter *ſecundariam aliquam qualitatem* , & *primarias iſtas* , e quibus illa pendet.

§. XIII. Quod moles , figura , & motus corporis unius , in mole , figura , & motu alterius mutationem efficiant, concipere, haud difficile eſt ; partium corporis unius ſolutio, & a ſe invicem ſeparatio, corpore alio ſe in illud ingerente ; mutatio a quiete ad motum, poſt impulſum ; atque alia hujuſmodi inter ſe connexa eſſe videntur . Et ſi hæ primariæ corporum qualitates nobis perſpectæ eſſent , illarum in ſe mutuas operationes plures ſine dubio ſciremus. Quoniam vero mens noſtra inter primarias haſce corporum

(99) *Quænam ſibi invicem repugnent*, falſum : ratio videri poteſt in noſtra Meditatione in Lockium (*tom.* 3.).

rum qualitates, & quæ ab iis ſenſationes in nobis excitantur, *connexionem* aliquam invenire nequit, idcirco etiam fieri non poterit, ut certas regulas tradamus de conſequentia aut *coexiſtentia* quarumvis qualitatum ſecundariarum, etiamſi fortaſſe molem deprehenderemus, figuram, aut motum partium minuſcularum, a quibus proxime producuntur. Tantum abeſt, ut compertum habemus, quæ figura, moles, aut motus partium flavum colorem, ſaporem dulcem, aut ſonum acutum in nobis producat, ut neutiquam poſſimus concipere, quomodo per *molem* ullam, *figuram*, aut ullum particularum *motum*, *coloris* cujuſdam, *ſaporis*, aut *ſoni idea* in nobis excitari poſſit, cum hæc inter ſe *connexa* eſſe, minime deprehendamus.

§. XIV. Fruſtra igitur *idearum* ope (quæ unica ſunt inſtrumenta ad certam & univerſalem cognitionem adipiſcendam) deprehendere conabimur, quænam aliæ *ideæ* cum complexa noſtra idea ſubſtantiæ cujuſdam conjunctæ ſemper reperiantur; cum neque realis contextus partium ſubtilium, e quibus qualitates pendent, nobis cognitus ſit; neque, ſi eſſet, illarum neceſſariam cum ſecundariis quibuſvis qualitatibus *connexionem cerneremus*; hoc vero fieri prius neceſſe eſt, quam neceſſaria illarum *coexiſtentia* certo ſciri poſſit. Qualicunque igitur *idea* complexa generis cujuſdam ſubſtantiæ nos præditi ſumus, vix quidem poterimus, ex ſimplicibus ideis, quæ in ea continentur, de alterius cujuſdam qualitatis *coexiſtentia* aliquid certo ſtatuere. Cognitio noſtra in omnibus hiſce diſquiſitionibus vix ultra ea progreditur, quæ experientia didicimus. Scio equidem, e primariis qualitatibus nonnullas neceſſario a ſe mutuo pendere, & plane inter ſe connexas eſſe; ita nimirum figura extenſionem, & ſuſceptio & communicatio motus per impulſum, ſoliditatem neceſſario ſupponit. Etiamſi vero hæ, & fortaſſe aliæ quædam ex *ideis* no-

noſtris *manifeſtam* inter ſe *connexionem* habent, eæ tamen pauculæ adeo ſunt, ut nos qualitatum coexiſtentiam, quæ in ſubſtantiis conjunctæ reperiuntur, per intuitionem, aut demoſtrationem non niſi in paucis admodum inveſtigare poſſimus; & quæ in iis qualitates continentur, ſenſuum tantum ope diſcendum eſt. Qualitates enim omnes, quæ in ſubjecto quodam *coexiſtunt*, ſine dependentia hac, atque *idearum* manifeſta inter ſe connexione, ſibi invicem coexiſtere, haud aliter certo ſcire poſſumus, quam experientia illud, per ſenſus, diſcimus. Ita nimirum, etiamſi flavum colorem intuemur, &, quæ in auro conjuncta reperiuntur, pondus, ductilitatem, fuſilitatem, & fixitatem experimentis deprehendimus; quoniam tamen harum *idearum* nulla ab ulla alia plane *pendet*, aut cum ea neceſſario connexa eſt, ideoque certo ſciri nequit, ubi harum quatuor aliquæ ſunt, ibi quintam etiam eſſe, utcunque illud maxime probabile ſit: Maxima enim probabilitas haud certitudinis, ſine qua cognitio vera eſſe nequit, vim obtinet. *Coexiſtentia* enim hæc eatenus tantummodo ſciri poteſt, quatenus percipitur; percipi vero nequit, niſi in ſubjectis ſingularibus, per ſenſus, aut in generalibus, per ipſarum *idearum connexionem* neceſſariam.

§. XV.

Cognitio iſta, quæ incompoſſibilitatem, ſeu repugnantiam ad coexiſtendum ſpectat, latius patet.

QUod ad *incompoſſibilitatem, ſive coexiſtendi repugnantiam*, ſciendum eſt, ex primariis qualitatibus ejuſdem generis non niſi unicam tantum in ſubjecto quodam ſimul eſſe poſſe, *v. g.* particularis quædam extenſio, figura, partium numerus, motus, alias omnes ejuſdem generis excludit. Idem

dicendum eſt de *ideis* omnibus ſenſibilibus ſenſus cujuſvis propriis; quicquid enim generis cujuſvis in ſubjecto quodam preſens eſt, alia omnia generis ejuſdem excludit: *v. g.* haud in uno aliquo ſubjecto odores ſimul eſſe poſſunt. Dicet, fortaſſe, quis, annon in *Opalo*, aut *ligni nephritici* infuſione, duo ſimul ſunt colores? Reſpondeo, corpora hæc oculis in alio locis diverſis, diverſos ſimul colores exhibere poſſe: Dico inſuper, in eo caſu, luminis particulas iſtas, e diverſis objecti partibus od oculos alio, atque loco poſitos, reflecti: quare non eadem pars objecti, neque proinde idem ſubjectum, colore flavo, & cæruleo uno eodemque tempore eſſe, videtur. Æque enim repugnat, ut una eademque particula corporis cujuſdam eodem tempore alio atque alio modo modificaret, aut lucis radios reflecteret, ac ut diverſas ſimul figuras, & texturas haberet.

§. XVI.

Quæ potentiarum coexiſtentiam ſpectat, peranguſta eſt.

QUod ad *potentias* attinet in *ſubſtantiis* ad aliorum corporum qualitates ſenſibiles immutandas circa quas diſquiſitiones noſtræ ſæpius verſantur, & quæ cognitionis noſtræ haud mediocrem partem conficiunt; dubium mihi eſt, in hiſce, utrum *cognitio* noſtra longe ultra ea *progrediatur*, quæ ipſimet experimur; utrumve potentias haſce quærendo inveſtigare, eaſque in ſubjecto quodam ineſſe exinde certo ſcire poſſimus, quod connexæ ſint cum quibuſdam *idearum* iſtarum, e quibus eſſentiam iſtius conflatam eſſe, putamus. Quoniam *activæ* & *paſſivæ* corporum *potentiæ*, & illarum modi operandi, poſita ſunt in contextu, & partium motu, quæ nobis neutiquam perſpecta eſſe poſſunt: Non niſi raro admodum perſentire poſſumus, quomodo conveniant, aut

eum

cum *idearum* quibuſdam pugnent, & quibus complexa noſtra in iſto genere entium coagmententur. Exemplum hic a me poſitum, ideo e corpuſcularia (*) Hipotheſi deſumitur, quod ea qualitates corporum ita, ut facilius intelligantur, explicare perhibeatur; atque vereor, ne mentis humanæ imbecillitas aliam excogitare non poſſit, quæ connexionem neceſſariam, & potentiarum *coexiſtentiam*, quæ in plurimis conjunctæ reperiuntur, nobis perfectius & clarius explicet. Hoc ſaltem certiſſimum eſt, quæcunque ea ſit hypotheſis, in qua perſpicuitas, & veritas maxime elucet, (de quo ſtatuere haud noſtri jam inſtiſtituti eſt) nos nullius harum hypotheſium ope ad ſubſtantiarum corporearum cognitionem eſſe prius perventuros, quam oſtenſum fuerit, quæ qualitates & potentiæ corporum *neceſſariam* inter ſe *connexionem*, aut *repugnantiam* habeant, eo autem in ſtatu, quo nunc Philoſophia eſt, hoc, parum perſpicimus. Atque verum eſt, ut generalis noſtra cognitio (non dico particularis experientia) facultatum adminiculo, quibus nunc præditi ſumus, ulteriores in hac re factura ſit progreſſus. Hic in eo manendum eſt, quod experimento addiſcimus, & quidem optandum eſſet, ut illud magis excoleretur; perſpicuum enim eſt, quanti hinc fructus ex ſingulari quorundam ſtudio & induſtria in Naturalem Philoſophiam manarint. Et ſi alii, ii præſertim, qui in philoſophando ignis adjumento utuntur, in naturæ obſervatione eam diligentiam, & in rerum relatione fidem adhibuiſſent, qua eos uti, par eſt, qui ſe Philoſophos appellari volunt, cum corporibus circumſtantibus nobis intimior eſſet

(*) Hujus corpuſculariæ Philoſophiæ Patroni vulgo vocari ſolent Philoſophi Materialiſtæ; explicant enim iſti effectus naturæ per ſolam conſiderationem molis, figuræ, & motus particularum Materiæ.

eſſet conſuetudo, atque in illorum præſertim potentias & operationes multo magis penetraremus.

§. XVII.

Quæ ſpiritus ſpectat, anguſtior eſt.

SI circa corporum potentias, atque operationes hallucinamur ita, probabile eſt, *multos nos magis in errore verſari circa Spiritus*; quorum naturaliter nullas *ideas* habemus, niſi quas haurimus a nobis ipſis, quando nimirum mentis noſtræ operationes contemplamur. Quam humili vero in loco ſpiritus iſti ſint, qui corpora noſtra incolunt, ſi ad varia, & innumera fortaſſe, nobiliorum longe entium genera comparentur; quam longe etiam a Cherubinorum, & Seraphinorum; atque innumerabilium id genus ſpirituum perfectione abſint, breviter alio in loco perſtrinximus.

§. XVIII.

Tertio, aliarum relationum haud facile eſt, dicere, quo uſque pertingat.

COgnitionis noſtræ Tertium Genus eſt, *convenientia, aut repugnantia quarundam idearum noſtrarum in alia quavis relatione*. Ut in hoc campo cognitio noſtra latiſſime expatiatur, ita, quo uſque pertingat, ſtatuere difficile eſt. Quoniam enim progreſſus, quos in hac cognitione facimus, e *ſagacitate* noſtra pendent, in *ideis* intermediis inveniendis, quæ *idearum relationes* & *habitudines* oſtendunt, quarum *coexiſtentia* non ſpectatur, ſcire haud facile eſt, ad hujuſmodi diſquiſitionum finem, quando ſit perventum; & quando demum rationi omnia iſta, quæ ſuppeditari poſſunt, adjumenta adſint, ad argumenta

ta invenienda, atque *idearum* remotarum convenientiam aut repugnantiam expendendam. Qui (*) *Algebram* minime callent, quam mira in hoc genere ab ea præſtentur, animis vix concipere poſſunt; & quæ alia ad alias ſcientias adjumenta, mentes hominum ſagaces adhuc invenire poſſint, ſtatuere haud facile eſt. Hoc ſaltem puto, non ſolas quantitatis *ideas* demonſtrationis, & ſcientiæ capaces; verum in aliis, iiſque utilioribus longe contemplationibus nos ad ſcientiam demonſtrativam eſſe perventuros, niſi vitia pravi affectus, & emolumenta noſtra conantibus iſtiuſmodi repugnarent.

Quoniam *idea* Entis Supremi, Potentiæ, Bonitatis, & Sapientiæ infinitæ, cujus opificium nos ſumus, & a quo perpetuo pendemus: atque noſtri etiam ipſorum *idea*, mente nimirum & ratione praeditorum, in nobis clara eſt, nullus dubito, quin eæ nobis, intento animo eas intuentibus, officiorum fundamenta, atque regulas agendi exhiberent, quæ efficerent, ut ſcientia, circa *mores quæ verſatur*, *ex illarum numero haberetur*, *quæ Demonſtrationes recipiant*; in quibus certus ſum, quod e propoſitionibus per ſe claris, per conſequentias neceſſarias, iis non magis dubias, aut controverſas, quæ in Matheſi reperiuntur, menſuræ juſti & injuſti iis omnibus clare demonſtrari poſſint, qui ad unam ex hiſce ſcientiis animum, æque, ac ad alteram attenderit. *Relationes*

alio-

(*) Nimis extollunt hodierni Phyſici, Mathematici, præſertim in Anglia, Algeblam, dum putant Logica eſſe mulro excellentiorem, & quemvis optime poſſe ſuperſedere Logica, modo rite excoluerit Algebram. Quanquam non negandum eſt, Algebram excellens rerum ignotarum inveniendarum medium, ſed tantum in quantitatibus & ita in rebus Mathematicis; Plato olim illam vocavit ἀκμην cognitionis humanæ; tamen nec in Moralibus nec in omnibus rebus Phyſicis * Algebra omnem efficiet paginam. Autor noſter ipſis favere videtur. THIELE.

(*) Si problemata algebræ ope in phyſica facultate expoditius peracta conſideraret, id dicere non auderet.

aliorum Modorum æque certe percipi poſſunt, ac quæ numeri ſunt & extenſionis; nec video, cur non Demonſtrationem etiam caperent, ſi modo homines ad illarum convenientiam, aut repugnantiam examinandam idoneas Methodos exquirerent. V. G. *Ubi nulla eſt proprietas, ibi injuſtitia haud committitur*, Propoſitio eſt non minus certa, quam Demonſtratio quævis apud *Euclidem*: Cum enim *proprietatis* hic *idea* ſit *jus* ad rem quandam; atque *idea*, cui vox *injuſtitia* tribuitur, ſit juris iſtius violatio: perſpicuum eſt, poſtquam *ideæ* iſtæ, nominibus iis annexis, conſtitutæ ita fuerint, me non minus certo ſcire enunciatum hoc eſſe verum, quam, quod trianguli anguli tres æquales ſint duobus rectis. Rurſus, cum dico, *nulla politia abſolutam libertatem permittit*, quoniam *idea* politiæ eſt hominum conjunctio certis quibuſdam regulis, ſive legibus fundata, quæ ſervandæ neceſſario ſunt; atque libertatis abſolutæ *idea* ſit, quemque pro lubitu & arbitratu ſuo agere; ideoque aſſati hujuſce non minus mihi clara eſt, quam alterius cujuſvis Mathematici enunciati, veritas.

§. XIX.

Quod ideæ morales Demoſtrationem recipere, haud putentur, Duæ res effecerunt.

QUod *ideæ* quantitatis aliis præcellant, atque certitudinis & demonſtrationis magis capaces eſſe putentur, hinc provenit.

Primo. Quod delineari, & per notas ſenſibiles repræſentari poſſint, quæ majorem cum iis & propinquiorem congruentiam habent, quam voces aliæ aut ſoni quicunque. Diagrammata in tabulis ectypa ſunt *idearum* in mente, non ambiguitati obnoxia, quæ eſt in vocabulorum ſignificatione. Angulus, circulus, ſive quadratum in charta deſcriptum plane in conſpe-

ſpectum cadit, neque ex eo error naſci poteſt. Tabulæ hæret immobile, ita, ut illud contemplari, expendere diligentius, & quoties lubet aut vacat, omnes Demonſtrationis partes percurrere poſſimus, idque ſine ullo periculo, ne *ideæ* interea minima ex parte immutentur. Idem in *ideis moralibus* fieri nequit, nullæ nobis notæ ſenſibiles ſuppetunt ad eas exprimendas, vocibus tantum utendum eſt: quæ quamvis, ſcriptis traditæ, eædem maneant, *ideæ* tamen, quæ iis denotantur, in uno eodemque homine ſæpius alterantur; atque raro accidit, quin in diverſis diverſæ ſint.

Secundo. Alia cauſa, cur in *Ethicis* major ſit difficultas, eſt, quod *ideæ morales* vulgo magis complicatæ ſunt, quam quæ in figuris Mathematicis ſpectantur. Unde duo hæc incommoda oriuntur. *Primum*, quod illarum nomina magis incerte ſignificationis ſint, quoniam haud facile adeo convenit de definita congerie *idearum* ſimplicium, pro quibus ſubſtituuntur, & proinde ſignum, quod in communi ſermone, & in cogitationibus noſtris ſæpius, pro iis uſurpatur, non eidem ſemper *ideæ*, annectitur. Hinc confuſio, & error non ſecus naſcuntur, quam ſi quis, de *Heptagono* quippiam demonſtraturus, angulum unum ex Diagramma te prætermitteret, aut ex incuria figuram depingeret, uno angulo ea majorem, cui nomen illud tribuitur. Hoc ſæpius accedit, & quidem vitari vix poteſt in complicatis valde *ideis moralibus*, in quibus angulus unus, *i. e.* ſimplex quædam *idea* prætermittitur, aut in complexam (eodem ſemper nomine appellatam) inſeritur. *Deinde*, e complicatione harum *idearum* moralium aliud naſcitur incommodum, quod nimirum mens definitas iſtas complexiones accurate & perfecte adeo retinere nequeat, ac neceſſariam eſt ad Habitudines, & plurium illarum convenientias & repugnantias inter ſe examinandas; præſertim ubi longa ſerie illationum &

 plu-

plurimarum *idearum* complexarum internvetu opus eſt, ad duarum remotarum convenientiam, aut repugnantiam probandam.

Contra hæc incommoda, Diagrammata & Figuræ, in tabulis quæ manent immota, Mathematicis quanti ſint uſus, nemini non perſpicuum eſt; ſecus, difficile eſſet memoriæ rite ea retinere, dum mens, ut eorum convenientiam expendat, partes ſingulas gradatim percurrit. Et licet in longa ſumma conficienda, ſive *addendo* fiat, ſive *multiplicando*, aut *dividendo*, pars quælibet mentis tantum progreſſio ſit, *ideas* ſuas contemplantis, atque illarum convenientiam, aut repugnantiam expendentis; & quæſtionis ſolutio nihil ſit niſi ſumma totalis, & particularibus conflata; quas mens clare percipit; niſi tamen partes diverſæ per ſigna notarentur, quorum determinata ſignificatio nobis nota eſt, quæque oculis obſervantur, ſi vel maxime memoria elapſæ fuerint; haud video, quomodo tot *ideæ* diverſæ animis ita mandarentur, ut non pars aliqua computi memoria excideret, atque ita ratiocinia noſtra circa illud plane fruſtranea eſſent. Quo in caſu ciphræ, ſive notæ menti nullius ſunt uſus ad duorum quorundam, aut plurium numemerorum convenientiam, æqualitatem, ſive analogiam inveniendam: Id mens aſſequitur intuendo tantum numerorum ipſorum *ideas*, quibus ipſa prædita eſt. Numerici vero characteres nobis adjumento ſunt, ut varias iſtas *ideas*, circa quas demonſtratio verſatur, memoriæ mandemus, unde ſcire licet, cognitio intuitiva, in plurimis particularibus recenſendis, quousque progreſſa ſit; ut, ſublata ita confuſione, ulterius ad incognita procedere, & tandem perceptionum, & ratiociniorum omnium ſummam ſimul intueri poſſumus (100).

§. XX.

(100) *V. Med. de demonſtr. ejuſq. uſu.*

§. XX.

Incommodorum iſtorum remedia.

INcommodorum pars una, morales quæ circumſtant *ideas*, efficiuntque, ut Demonſtrationis haud capaces eſſe putentur, per Definitiones magna ex parte tolli poſſet, ſtatuendo nimirum, quæ ſimplicium *idearum* congeries termino cuivis ſubjicienda ſit; dein terminos iſtos definitæ iſti *idearum* collectioni conſtanter tribuendo. Quas methodos *Algebra*, aut ſimilis ars aliqua poſthac ſuppeditatura ſit, ad difficultates alias tollendas, conjectura aſſequi haud facile eſt. Nullus dubito, quin, ſi homines eodem modo, atque eadem animi æquitate veritates morales exquirerent, qua mathematicas ſolent, viderent, eas arctius inter ſe colligari, a claris & diſtinctis *ideis* noſtris magis neceſſario ſequi, & propius ad perfectam demonſtrationem accedere, quam vulgo creditum eſt. Illud vero magnopere ſperandum non eſt, dum ea ſummæ exiſtimationis, divitiarum & potentiæ cupiditas efficit, ut, quæ publice obtinent, & e quibus utilitatis multæ & magnæ naſcuntur, opiniones amplexentur, & tunc argumenta exquirant, quibus gratiam & venuſtatem ipſis concilient, aut illarum turpitudinem, tanquam figmentis & luco, occultent. Quod fieri ab ipſis neceſſarium eſſe idcirco putant, quod oculis nihil tam pulchrum, ac venuſtum ſit, quam quidem veritas menti eſt; nihil deformius, aut intellectui magis alienum, quam mendacium. Etſi enim plurimi fatentur, haud formoſarum conjugum amplexus ſatis ſibi jucundos eſſe; quis tamen palam dicere auſit, ſe, quod falſum eſt, amplecti, & rem adeo deformem, uti eſt, mendacium, ſinu ſuo fovere? Dum ſectas & partium ſtudia ſequentes, dogmata ſua iis imperant, quos in poteſtate continent, nec liberum illis relinquit, veritatem

aut falſitatem illorum examinare; quos in hoc genere progreſſus; quam lucem majorem in ſcientiis moralibus ſperare licet? Periculum potius eſſet, ne humiliori loco nati, ſimul cum Ægyptiaca ſervitute in tenebras Ægyptiacas inciderent; niſi Deus ipſe candelam ſuam, quam reſtinguere penitus nequimus, in animis noſtris accendiſſet.

§. XXI.

Quarto, quod ad realem exiſtentiam attinet, exiſtentiæ cognitionem intuitivam, Dei exiſtentiæ Demonſtrativam, aliorum quorundam entium ſenſibilem habemus.

AD quartum genus cognitionis noſtræ quod attinet, *realis* nimirum, *actualis*, rerum *exiſtentiæ*, intuitivam habemus cognitionem *exiſtentiæ* noſtræ; Demonſtrativam *exiſtentiæ* Dei; alterius cujuſvis rei *exiſtentiæ* non niſi ſenſitivam cognitionem habemus, haud ultra objecta pertingentem; quæ ſenſibus obverſantur.

§. XXII.

In nobis quanta ignorantia.

QUoniam, ut oſtendi, cognitio noſtra adeo anguſta eſt, haud parum, fortaſſe, luminis nobis affert ad præſentem animi ſtatum perdiſcendum, ſi latus illud, quod lumini oppoſitum eſt, ſpectemus, atque *ignorantiam noſtram* contemplemur, quæ quoniam cognitione noſtra infinitis intervallis latius patet, magni uſus eſt ad dirimendas controverſias, & rerum utilium cognitionem promovendam; ſi, in quibus claræ nobis & diſtinctæ *ideæ* ſup-

ſuppetant, diligenter animadvertentes, cogitationes, noſtras rerum intra contemplationem contineamus, quæ poſitæ ſunt in intellectus comprehenſione, & inani opinione, nihil mentis noſtræ aciem effugere; tumidi, in immenſam & caliginoſam iſtam abyſſum non expatiemur, in qua nos oculi ad videndum, atque facultates ad percipiendum deficiunt. Quam vana ſit hæc perſuaſio, quis eſt, qui non videat? Ille rerum omnium penitus ignarus eſt, qui neſcit, ſe multa neſcire. Rebus viliſſimis, quæ maxime vulgari ſunt in uſu, tantæ offuſæ ſunt tenebræ, in quas vel ingenia perſpicaciſſima penetrare nequeunt. Qui mentis agitatione, atque ſolertia aliis longe antecellunt, vident plane, in minima quaque materiæ particula nodos eſſe, quos ipſi ſolvere nequeunt. Hoc ita ſe habere, haud mirum videbitur, *cauſas ignorantiæ* noſtræ quando expendemus: quæ, ab iis, quæ dicta ſunt, tres præcipue eſſe deprehendentur.

Primo, *Idearum* Defectus.

Secundo, Defectus manifeſtæ connexionis inter *ideas*, quas habemus.

Tertio, Studii Defectus in ideis noſtris inveſtigandis & examinandis.

§. XXIII.

Primo, una iſtius cauſa eſt idearum defectus, vel quas nequaquam concipimus, vel quas non habemus.

PRimo, Res plurimæ ſunt, quarum ignorantia in nobis ex *idearum defectu* provenit.

Primo, Simplices *ideæ* omnes, quas habemus, iis terminantur; (ut oſtendi) quas per ſenſus, atque mentis noſtræ operationes nanciſcimur: cujus rei nobis ipſi conſci ſumus. Quam parum vero exigui hi atque anguſti aditus congruentes & apti ſint ad omnes

hujus univerſi res complectendas, facile iis perſuaderi poteſt, qui intelligentiam ſuam rerum omnium capacem eſſe, non ſibi falſo fingunt. Quas alias *ideas* ſimplices, alia, in aliis hujus univerſi partibus degentia, animantia, ſenſuum & facultatum adminiculo plurium, aut vegetiorum iis quibus nos præditi ſumus, forte adipiſcantur, a nobis definiri nequit. At ſi nullas ejuſmodi facultates dari propterea ſtatueremus, quod illarum nullam habemus ideam, perinde eſſet, ac ſi cæcus nullam viſionem, nec ullos dari colores, obſtinate idcirco affirmaret, quod nullam colorum *ideam*, aut viſus notionem ſibi in animo formare poſſit. Ex ea, quæ in nobis eſt, ignoratione & caligine, quod in aliis animantibus non longo perſpicacius ingenium ineſſe poſſit, æque minus, ac ex Talpæ cæcitate, Aquilam oculis acutiſſimis non eſſe, concludendum eſt. Qui infinitam potentiam, ſapientiam, & bonitatem rerum omnium conditoris intuebitur, negabit, omnia a Deo congeſta eſſe in hominum, abjectum adeo atque impotens animal, quem inter res creatas, mentis & rationis participes, infimum obtinere locum, probabile eſt. Quibus ita facultatibus ad naturæ abdita, atque intima rerum rimanda aliæ creatæ res præditæ ſint, quas *ideas*, a noſtris longe diſcrepantes, ab iis nanciſcantur, nos penitus latet. Hoc compertum habemus, ad res perfectius explorandas, neceſſario requiri, ut in alia, quam nunc, luce nobis conſpiciendæ proponantur. Et quidem extra dubium eſt, ideas, quæ facultatum noſtrarum ope adipiſcendæ ſunt, rebus ipſis parum congruentes eſſe, cum Subſtantiæ, quæ reliquarum omnium fundamentum eſt, poſitivam claram & diſtinctam *ideam* neſciamus. Cum vero *idearum* hujuſmodi defectus tam pars ſit, quam cauſa ignorantiæ noſtræ, verbis deſcribi nequit. Hoc tamen dicere auſim, mundum intellectualem & ſenſibilem in hoc plane convenire, quod utriuſvis pars iſta, quam vi-

videmus, nullam cum ea proportionem habeat, quam non videmus; & quod in utroque oculis, aut cogitatione aſſequimur, non niſi puncti inſtar obtineat, ſi comparetur ad illud, quod reliquum eſt.

§. XXIV.

Propter longinquitatem illarum

SEcundo. Altera ignorantiæ cauſa inſignis eſt *defectus idearum quas recipere poſſumus.* Ut *idearum* defectus, quas facultates noſtræ nobis ſuppeditare nequeunt, penitus nos a rerum conſpectu prohibet, quo alia entia perfectiora frui, probabile eſt; ita *idearum* defectus, de quibus nunc loquor, efficit, ut res ignoremus, quarum cognitionem nos aſſequi poſſe, putamus. *Ideas* habemus *molis*, *figuræ*, & *motus*. Etiamſi vero *idearum* haud expertes ſumus harum primarum qualitatum corporum in genere; attamen neſcientes, quæ particularis ſit *moles*, *figura*, & *motus* partis longe maximæ corporum hujus univerſi, neſcimus varias potentias, virtutes, & modos operandi, quibus, quos in dies cernimus, effectus producuntur. Hæc in rebus quibuſdam propter nimiam *diſtantiam*, in aliis propter *parvitatem* nos latent. Animis quando intuebimur, notæ, & viſibiles mundi partes inter ſe, quam longe ſint diſtantes, & quam conſentaneum ſit, credere, quæ cadunt in noſtram intelligentiam, non niſi exiguam partem eſſe immenſi univerſi, tunc vaſta ignorantiæ abyſſus nobis perſpecta erit. Quæ peculiares ſint fabricæ ingentium materiæ maſſarum, quæ ſtupendum hoc univerſitatis corpus conficiunt; quam late extendantur; quis ſit illarum motus, quomodo continuetur, & cum aliis corporibus communicetur; quomodo in ſe invicem agant, hæſunt contemplationes, quibus cogitationes noſtræ primo aſpectu obruuntur. Si minus late ſpectan-

ſtantes, cogitationes noſtras intra parvam hanc, in qua degimus, regiunculam, hoc, inquam, ſolis noſtri ſyſtema, & quæ circa eum plane volvuntur materiæ craſſioris moles ingentes, contineamus, probabile videbitur, varia eſſe genera vegetabilium, animalium, atque entium corporeorum, intellectu præditorum, in aliis planetis, longe ab iis diverſa, quæ in exiguis orbis hujuſce noſtris finibus reperiuntur; quorum quidem, vel ſecundum figuras, aut partes exteriores, quamdiu in tellure hac conſtricti tenemur, cognitionem aſſequi nequimus, cum ratio nulla a natura ſuppeditetur, qua vel per ſenſationem, aut reflexionem, certæ illorum *ideæ* ad mentem perferantur. Hæc omnia aditus iſtos omnis cognitionis noſtræ longe tranſcendunt; nec quidem nos, quam ſupellectilem, quos incolas Regiones iſtæ in ſe contineant, conjectura augurari, nedum clare & diſtinctæ ſcire poſſumus.

§. XXV.

Propter parvitatem illarum.

SI diverſorum corporum, quæ in hac rerum univerſitate continentur, magnam, imo maximam longe partem longinquitas illorum notitiæ noſtræ ſubtrahit, alia quoque ſunt, quæ propter *tenuitatem* nos non minus latent. Cum minuta hæc corpuſcula, quæ ſub ſenſus non cadunt, materiæ partes ſint activæ, & præcipua naturæ inſtrumenta, e quibus non omnes tantum *qualitates ſecundæ*, verum pleræque omnes naturales operationes pendent; idcirco nos, quibus definitæ, diſtinctæque *ideæ* primarum qualitatum haud ſuppetunt, iſtorum, quæ de iis ſcire cupimus, invincibili ignoratione teneri neceſſe eſt. Nullus dubito, quin, ſi figuram, molem, texturam, & motum partium minutarum, quæ duo quædam corpora

pora conſtituunt, quærendo inveſtigare poſſemus, plurimæ illorum in ſe invicem operationes nobis ſine ullo experimento notæ perinde eſſent, ac quadrati, aut trianguli proprietates. Si nos particularum *Rhabarbari*, *Cicutæ*, *Opii*, atque *hominis* affectiones mechanicas æque perſpectas haberemus, ac faber automatarius eas in horario automato, per quas operationes ſuas perficit, aut quæ in lima ſunt, quæ, eas atterendo, rotarum figuras immutat; in eo caſu haud aliter nos primo ſtatim intuitu cerneremus, *Rhabarbarum* alvum purgare, in *Cicuta* mortis, in *Opio* ſomni cauſam ineſſe; quam faber automatarius, undenam automati motus inhiberi, aut promoveri poſſit, plane videt. Nec fortaſſe tunc nobis ſcire difficilius eſſet, cur argentum in *Aqua forti*, atque aurum in *Aqua Regia* liqueſcat, non *vice verſa*, quam fabro ferrario eſt, rationem reddere, cur altera clavi oſtium referatur, altera non item. Quamdiu autem ſenſibus caremus acutis ſatis, ad minutas corporum particulas perſpiciendas, atque mechanicarum affectionum *ideas* in nobis excitandas, fieri non poteſt, quin proprietates illorum, atque operandi modos ignoremus; nec de iis ulterius quid diſcendum ſit, quam paucula quædam experimenta pertingunt. Quæ utrum alio tempore ſimiliter eventura ſint, de eo prorſus certi nunquam eſſe poſſumus. Hoc obſtat, quo minus de corporibus naturalibus certam veritatum univerſalium cognitionem aſſequamur: nec ratio quidem nos multum ultra particularem rerum productarum notitiam perducat.

§. XXVI.

§. XXVI.

Hinc corporum ſcientia nulla.

Utcunque igitur viri induſtrii *Philoſophiam experimentalem* plurimis utilibus inventis locupletent, vereor tamen, ut ad *ſcientificam* cognitionem in hac re unquam ſimus perventuri; quoniam corporum iſtorum, quæ proxime poſita & imperio noſtro maxime ſubjecta ſunt, perfectas & adæquatas *ideas* non habemus. Hoc de iis ipſis dicendum eſt, quæ a nobis in claſſes ſub generalibus nominibus diſtributa ſunt, & quæ aliis omnibus notiora eſſe putamus. Ex omnibus fortaſſe corporibus, quæ ſenſibus obverſantur, *ideas* diſtinctas, adæquatas vero ex nullis, puto, nanciſcimur. Et licet priores iſtæ nobis ſatis ſint in uſu & ſermone quotidiano; attamen ubi poſteriores, nimirum adæquatæ ideæ, deſiderantur, ibi *cognitionem ſcientificam* deeſſe neceſſe eſt; nec fieri poteſt, ut veritates univerſales, perutiles, & minime dubias de iis conſequamur. Hic *certitudinem* & *demonſtrationem* fruſtra quærimus. Per colorem, figuram, ſaporem, & odorem, atque alias qualitates ſenſibiles, *ſalviæ* & *cicutæ* claras æque & diſtinctas *ideas*, ac circuli & trianguli habemus: quoniam vero nullæ nobis *ideæ* exhibentur particularium primarum qualitatum partium minutarum iſtarum, aut corporum aliorum, quibus a nobis applicantur, quos producent effectus; neſcimus; aut ſi effectus forte videamus, modum, quo producuntur, ignoramus. Quare omni *ideæ* prorſus expertes affectionum mechanicarum minutarum partium corporum, quæ poſita ſunt in conſpectu noſtro, conſtitutionem, potentias atque operationes eorum neſcimus; corporum vero longinquiorum magis ignari ſumus, illa enim

ne

ne quidem figura exteriori, aut ſuperficie tenus nobis nota ſunt (101).

§. XXVII.

Multo minus ſpirituum.

HInc primo intuitu diſcimus, quam impar noſtra ſit cognitio omni entium materialium amplitudini; his ſi entia intelligentia adjiciamus, quæ, nihil repugnat, imo probabile eſt, numero infinita eſſe, quorum, utpote longius e conſpectu noſtro remotorum, cognitionem nullam habemus, nec claſſium, aut generum ipſorum diſtinctas nobis *ideas* formare poſſumus, videbimus totum pene mundum intellectualem, qui materiali major certe, & venuſtior eſt, per cauſam hanc noſtræ ignorantiæ, denſa & impervia caligine a nobis celari. Exceptis enim exiguis quibuſdam, iiſque, ſi ita dicere licet, ſuperficiariis *ideis* ſpiritus, quas per reflexionem noſtri ſpiritus adipiſcimur, atque inde, quam poſſumus, perfe-

(101) Si Auctor hoc tempore eſſet, videret profecto quo ſcientia ſperimentalis fuit perducta, & quo medicina duci poſſet. Poſtquam coſtitutiones animales ſunt probe exploratæ, & per experientias, mutationes in corpore productæ, propter quaſdam qualitates quibuſdam corpuſculis adhærentes cognitæ, ſtatui poteſt effectus ab ipſis qualitatibus in iiſdem prædiſpoſitionibus, ac ſtatu corporis animalis productus, & ad quandam demonſtrationem omnia reduci. Quod difficultates parit illud eſt, debere comparari ideas, defectus, vel exceſſus internoſcere, & conſequentia eruere: at hoc cum fieri nequeat abſque innumerabilibus experimentis, atque acriori ingenio, & habitu ratiocinandi prædito, difficilis redditur Medicina, & quod valde doleo, homines pene infiniti eam empirico modo profitentes, convitiis multis explent. Quid magis collacrimabile, quam ſciolos, garruloſque pro Medicis habere? Vitam imperitia tollit, garrulitas, eam infirmat. Proh. dolor, quanta eſt humanitatis miſeria!

ſectiſſime, *Patris ſpirituum* omnium ideam colligimus, æterni, a ſe ſolo pendentis, illorum, noſtri, atque rerum omnium conditoris; de aliorum ſpirituum exiſtentia, nihil certi, niſi per ſolam Revelationem, addiſcimus. Angelorum genera omnia ex natura ſua noſtram intelligentiam ſuperant: Atque omnia iſta entia intelligentia, quorum probabile eſt, plures eſſe, quam corporearum ſubſtantiarum ordines, res ſunt, quarum naturales noſtræ facultates nullam nobis certam rationem reddunt. Eſſe mentes, atque entia cogitantia in aliis, æque ac nobiſmet ipſis, dicta & facta aliorum hominum plane oſtendunt: Atque propria mentis ſuæ notitia neminem permittet, ut, ſi modo ſuæ exiſtentiæ cauſam ratione contemplatur, *Deum* eſſe, ignoret. Inter nos vero & ſupremum *Numen* gradus eſſe entium ſpiritualium, quis eſt, qui naturæ viribus, atque animi ſui contentione inveſtigare poſſit? Multo minus nos, quomodo natura, conditione, ſtatu, facultatibus, atque conſtitutione diverſa, a ſemet invicem, atque a nobis diſcrepent, diſtinctis *ideis* percipimus. Quæ itaque ſpecies & diverſas illorum proprietates ſpectant, nobis penitus ignota ſunt.

§. XXVIII.

Secundo defectus planæ connexionis inter ideas, quas habemus.

Secunda ignorantiæ cauſa, & quæ non minoris eſt momenti, eſt defectus *manifeſtæ connexionis* inter *ideas*, quas habemus. Ubicunque ea deeſt, ibi univerſalem & certam cognitionem deeſſe, neceſſe eſt; atque, ut in priori caſu, obſervationem & experientiam tantum ſequi cogimur; quæ quam anguſta ſit, quam circumſcriptis terminis definita, & a cognitione generali quantum diſtent, referre ſupervacaneum eſt.

eſt. Palam eſt corporum, quæ nos circumſtant, molem, figuram, & motum multas in nobis ſenſationes excitare, colorum puta, ſonorum, ſaporum, aut odorum, voluptatis & doloris, *&c.* Cum mechanicæ hæ corporum affectiones nullam cum *ideis*, quas in nobis producunt, cognationem habeant, (nulla quippe manifeſta connexio eſt inter corporis cujuſvis impulſum, & coloris, aut odoris perceptionem in mentibus noſtris) ejuſmodi operationum nulla in nobis cognitio diſtincta eſſe poteſt ultra illud, quod experimur, nec de iis aliter ratiocinari poſſumus, quam quatenus effectus ſunt pendentes ab arbitrio Dei, & captum noſtrum longe exſuperantes. Ut ſenſibilium qualitatum ſecundarum *ideas*, quas in mente habemus a cauſis corporis nequaquam deducere, ut inter eas & primarias iſtas qualitates, a quibus (ut experientia docet) in nobis producuntur, cognitionem, aut connexionem nullam reperire poſſumus; ita contra, haud facilius concipimus, quomodo mens noſtra in corpus operetur. Quomodo cognitio corpus moveat, a natura *idearum* noſtrarum æque alienum eſt, ac quomodo corpus quodvis cogitationem in mente produceret. Rem ita ſe habere, niſi nos experientia docuiſſet, fieri non poſſet, ut, rei naturam ſpectantes, id diſceremus. Etiamſi communi rerum ordine, hæc, atque alia hujuſmodi conſtanter inter ſe & regulariter connexa ſunt; quoniam tamen connexio iſta haud in *ideis* ipſis cernitur, quarum non neceſſaria eſt mutua dependentia, ideoque cauſa iſtius in Deum ſapientiſſimum tantummodo referenda eſt, qui tribuerit ipſis eum, quem habent, eſſendi & operandi modum, nobis prorſus incognitum.

§. XXIX.

§. XXIX.

Exempla.

IN quibuſdam, quas habemus *ideis* Relationes, Habitudines & Connexiones, plane adeo includuntur in natura *idearum* ipſarum, ut, ab iis per potentiam quamcunque ſeparari poſſe, concipi nequeant. In his ſolis certam, atque univerſalem cognitionem aſſequimur. Ita in Idea trianguli rectilinei neceſſario illud includitur, ut angulos habeat duobus rectis æquales. Nec concipi quidem poteſt, hanc Relationem, & harum duarum Idearum connexionem hanc mutari poſſe, nec ab alicujus arbitrio pendere, quod ita ſe habeat, aut aliter ſe habere poſſit. Cohærentia vero & continuitas particularum materiæ, ſenſationis in nobis productio colorum & ſonorum, &c. per motus, cum nullam præ ſe ferant connexionem naturalem cum quibuſvis, quas habent, ideis, cauſa illorum non alibi, quam in Dei ſapientiſſimi Architecti voluntate quærenda eſt. Supervacaneum puto, eſt hic mentionem facere de corporum noſtrorum reſurrectione, de globi hujuſce telluris ſtatu futuro atque aliis ejuſmodi, quæ a liberi Agentis determinatione penitus pendere omnibus in confeſſo eſt. Res iſtas, quas eundem ſemper curſum & ordinem ſervare, animadvertimus, ex legis ſibi traditæ præſcripto agere ſtatuendum eſt; quæ vero lex iſta ſit, nos latet, & licet ad normam iſtius cauſæ perpetuo agant, atque effectus ab iis manet conſtanter; quoniam tamen, quomodo hæc *connexa* ſint & *a ſe invicem pendeant*, in *ideis* noſtris cerni nequit, de iis nihil ultra illud ſciri poteſt, quod experientia diſcimus. Ex dictis patet, quantis nos in tenebris verſemur, & in hac rerum univerſitate quam paucula admodum in cognitionem noſtram cadant. Quare menti & ingenio noſtro haud hu-

injurii erimus, ſi modeſte nobiſcum cogitemus, tantum abeſſe, ut univerſi, & quæ in eo continentur rerum omnium naturam comprehendamus, ut ne quidem corporum, quæ nos circumſtant, & quæ pars noſtri ſunt, *ſcientiam* philoſophicam conſequi queamus: de qualitatibus ſecundis, potentiis, & operationibus illorum certitudinem univerſalem fruſtra quærimus. Plurimi effectus ſenſibus noſtris quotidie obverſantur, quorum non niſi *cognitionem ſenſitivam* habemus; cauſas vero, modum, & certitudinem productionis illorum, ob memoratas ſuperius cauſas duas, ignoremus neceſſe eſt (102). In his id tantum modo ſcimus, quod, factum eſſe, nos particularis experientia docet, & quos effectus corpora conſimilia, poſt alia experimenta, per analogiam paritura ſint, conjectura colligimus. Si quis vero corporum naturalium (ut de entibus ſpiritualibus nihil dicam) perfectam ſcientiam conſequi voluerit, is omnem operam mihi luſurus videtur.

§. XXX.

Tertio, *quia ideas noſtras haud ſatis inveſtigamus*.

TErtio, ubi *ideæ* adæquatæ nobis ſuppetunt, atque inter eas certa connexio inveniri poteſt, nos tamen in ignoratione exinde ſæpe verſamur, quod in iis, quæ acquiri poſſunt, ideis inveſtigandis operam non impediamus, atque in *ideis* intermediis inveniendis, quæ illarum inter ſe convenientiam, aut re-

(102) Pulchrum eſt nonnullos audire, qui ſeſquipedibus verbis de quodam effectu aliquid audacter negantes, inquiunt, *id non poſſe fieri*. Rationem ſi quæratis reſpondent, quia ipſi non concipiunt quomodo id evenire poſſit. O caput delirum!

repugnantiam oſtendant. Ita veritatum Mathematicarum plurimi ſunt ignari, non quia ingenii facultas in ipſis deeſt, aut res ipſæ incertæ ſunt, verum quia ad *ideas* iſtas reperiendas, examinandas, atque inter ſe rite comparandas haud animum applicant. Quo minus *ideas* rite inveſtigemus, & illarum relationes, atque mutuas inter ſe convenientias, & repugnantias inveniemus, illud, puto, præcipue obſtat, quod *vocibus* perperam utamur. Quomodo enim illi quærendo inveſtigarent, qua ratione *ideæ* ſibi invicem conveniunt, aut repugnent, quorum cogitationes vagantur paſſim, aut ſonis tantum hærent dubiæ, & incertæ ſignificationis. Mathematici, qui cogitationes ſuas a nominibus abſtrahere, atque *ideas* ipſas; quas contemplantur, non illarum loco ſonos, menti repreſentare ſolent, plurimum obſcuritatis & confuſionis iſtius eo pacto vitarunt, quæ impedierunt, quo minus homines progreſſus facerent in aliis ſcientiis. Quamdiu enim vocibus hærent non definitæ & certæ ſignificationis, fieri non poteſt, ut verum a falſô, certum a probabili, illud, quod ſequitur & rationi eſt conveniens, ab eo, quod non ſequitur & quod abſurdum eſt, in opinionibus ſuis ſecernant. Quoniam literati ferme omnes iniqua hac ſorte, & infortunio utuntur, inde evenit, quod realis cognitio parum admodum incrementi ceperit, ſi ſcholarum, diſputationum, & ſcriptorum numerum ſpectemus, quæ in mundo paſſim reperiuntur, nempe dum, literis & artibus ſtudentes, in verborum ſylva ingenti errore circumacti, ubinam conſtiterint, quos feciſſent progreſſus, quid in ſuo ipſorum, aut generali humanæ cognitionis cumulo adhuc deſideraretur, proſus ignorabant. Si homines in diſquiſitionibus ſuis circa mundum hunc materialem, prout illi fecerunt, qui intellectualem tractarunt, terminis ambiguis & obſcuris loquendi formulis omnia involviſſent, neque cuncta volumina, ſuper re nautica & curſibus maritimis conſcripta; ne-

neque theoriæ omnes zonarum, atque æſtus marini deſcriptiones accuratiſſimæ; neque ipſæ naves, aut claſſes, in mare deductæ, quomodo æquatorem tranſiremus, nobis monſtrare poſſent; neque nobis Antipodes magis cogniti eſſent, quam olim, ubi hæreſeos poſtulabantur; qui ſententiam iſtam tenebant. De vocibus nihil hic ulterius addam, quoniam de iis atque malo & temerario illorum uſu ſatis ante dictum eſt.

§. XXXI.

Cognitionis latitudo univerſalitatis reſpectu.

HActenus *fines* cognitionis noſtræ expendimus, diverſorum entium reſpectu, quæ ubique reperiuntur. Alia eſt iſtius *latitudo*, *quæ univerſalitatem ſpectat*; digna enim eſt, quæ a nobis perpendantur: Atque hic etiam cognitio noſtra naturam ſequitur *idearum* noſtrarum. Si *ideæ* ſunt abſtractæ, quarum convenientiam, aut repugnantiam percipimus, cognitio univerſalis eſt. Quod de generalibus enim *ideis* iſtis cognoſcitur, verum erit de particulari omni, in quo eſſentia iſta, *e. i.* abſtracta iſta *idea* reperitur; & quod de ejuſmodi ideis ſemel cognoſcitur, ſemper erit verum. Quod itaque ad cognitionem omnem generalem attinet, ea ſemper in mentibus noſtris inveſtiganda eſt, eamque adipiſcimur, *ideas* tantummodo noſtras examinando. Veritates, quæ rerum eſſentias ſpectant (hoc eſt, tum eſſentias contemplandos, prout rerum exiſtentiam ſola experientia diſcimus) de univerſalitate cognitionis noſtræ in genere hæc ſufficiant, quoniam de ea plura mox in capitibus iſtis dicenda ſunt, in quibus de generali & reali cognitione agetur.

M E D I T A T I O

JOHANNIS LEONARDI MARUGJ

De demonſtratione ejuſque uſu.

DUobus modis nos ad veritatem pervenire poſſumus, *experientia* ſcilicet, & *ratione*. *Ignem calefacere*, *aquam madefieri* per experientiam internoſcimus; hinc eſt, nihil ad hoc requirere præter ſenſus ad objectorum impreſſiones recipiendas aptos, ac idoneo modo diſpoſitos. Si hoc æque viget, mente hebetiori, ac magno acumine prædito cognitio pariter adeſt, nec uni, nec alteri exceſſus aliquis adinvenitur (a), non ita ubi

---

(a) Omnes quot ſunt ex methaphyſicorum ordine magna, ac
pari felicitate ſenſationum quæſtionem reſiliunt, & præter pau-
ciſſimos nulli de earum mechaniſmo, ac veritate perceptionum
mutationibus organorum reſpondentium verba faciunt, quæ ad
omnia enodanda revera aptiora exiſtimentur. Nos ſuppo-
ſuimus aliquid facultatis in anima, qua cernat, modo perinde inco-
gnito, quod in ſuo corpore, ac in minima ejus parte conficitur
(92. 137. *tom. 1.*). Nihil attamen re vera me dixiſſe video,
omnia enim ſunt in obſcuritate involuta naturæ. At quis me
ſuperat in hac hypotheſi? *Condillac* fortaſſe qui in *ſoliditatis*
ſenſu hujus quæſtionis enodationem repoſuit? Cum ille dixerit,
quod duas habeat relationes, unam ad contactus ſenſibilitatem,
alteram ad objectorum externorum reſiſtentiam, quam ob rem
pontis gerit vices inter objecta, & animam poſiti, adeo ut
tranſeant ſenſationes, & intervallum evaneſcat (*V. extrait*
raiſonné de la ſenſat. precis de la 2. part): Quid Hercule dixit,
quam ipſam quæſtionem? Quod utilitatis in mea hypotheſi extet, il-
lam quidem eſſe arbitror, quod in ea omnia facillime enodantur,
& quid quid in functionibus animalibus obſervamus, hujus dire-
ctionis ope præciſe, ac ſolide concipimus: Hoc ergo poſito, vi-
dctis, quod objecta corporea in ſenſorio communi agentia ani-
mam admonent, & de eorum natura, ac qualitatibus (137. *t. 1.*)
ne-

ubi *ratione* eſt peropus . Cum ratio non ſit præter veritatem nexum, vel facultatem hunc percipiendi nexum (*b*), non eſt omnibus æque datum , illum percipere , atque extruere , per conſequens veritatem invenire, ac aliis oſtendere . Ex hoc fit , quod requiritur modus, quo mens in ſuis cogitationibus dirigatur , & ut ne a recto tramite recedat , cum optimo perinde filo ad veritatem ſe ducat . Hic modus ab acumine mentis adhibitus in veritatibus eruendis *demonſtratio* dicitur . Cum ergo percipiam , unam in alia idea contineri , ita ut quid quid de uno ſubjecto de altero quoque prædicatur , ideam ipſam figam , & de hoc, quod de illo detexi, legitime concludam , & ſtatuam , tum in veritatibus progrediendo, eodem perinde filo, omnia, certitudine qua poſſum, evolvo , atque percipio . Quod conſtituit hunc modum ergo eſt , recte ſtatuere , unam in alia idea contineri , ut & prædicatum realiter ſubjecto, quod mens imprimis contemplatur , inhæreat , vel conveniat . Quando itaque ſic progre-

 dimur

---

neceſſario, vel pene neceſſario inſtruunt (115.*iv.*), ſe ipſi animæ præſentando . Hinc eſt , quod per experientiam ad *veritatem certam* , ut ajunt , pervenimus . Quando ad objecta attendimus, quæ ſunt ſenſibus obvia , cognitionem de eiſdem objectis acquirimus, & ea cognitio *ſperimentalis* , vel a *poſteriori* appellatur. Videtis ergo I. Quod hæc cognitio habetur tantum de individualibus , ac ſingularibus objectis, nunquam vero de abſtractis , ac univerſalibus . II. Quod acquiritur attendendo ad ea quæ intus conficiuntur , & quæ extra obſervantur , nimirum ſi ſentio in me tædium ad repræſentationem alicujus objecti , vel video colorem album , parietem cernendo , prima *interna* , ſecunda *externa* cognitio dicitur. III. Sunt quæ obſervari poſſunt abſque perfectione & promptitudine animi , ut *ignem eſſe calidum* , *nivem eſſe frigidam* , alia contra percipi nequeunt abſque maxima calliditate , ac ſtudio , ut *aerem eſſe gravem* ; *vulgaris* prima experientia dicitur , ſecunda *artificialis* . IV. Quod experientia artificialis poteſt modificari ratione ſtudii , ſolertiæ , promptitudinis animi &c. non ita experientia vulgaris . V. Demum quod Experientia vulgaris ad cognitionem , ac veritatem certam nos ducit , neque in ea adinvenitur differentia , ſit a rudi , vel perſpicaci homine confecta . Si uni, vel alteri fibræ lacerantur , omnes pariter dolores ſentiunt , & ad ſe ipſos attendendo pariter dicunt , *ſe pati* : ad objectum lacerantis poſtea, *eſſe deleterium*; per conſequens veritatem in hoc internoſcunt certo, nec falli poſſunt quidquid alii ſomniarunt.

(b) *V. adn.* 28. *tom.* 1.

dimur in noſtris judiciis, ut ex veritatibus veritates eruimus, nec ulla in parte a certitudine decedendo, ad ſcopum pervenimus, vel legitime concludimus cuidam ſubjecto quoddam prædicatum convenire, *demonſtrare* dicimus. *Demonſtratio* ergo eſt *concatenatio veritatum*, vel *ratiociniorum connexio*, *in quibus partes omnes ex quo latere percipiantur certæ ſunt* (c). Ex hoc ſequitur, quod, ut demonſtratio vitio careat, atque certitudine incedat, oporteat. I. omnia, quibus præſtruuntur ratiocinia, vera ſint. II. ratiociniorum nexus ſit legitimus, una ſcilicet ex aliæ veritatis viſcere eruatur. Primus modus *materiale demonſtrationis* (d) dicitur, ſecundus *formale demonſtrationis* (e) appellatur. At hic omittimus demonſtrationis diverſitatem; omnibus conſtat extare demonſtrationem directam, ac indirectam, ſive *apogogicam* (*f*), ut & objectiones quos contra hanc in medium nonnulli

(c) Sic *ex. gr.* omne *ferrum eſt grave*, Ens eſt *ferrum*, ergo ens eſt *grave*. Hæc dicitur demonſtratio, nam propoſitiones ex quo latere conſiderantur, ſunt æque veræ, ergo adhuc vera eſt conſequentia.

(d) Ex quibus præſtruuntur ratiocinia ſunt experientiæ, definitiones, axiomata, poſtulata. Hinc eſt, quod Wolfius demonſtrationem definit „ per ejuſmodi probationem, ſi in ſyllogiſmis, „ quos inter ſe concatenamus non utamur præmiſſis, niſi defini- „ tionibus, experientiis indubitatis, axiomatibus, & propoſitio- „ nibus jam antea demonſtratis „ (*V. Ontol. lat. p.* 397.)

(e) Nimirum quod prædicatum unius ſubjecti, alteri ejuſdem ſpeciei conveniat, ut *grave* convenit enſi, & ferro; nam Ens in notione ferri continetur, & grave tam uno quam alteri convenit, ex eo quia ejuſdem ſpeciei ſunt. Judicia ergo ejuſmodi confecta, *ferrum eſt grave*; Ens eſt *ferrum*, cum vera ſint, & recte inter ſe connexa, nos ad veritatem ducunt, hoc eſt, *Ens eſt grave*, non ita ſi male connectuntur judicia, etſi vera ſint, *ex. gr.* Ferrum eſt grave, lapis eſt grave, ergo lapis eſt ferrum; præmiſſa vera ſunt, aſt modus ea connectendi, vel, ut ajunt *formale* demonſtrationis, eſt *fallax*, ergo, & conſequens. Verum de hoc inferius.

(f) „ Demonſtratio directa, ait Wolfius, ſive oſtenſiva eſt illa „ qua ex notione ſubjecti colligitur, prædicatum convenire ſub- „ jecto „ (*V. Log. lat. pag.* 142.). Exemplum afferam. Cupimus demonſtrare, *Deum velle optimum*. Exordimur demonſtrationem a definitione, *Deum eſſe perfectiſſimum*: ab Axiomate *ens perfectiſſimum habere voluntatem perfectiſſimam*; voluntatem perfe-

nulli afferrunt (g), tantum examinabimus modum, quo debemus uti, ut ad veritatem certam (h) perveniamus.

Ut veritatem certam invenimus, duobus utimur modis, *analytico*, ut ajunt, & *ſynthetico*. Primus eſt, quando meditando reſolvimus propoſitionem in principia, de quibus dubirari nequit; ſecundus, quando ex non dubiis principiis ad propoſitionem ipſam deſcendimus; pro Tironibus exemplum afferam. Queritur demonſtrari, *Deum* affectibus carere; duobus enunciatis modis exequi poteſt.

fectiſſimam eſſe *velle optimum*; ergo recte concludimus, & directe demonſtramus, prædicatum *velle optimum* Deo convenire, nam convenit enti perfectiſſimo, ſub qua notione ipſemet Deus comprehenditur. Et hæc eſt demonſtratio directa. Indirecta poſtea appellatur, ſive *apogogica*, in qua propoſitio noſtræ propoſitioni demonſtrandæ oppoſita aſſumitur tanquam vera, & abſurdum colligitur. Dicitur quoque *deductio ad abſurdum*, vel ad *impoſſibile*. *Ex. gr.* vellem demonſtrare, *nihil* ex creatis *poſſe exiſtere per ſe*, indirecte ſic demonſtro; ponamus poſſe per ſe exiſtere: tum contineret in ſe, & extra ſe rationem ſufficientem ſui: extra ſe quatenus creatum, in ſe quatenus non internoſceret rationem ſuæ exiſtentiæ, quam in ſe ipſo, quod per principium contradictionis eſt abſurdum, ergo &c.

(g) Complures credunt, hujus generis demonſtrationem eſſe fallacem, at quando propoſitiones ſunt perfecte oppoſitæ, alterutra debet eſſe vera, per conſequens ex falſitate unius colligitur veritas alterius.

(h) De veritate ſuperius verba fecimus (48 *tom.* 1.) ex quo patet, ut adnotavimus, veritas quatenus *logice* conſideratur, ut hic eſt neceſſe conſiderari, non eſt omnibus æque certa. Nos certos dicimus de propoſitione quadam, quando perſpectam habemus convenientiam, vel diſconvenientiam prædicati cum ſubjecto, adeo ut oppoſitum non poſſit locum invenire; cum ergo veritas logica „ eſt congruentia noſtrarum repræſentationum cum „ iis quæ realiter ſunt „ (*ib.*) datur hæc congruentia major vel minor, juxta conceptus meditantis, per conſequens alter altero poteſt plus, vel minus perſpectam habere convenientiam, de qua ſatis.

I. MODO ANALYTICO.

Quicunque caret appetitu ſenſitivo, caret affectibus.
Deus caret appetitu ſenſitivo,
Ergo Deus caret affectibus.
Quicunque caret repræſentationibus confuſis caret appetitu ſenſitivo:
Deus caret repræſentationibus confuſis,
Ergo Deus caret appetitu ſenſitivo.
Quicunque ſibi omnia repræſentat diſtinctiſſime caret repræſentationibus confuſis:
Deus omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat,
Ergo caret repræſentationibus confuſis.
Quicunque gaudet intellectu perfectiſſimo, omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat:
Deus gaudet intellectu perfectiſſimo,
Ergo Deus omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat.
Quicunque eſt ens perfectiſſimum gaudet intellectu perfectiſſimo:
Deus eſt Ens perfectiſſimum,
Ergo Deus gaudet intellectu perfectiſſimo.

II. MODO SYNTHETICO.

Quicunque eſt Ens perfectiſſimum gaudet intellectu perfectiſſimo:
Deus eſt ens perfectiſſimum,
Ergo gaudet intellectu perfectiſſimo.
Quicunque gaudet intellectu perfectiſſimo, ſibi omnia diſtinctiſſime repræſentat:
Deus gaudet intellectu perfectiſſimo,
Ergo Deus ſibi omnia diſtinctiſſime repræſentat.
Quicunque omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat caret repræſentationibus confuſis:
Deus omnia ſibi diſtinctiſſime repræſentat,
Ergo Deus caret repræſentationibus confuſis.
Quicunque caret repræſentationibus confuſis, caret appetitu ſenſitivo:
Deus caret repræſentationibus confuſis,
Ergo caret appetitu ſenſitivo.
Quicunque caret appetitu ſenſitivo, caret affectibus:
Deus caret appetitu ſenſitivo,
Ergo Deus caret affectibus.

Videmus modo, qua ratione demonſtrationes hæ ad veritatem certam nos perducant, & quomodo poſſent nos alio modo confectæ ab illa repellere.

Ca-

Carere affectibus eſt prædicatum quod convenit ſubjecto, *quicunque caret appetitu ſenſitivo*: Deum carere appetito ſenſitivo, in notione ipſius ſubjecti eſt conſtitutum; per conſequens ſi vera eſt prima propoſitio, *quicunque caret appetitu ſenſitivo caret affectibus*, ut & ſecunda *Deus caret appetitu ſenſitivo*, legitime concluditur, *Deum carrere affectibus*. I. Quod quicunque caret appetitu ſenſitivo caret affectibus, vera ſit propoſitio, patet ex affectuum definitione, non ſunt enim præter „ ipſum appetitum, vel „ averſationem ſenſitivam cum extraordinaria ſanguinis, & fluidi nervei commotione „ vel luculenter, nihil aliud præter actum „ voluntatis, vel noluntatis a ſimplici ſenſatione excitatum „ (i), ſi deficit ergo hic actus, qui idem ſonat, ac appetitus ſenſitivus, deficit effectus. II. Quod Deus careat appetitu ſenſitivo, patet ex natura intellectus perfectiſſimi, quapropter conſequentia *Deum carero affectibus* vera eſt, & ex eo quia non primo intuitu patet, Deum habere intellectum perfectiſſimum, progreditur in demoſtrando modo dicto. Quando poſtea modo ſynthetico vult demonſtrari eadem propoſitio, incipitur a principiis, In quæ deſinimus; quando modo analytico demonſtramus, ſemper eiſdem regulis adhibitis, ad veritatem certam pervenimus.

Quod adnotari debet, eſt quod multoties principia non ſunt ab omnibus pro certis recenſitis per conſequens non omnibus eſt tum certa conſequentia; *ex. gr.* ſi quidam negat, appetitum ſenſitivum eſſe affectum, vel actus voluntatis a ſenſatione excitatus, tum negat pariter conſequentiam, *Deum affectibus carere*; at ſi vera eſt illa propoſitio, conſequentia vera eſt, ſit nec ne ejuſmodi recenſita, quando ex legitimo nexu habetur. Ex dictis ergo patet I. quod ſub eadem notione cumprehendantur ſubjecta, ut Quicunque *caret appetitu ſenſitivo*, *Deus caret appetitu ſenſitivo*. II. quod ſi predicatum convenit ſubjecto unius, conjungatur quoque cum ſubjecto alterius propoſitionis, ſub eodem genere, vel ſpecie contento, ſi non convenit, removeatur (k). III. Quod verum ſit, quod de aliquo prædicatur, vel negatur (l),

(i) *V. Med. noſtr. de volunt. ac lib. hom.*

(k) Hinc eſt, quod dicitur in ſcholis, *quidquid de genere, vel ſpecie omni prædicari poteſt, illud etiam prædicatur de quovis ſub illo genere vel ſpecie comprehenſo*. Sic quoque & illud, *cum competit definitio, illi quoque convenit definitum*.

(l) Si dicam *ex. gr.* Omnis lapis eſt mollis, Marmor eſt lapis &c. vel omnis lapis lucida eſt fragilis, marmor eſt lucidus &c. Ex dictis ſequitur, quod ad propoſitiones requiruntur *requiſita ad veritatem*, quæ intelligimus ea per quæ determinatur, prædicatum eſſe ſubjecto tribuendum.

no repræſentantur, & exprimuntur. Cum ergo omnes ſcientiæ ſint ejuſmodi idearum complexus, eas evolvi, ac ad ſimplicitatem redigi poſſe, conſtat; per conſequens aliis voce oſtendere, unam proprietatem alteri eſſe ſimilem, & quid uni convenit, alteri quoque convenire debeat, & contra. Quis non videt ergo omnia poſſe demonſtrari, ſint in morali, ſint in Medicina, ſint in alia ſcientia, vel arte?

Quod plures decipit philoſophos illud eſt, quod credunt neceſſe, concluſionis ſubjectum, & attributo oppoſitum neceſſario, continuoque debeat actu exiſtere, ut *ex. gr.* in hoc, *homo eſt animal viſibile*; At quid mathematicorum intereſt, quod trianguli exiſtentia contingens, vel neceſſaria ſit, ut demonſtretur, *omnes ſuos angulos eſſe duobus rectis equales*? Pariter in morali ſufficit, quod poſita exiſtentia alicujus ſubjecti, arguatur, quaſdam proprietates, per certa principia cognita, ſubjecto ipſi convenire, & parum refert ad demonſtrationem ſubjectum quod, cum non ſit ſimplex terminus, ſed integra propoſitio, quæ per neceſſariam conſequentiam a principiis eruitur, exiſtat, necne.

Tota moralis extenſio ea eſt, *ut unuſquiſque vera felicitate gaudeat*. Hoc eſt punctum comune, & a quo debemus in demonſtrationibus progredi. Si ergo enodamus *felicitatis* notionem, & eam perpendamus in gradibus auctam, vel diminutam, tam ratione propriarum actionum, quam reliquorum hominum qui nobiſcum in ſocietate morantur, vel in hac terra degunt, certas, indubitatas conſequentias eruimus, ex quibus propoſitiones demonſtrativæ habentur. Quando ad hominum felicitatem quoſdam actus requirere, internoſcimus, ſint univerſalium, vel peculiarium ſocietatum conſiderati tanquam partes, vel membra, vel tanquam in ſeipſos homines ſpectati, ſemper quædam officia deprehenduntur a prima veritate ope ſenſationis eruta (*r*), quæ perbelle poſſunt demonſtrari (*ſ*).

Fi-

(r) *V. adn.* 65. 66. *tom.* 1.

(ſ) Hac de re ſic Genuenſis, „ Io rationis plano nihil obſcurum eſt: omnes ideæ, ideæ a nobis createæ, ſunt abſtractæ, rectæ, lucidæ, adequatæ, diſtinctæ: at multa obſcura „ habentur in illo ſenſuum qui non agnoſcunt in Mundo, quam „ ſolas receptas impreſſiones. Ergo non omne eſt definitione „ capax evidentiæ characteri in hominis ſcientia. Lockius cen„ ſuit, moralem ad Geometriæ inſtar poſſe fieri. Lockius de „ principiis loquebatur, nec ad applicationem poſuit atten„ tionem: Quælibet Theſis in Morali eſt demonſtrationis ca„ pax, non omnis hypotheſis. „ (*In notis addit*) hypotheſim „ ap-

Facultas altera quæ, credunt nonnulli non poſſe demonſtrari, Medicina eſt. Hæc, inquiunt, pro conjecturali tenetur, nec veritas certo in ea poteſt haberi. At falſum porro. Non ſecus, ac matheſis quælibet medicinæ pars demonſtrari poteſt. Ex dictis, aliquid demonſtratur ſi ex nexu veritatum eruitur; ita ut quando evidenter duarum idearum oppoſitio, vel conjunctio videtur, tum dicimus convenire, vel non convenire, & de veritate certi ſumus. Quis poteſt ergo negare, in medicina ita poſſe connectere veritates, ut aliæ ex aliis eruantur? Verum eſt, quod in medicina multoties in ratiocinium debet longe progredi, ut ad quæſitam veritatem perveniamus, & anfractus, ac obſtacula non pauca ſuperari debent, ut in anteceſſum omni certitudine procedamus. Sed Mathematici nonne plura intermedia adhibent, ut objecta inter ſe remota comparent? Sic in Medicina, complures ideæ inter ſe remotæ debent comparari; *ex. gr. actio fluidorum in vaſibus percurrentibus, cum illa ſanguinis, ac fluidorum quæ vaſa macchinæ humanæ explent*, pluribus intermediis uti debet; ad inveniendum effectum in ſolidis productum, exordiendo itaque demonſtrationem ex vi fluida animante, & calculando obſtacula ex cognitione macchinæ noſtræ, ac fluidorum conſtitutione, & natura jam cognita, ut & exceſſus, vel defectus ſimilitudinis cum fluido, quod ſenſibus obverſatur, incognitam veritatem invenimus, & effectum certo determinamus. En ergo demonſtrationem. Videmus tum unionem, vel oppoſitionem duarum idearum quæ remotiores erant, nec poſſent percipi abſque intermediis. Dantur, non inficior, in medicina complura quæ non certa ſunt, & ad ea detegenda, cum ſint ejuſmodi, *datum* nobis deficit, ut *ex gr.* quæſtiones omnes quæ in ſcholis agitantur, & ad quaſdam veritates ſtatuendas adhibentur; at eſſet optandum profecto, quod e medicina omnes quæſtiones eliminarentur, & ea reducatur ad pauciora, ſed certa, de quibus nequeat dubitari. Cenſeo, poſſe belle fieri Inſtitutiones, quæ præciſo ordine omnia evidenter demonſtrent, & ambiguitates reſpuent, verum id non

---

„ appello factum circumſtantiatum, ad quod Theſis generalis „ applicatur. Theſis eſt, *non occidere*: hypotheſis: eſt ne ca„ ſus *in quo homo poteſt occidi? Non furari* Theſis eſt: Hypo„ theſis: *eſt ne caſus in quo liceat furari?* „ Ego ex eo libenter poſcerem, ex circumſtantiis determinatis poteſt ne ſtatui, occidere, vel furari licere? Sunt circumſtantiæ multum complicatæ: ſimpliciores ergo reddantur, & ad primas notiones perveniendo, problematis ſolutio invenitur, & demonſtratio non ſecus, ac illa a mathematicis adhibita, erit profecto.

non omnibus, ut certico, placeret, ut majorem locum habeat falſitas, garrulitas, de qua vehementer doleo (*t*). Ulterius. Mathematici quando non multa data habent in problematis ſolutione, nec methodum completam, per approximationem ſolutionem exequunt; quid obſtat ergo, Medicos pari modo, ac Mathematici qui limites, & gradus approximationis internoſcunt, id non æque efficere? Nos Opus conſcripſimus, & methodo mathematica uſi ſumus. Quapropter, credo, factis demonſtrare, id fieri poſſe.

Quod hic objectari poſſe puto, erit fortaſſe, nullum ſenſuum adminiculum in ratiocinorum progreſſione, quæ moralem, vel medicinam conficit, ſubrepere, quapropter mens noſtra ab omnibus ſenſibilibus objectis ſejucta, ac in ſe, ita dicam, ſuſpenſa facile fluctuet, & omnia permiſcendo, ex una in aliam ideam incaute, leviterque tranſeat. Quanquam moralis, ac medicina ſit obici huic obnoxia, & mathematica omnimode hac impeditione ſoluta (*u*), veruntamen non eſt, qui recte inficiatur, labore, diligentia, uſu, ac perſpicacitate, comparatis, obſtaculum hoc poſſe diripere, internis ideis arctiſſime inſidentem, ac quodam perinde filo ex una in aliam rite progredientem, in tam involuto laberintho ſe poſſe mentem proſpere, feliciterque ducere (*x*).

Verum ad arctam matheſeos formam ſi moralis, ac medicina quit melius reduci, haud a veritate alienum puto, certis ſchema-

(t) Eſt potius collacrymandum, quod ſcientia tam utilis, ac ſacra debeat eſſe in garrulorum, Empiricorumque manu. Medici qui magni nominis dicuntur, apud ægrum obſervate, auſculate eos; ſi vos lumine philoſophiæ gaudetis, paucis exceptis, multum garrulitatis, finctionis, ambiguitatis invenietis, nihilque veritatis, honeſtatis, virtutis. Nomen utplurimum arte, non virtute comparatur. Ego in lucem fortaſſe dabo Opus cui titulus *Avviſo per diſcernere i veri dai falſi Medici*. Ibidem hac de re mea ſenſa habebitis.

(u) In mathematica ſignis objecta ſenſibilia repreſententur: lineæ, ſuperficies, ſolida hoc efficiunt, & mens in ſignis ipſis ratiocinatur, non ita in morali, ac medicina, ut perbelle admonet Lockius.

(x) Quod eſt difficile non eſt impoſſibile. Difficile eſt, methodo mathematica demonſtrare Medicinæ, ac moralis veritates, ergo eſt impoſſibile? negamus: ſaltem eſt porro impoſſibile, habita ratione ad craſſam minervam, & mentem non meditationibus porpolitam.

mathibus, quibuſdamque ſignis primitivas ideas repreſentare, & ex his in alias progrediendo, quodam ligamine perſpecto, derivativas, ac compoſitas conficere, adeo ut medicina, vel moralis ſcientia, non ſecus ac mathematica in ſchemathibus contineatur, quapropter omnia poſſint facile, evidenterque in facultatibus ipſis demonſtrari (y). Fateor, equidem fateor, quod antequam hæc perveniat graphys ad finem, quo fuit directa, utraque facultas multa pati debet, multa durare, & ingenia perſpicaciora in mathematicis ſcientiis provecta, multo opere, improboque labore excogitare, & ita extruere debet ſchemata, ut unum in altero includendo, facili progreſſione omnia rite luculenterque videantur. At quid mens humana, non eſt duratura, vel quo nequit pertingere, quando duris urget in rebus egeſtas?

Concludimus itaque: ut aliquid recte demonſtretur, peropus eſt, demonſtrationem ab ideis ſimplicioribus exordiri, & per intervalla procedendo, quæ intermediis ideis repleri debent (z) ad complexas pervenire; vel contra ex complexibus ad ſimpliciores, e quibus conſtantur ideæ ipſæ incedere, & analyſim idearum ſiſtendo, ſimulac ad ideas enodatas ſimplicioreſque eſt mens noſtra perventa. Quod ergo requiritur ad bene recteque demonſtrandum, illud unum eſt: nihil in ratiocinatione admittere quod reſpondentiam non habeat cum antecedentibus, conſequentibuſque ideis, quapropter apprime debeat explere vacua quæ ideæ ipſæ inter ſe ſolent relinquere, ut hactenus demonſtravimus.

Fine del Tomo IV.

IN-

(y) Quis vetat, notas characteriſticas objectorum intellectualium ſub quibuſdam coſtantibus ſignis exprimere? Si hoc fieri poteſt, quis eſſet, qui ex ſimilitudine ſignorum idearum ſimilitudinem non arguet? Si hoc, quid facilius, quam de iiſdem dijudicare, & cum veritate certa concludere? Requiruntur, non inficior, ingenia nobiliora, & mathematico ſpiritu imbuta, ſed fortaſſe, hoc potiſſimum tempore, eſt horum penuria? nequaquam poro.

(z) Dicitur implere vacua, quatenus inter unam & aliam ideam non luculenter inter ſe reſpondentia, altera interponitur quæ utrique perbelle reſpondet, & propter hanc reſpondentiam, illarum qualitatum ſimilitudinem, vel difformitatem, videmus; Hinc eſt, quod recte arguitur, unam in alia contineri.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

Homo aptus eſt ad articulandos ſonos. pag. 3
Iis poteſt ideas ſuas efferre. 4
Signa generalia formare. ib.
Voces ultimo derivantur ab iis quæ ſenſibiles ideas ſignificant. 5
Diviſio generalis libri tertii. 7
De linguarum formatione ac analyſi. Appendix P.
Soave. 8
Voces ſun ſigna ſenſibilia cogitationibus inter ſe communicandis inſervientia. 17
. . . Loquentis ideas ſignant. 18
. . . Referuntur ad ideas aliorum. 20
. . . Ad ipſam veritatem. ib.
. . . Ex crebro uſu prompte ideas excitant. 21
. . . Sæpe uſurpantur ſine ulla ſignificatione. ib.
. . . Illarum ſignificatio ab arbitrio dependet. 22
. . . Maxima pars ſunt genericæ. 23
Fieri non poteſt ut rei cuique nomen imponatur. 24
. . . Supervacaneum inſuper eſt.
Quæ res propriis nominibus ſignatæ ſunt. 26
Quomodo voces generales fiunt. ib.
Naturæ generales non ſunt quam naturæ abſtractæ. 28
Cur genus in definitionibus vulgo adhibetur. 29
Generale & univerſale fætuſunt intellectus. 31
Ideæ abſtractæ generum & ſpecierum eſſentiæ ſunt. ib.
Figmenta ſunt in intellectu, verum in rerum ſimilitudine fundamentum habent. 33
Diſtincta unaquæque idea abſtracta eſt eſſentia diſtincta. 34
Reales & nominales eſſentiæ. 35
Inter nomen & nominalem eſſentiam perpetua eſt connexio. 36

Opi-

Compoſitionis multiplicis ratio patet ex eo quod ab intellectu fiant ſine exemplaribus. 66
Nomina modorum mixtorum ipſas illorum eſſentias ſignificant. 67
Cur ideas illorum prius quam nomina vulgo adipiſcimur? 68
Cur circa argumentum hoc tam diu verſatus fuerim. 69
Communia ſubſtantiarum nomina genera denotant. 71
Idea abſtracta eſt generis cujuſcunque eſſentia. 72
Nominalis eſſentia a reali diverſa eſt. 73
Individuis nihil eſſentiale eſt. 74
Nominalis eſſentia ſpeciem determinat. 79
Non autem realis eſſentia nobis incognita eſt. 81
Non formæ ſubſtantiales quæ minus cognitæ ſunt. 82
Nos ſpecies diſtinguimus per nominales eſſentias. 83
Probabile eſt illorum ſpecies eſſe numero infinitas. 85
Nominalem eſſe ſpeciei eſſentiam. 86
Formæ ſive eſſentiæ reales magnas habent difficultates. 88
Nominales noſtræ ſubſtantiarum eſſentiæ non perfectæ ſunt proprietatum collectiones. 89
Verum tales collectiones, quales nomine iis ſignificamus. 90
Ideæ noſtræ abſtractæ nobis menſuræ ſunt ſpecierum. 92
Species haud per generationem diſtinguntur. 93
Specificæ eſſentiæ per mentem fiunt. 95
. . . Variæ & ancipites ſunt. ib.
Ex hominum vero arbitrio minus pendent quam modi mixti. 98
Non tamen æque ex arbitrio formantur ac ea quæ modorum ſunt mixtorum. 99
Plures vero eſſentias efficiunt eodem nomine ſignatas. 102
Specierum eſſentiæ ſub eodem nomine diverſæ. 104
Ideæ quo univerſaliores eo magis incompletæ & partiales ſunt 105
Homines ſpecies determinant. 108
Natura ſimilitudinem efficit. 110

Una-

Unaquæque idea abſtracta eſt eſſentia. 111
Genera & ſpecies inventa ſunt, ut nomina rebus imponerentur. ib.
Rerum artificialium ſpecies minus confuſæ ſunt quam naturalium. 113
Res artificiales ſpecierum diſtinctarum. 114
Solæ ſubſtantiæ propria habent nomina. 16
De vocibus tractare difficile eſt. 115
Ideæ ſubſtantiarum imperfectæ & variæ. 120
Ad ſpecies determinandas realis eſſentia excogitatur. ib.
Suppoſitio hæc nullius eſt uſus. 121
Particulæ, partes orationis, inter ſe connectunt. 123
Ars bene loquendi pendet ab iis. 124
Relationem oſtendunt quam mens ſuis cogitationibus tribuit. ib.
Termini abſtracti haud de ſe invicem prædicentur, & cur? 128
Uſus vocabulorum. 131
Eorum imperfectio poſita eſt in ſignificatione ambigua. 133
Nomina modorum mixtorum dubia ſunt. 134
Sermonis proprietas remedium ſatis idoneum eſt. 137
Modus etiam, quo nomina hæc diſcuntur, auget illorum ambiguitatem. 138
Subſtantiarum nomina referuntur ad reales eſſentias quæ nos latent, & ad qualitates coexiſtentes quæ in perfecte ſunt cognitæ. 142
In nominibus idearum ſimplicium minima eſt ambiguitas. 148
Proxime poſt eas nomina modorum ſimplicium. 149
Subſtantiarum, & modorum mixtorum valde compoſitorum nomina maxime ambigua ſunt. 150
Imperfectio hæc vocibus cur tribuatur. ib.
Verborum abuſus, & cur uſurpantur voces ſine ullis, aut certe claris ideis. 154
Illius cauſæ. 156. & ſeq.
. . . Effectus. 160. & ſeq.
Fines ſermonis. 177

Quo-

Quomodo voces vacillant. 179
Remedia imperfectionis & abuſus verborum. 185
Primum remedium vocem nullam ſine idea uſurpare. 197
Secundum curare ut ideæ diſtinctæ iis annectantur in modis. 192
Ut diſtinctæ etiam & conformes ſint in ſubſtantiis. 193
Tertio proprietas. 194
Quarto, ut ſenſum ſuum aliis notum faciant. 195
Modi quibus fieri poteſt. 196 *& ſeq.*
Res morales demonſtrationem capiunt. 198
Influxio linguarum in cognitiones humanas. 211
Tentamen in imitatione linguæ univerſalis. 216
De cognitione in genere. 225
Cognitio actualis aut habitualis. 231
De cognitionis gradibus.
Quilibet gradus progreſſionis per ſe & per cognitionem intuitivam percipi debet. 243
Demonſtratio non ad quantitatem tantum reſtringitur. 245
Cognitio ſenſitiva particularis exiſtentiæ. 248
Nonnullæ reflexiones contra Lockii ſententiam, an Deus dederit cuidam materiæ unioni vim percipiendi aut cogitandi. 255
Reflexiones ſuper modum quo Lockius ſuam opinionem pandit circa ſenſus cauſam in brutis obſervati. 264
De termino humanæ cognitionis. 267
Cognitio noſtra quouſque extendatur. 280
Quod ideæ morales demonſtrationem recipere, haud putentur. 290
De demonſtratione ejuſque uſu. 308

ER-

ERRATA CORRIGE

ERRATA	CORRIGE
pag. 13. diverſi propoſitionibus	diverſi præpoſitionibus
15. propoſitionem *a*	præpoſitionem *a*
16. Maluit propoſitionibus	maluit præpoſitionibus
ib. nomen & propoſitionem	nomen & præpoſitionem
43. Symonimas	Synonimas
100. invidua	individua
131. ſilicet	ſcilicet
145. ad niminum	ad minimum
162. inuſta eſt	injuſta eſt
183. Feteor	Fateor
223. optorteret	oporteret
224. omittendes	omittendas
237. mejorem	majorem
238. phere	olere
340. reqpiri judicia	requiri judicia quam tria.
255. ptiſſimum	potiſſimum

Digitized by Google

Google